CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

V

ACTUS APOSTOLORUM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

ACTUS APOSTOLORUM

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1899

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Cum opus, cui titulus est : *Commentarius in Actus Apostolorum,* a P. Joseph Knabenbauer, nostrae Societatis Sacerdote, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

L. S.

Henricus HAAN, S. I.

Praepositus Provinciae Germaniae.

Valkenburg, 1er Nov. 1898.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 14 Novembris 1898.

† FRANCISCUS, Card. RICHARD

Archiepiscopus Parisiensis.

PROLEGOMENA

I. — De libro Actuum.

Eundem qui scripsit tertium evangelium etiam scripsisse Actus apostolorum, ita evidenter constat accurata inquisitione facta, ut fere a nullo iam in dubium vocetur (cf. *Belser,* Theol. Quartalschrift 1895 p. 70; *Holtzmann,* Einleitung 3. ed. p. 391; *Jülicher,* Einleitung p. 261). Cum alias iam satis demonstratum sit Lucam scripsisse evangelium (cf. *Cornely,* Introd. III 2 ed. et vide meum Comment. in Luc.), hic de Luca auctore Actuum pluribus agere necesse minime est. Hoc solum addendum est quod nuperrime exposuit *Blass,* philologus, qui et Lucam esse auctorem eumque accurata rerum cognitione eminere valide demonstravit. Contendit enim rectissime : testimonium antiquitatis summa fide dignum esse per se patere; « non enim apostolo alicui libellus tribuitur neque omnino homini illustriori, sed plane obscuro quique ignotus mansisset, nisi Paulus nomen eius locis compluribus breviter commemorasset » (Actus ap. editio philologica, Goettingen 1895, p. 1) et philologus contra theologos protestantes haud paucos intrepide affirmat Lucam hos libros scripsisse : « qua de re equidem aeque sum securus atque de cuiusvis antiqui scriptoris nomine, quod traditum accepimus acceptumque tenere solemus, dum ne sint alia testimonia quae contra faciunt », et iterum : « si Quintilianus diserte rhetoricon libros Cornifici esse testaretur, quis tandem dubitaret quin id nomen unice verum esset? perfricate nunc frontem vos et negate Lucae, Pauli comiti, hunc ipsum librum Actorum disertissime et constantissime tribui ab Irenaeo, Tertulliano, aliis, qui minore spatio temporis ab Actis separantur quam a libris ad Herennium Quintilianus » (Acta ap. secundum formam quae videtur romanam 1896 p. III. IV). Atque idem merito perstringit illos « qui nunc florent et auctoritate pollent : itaque quibusnam argumentis usi hi Lucae non modo portentosam illam, sed etiam communem et vulgarem fidem derogant, adeo ut ex numero quoque scriptorum Lucam eximant, anonymum ex more suo substituant » (edit. philol. p. 6)?

Dein pluribus prosequitur quam accurata rerum, nominum, locorum cognitione Lucas se praeditum esse exhibeat; et inter alia: « hodie si quis falsarius exstiterit, poterit uti tabula orbis antiqui ab homine docto sollerter facta; tum autem hic scriptor quibus tandem auxiliis, nisi rerum locorumque vera notitia, perfecit ut per obscurissimas partes Asiae velut securus de itinere incedere posset »?

Libro iam ab antiquissimo tempore titulus est πράξεις ἀποστόλων, ita quidem, ut non defuerint qui ab ipso Luca titulum hunc profectum esse existimarent (cf. *Cornely* l. c.); ita iam *Clemens* alex. allegat ἐν ταῖς πράξεσιν τῶν ἀποστόλων (Strom. 5, 12; *M.* 9,124) et in Adumbrationibus in 1 Petr. quae latine exstant commemorantur *Actus* (l. c. 732); *Irenaei* quoque interpres scribit *in Actibus* (adv. haer. 3, 13, 3; 3, 15, 1); *Tertullianus* autem affert *Apostolorum Acta* (c. Marc. 2,472) et scribit *in Actis* (de bapt. 10; *M.* 1,1211; 2,472) et eodem modo leguntur *Acta* in fragmento muratoriano (lin. 34), praeterea vide quae in lect. var. ad Prooemium (1,1-3) dicuntur.

Minime quidem omnium apostolorum res gestae enarrantur. Recensentur quidem eorum nomina 1,13; plura ab initio referuntur quae omnibus sunt communia (2,1 seq. 37. 42; 4,33 seq. 5,12. 18-42; 6,6; 8,1. 14); verum solum pauca commemorantur de Matthia, Ioanne; de Iacobo solum refertur 12,2; ex epistola ad Galatas discimus Act. 9,27 spectare ad Iacobum fratrem Domini et ad Petrum, de quibus uti de Ioanne quoque etiam narratur Act. 15. Verum plura narrantur de Petro, et cumprimis de Paulo. Atque usque ad cap. 12 Petrus quidem partes habet praecipuas: Petrus monet in locum Iudae alterum testem esse substituendum; in die pentecostes ipse primus annuntiat evangelium; ipse primus cum Ioanne miraculo sanationis patrato et concione ad plebem habita sistitur synedrio et testimonium reddit intrepidum; per eum punitur hypocrisis et fiunt insignia miracula; ipse punit Simonem magum; ipse visitat coetus fidelium per Iudaeam constitutos et Tabitham in vitam revocat; ipse mittitur divinitus ad Cornelium centurionem et docetur iam aperiri ianuam Ecclesiae gentibus; ipse ab Herode in carcerem missus ab angelo liberatur et proficiscitur in alium locum. A cap. vero 13 Pauli itinera apostolica enarrantur tria et demum eius captivitas Ierusalem facta, commoratio caesareensis, iter romanum. Quare in tres partes argumentum libri dividendum esse existimavi. Alii aliter dividunt, de quibus vide *Cornely* l. c. p. 337 et *Felten,* Apostelgeschichte p. 3; Freiburg 1892 et *Aloys Schäfer,* Einleitung p. 289, Paderborn 1898.

Liber Actuum ab ipso Luca adnectitur ad πρῶτον λόγον, ad priorem librum evangelii (1,1); est itaque δεύτερος λόγος; inscribitur et quasi

dedicatur Theophilo, uti ille prior; proinde eodem consilio etiam esse conscriptus omnino existimandus erit atque iisdem destinari. Iam in priore libro id se ob oculos habuisse profitetur, ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem, ἀσφάλειαν (1,4) inconcussam et indubitatam veritatem, certitudinem. Proin idem in hoc secundo opere prosequitur ostendere; scil. evangelium revera ipsis rebus gestis demonstrari virtutem Dei in salutem pro omnibus; exhiberi in praedicatione nuntii messiani vim et efficaciam qua divina eius origo manifesto appareat. In priore libro quasi originem evangelii esse divinam demonstravit; nunc eandem indolem divinam ostendit ex propagatione evangelii et ex eius contra varias impugnationes virtute victrice.

Quod itaque consilium si ob oculos habueris, facile explicaveris, cur quaedam narranda, alia omittenda existimare potuerit. Refert ultima illa Christi verba: eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae (1,8); quae quam praeclare sint impleta rebus gestis statim a primordiis rei christianae prosequitur. Testibus enumeratis eorumque numero sacro completo enarrat, quam eximie impletum sit verbum Christi de baptismo Spiritus sancti et de virtute ex alto qua induendi sint; cernitur operatio divina in dono linguarum, in concione Petri, in conversione multorum, in sancta fidelium conversatione (cap. 1. 2). Uti Petrus impletione vaticiniorum, ita miraculis quoque patratis veritatem nuntii messiani demonstrat. Auditur testimonium eius in urbe, auditur coram synedristis, qui frustra illud supprimere conantur minis et poenis inflictis. Apostolis praesto est virtus divina ad puniendos hypocritas, ad liberandos eos e carcere (cap. 3-5). Crescit numerus fidelium; verum nobiles Iudaei, uti antea contra Christum, ita nunc contra eius fideles persecutiones movent; eorum malignitas eadem exseritur contra Stephanum, qui frustra iis persuadere conabatur obedientiam quam huic novae divinae revelationi et ordinationi exhibere deberent; uti Christum occiderunt, ita eodem modo in Stephanum et in fideles saevire incipiunt (cap. 6,7. 8,1-3). Sed ipsa hac persecutione propagatur evangelium. Nam dispersi praedicant verbum in Iudaea, Samaria, usque Phoenicen, Cyprum, Antiochiam (8,4 seq. 11,19 seq.). Virtus evangelii praeclare quoque demonstratur conversione persecutoris acerrimi, Sauli, qui statim incipit omni studio praedicare quod antea exterminare conatus erat (9,1seq.). Evangelium sigillo divino miraculorum confirmatur in suscitatione mortuae, in sanatione paralytici, in mira liberatione Petri e carcere; pariter monitione divina ad Petrum facta declaratur evangelium esse praedicandum etiam gentibus. Ultione vero divina in

Herodem persecutorem exercita aliud cernitur documentum, quo veritas evangelii confirmatur (9,31-12,25). Praedicationem apostolicam gaudere ope Dei et fieri Deo volente et approbante, proin esse illam a Deo institutam insigni modo elucet ex laboribus Pauli apostoli, ad quos enarrandos Lucas a cap. 13 transit. Describit tria eius itinera apostolica, enarrat quos coetus fidelium instituerit per Asiam et Graeciam, explicat quomodo mediis in persecutionibus et ex ipsa iudaeochristianorum oppugnatione (cap. 15) praedicatio evangelii victrix evaserit; in ipso successu, in miraculis, in sanctitate fidelium clare cernitur opus Dei. Ita Lucas simplici rerum gestarum narratione probat inconcussam veritatem et firmissimam certitudinem evangelii.

Ostendit itaque secundum verba Christi 1, 8 propagationem evangelii; ostendit etiam impleri in Paulo verba illa 9,15. 16 ; quare eius quoque captivitatem refert, in qua praeclare illa Christi promissio completa deprehenditur 23,11 ; quare illa quae a cap. 21 narrantur non poterant deesse. — Huic fini primario adiungi potest secundarius quidam qui ex ipsis rebus de Paulo narratis sponte sua exoritur et legenti offertur : apologia quaedam Pauli pro iis qui de calumniis et accusationibus contra eum audierint (cf. *Cornely* l. c. p. 328), quam apologiam alii in demonstratione perfecti consensus Paulum inter et Petrum potissimum collocandam esse existimant (cf. Revue biblique 1895 p. 320).

Plura quidem nos discimus ex epistolis Pauli prioribus, quae in libro Actuum minime narrantur. Neque id mirum videri debet. Duo enim bene considerare oportet. Prius profecto est Lucam ea narrare quae comperta habuit et quibus ipse interfuit; eum aliqua nescisse nemo negabit. Alterum est illud consilium quod narrando intendit. Ad hoc autem non spectabat enarrare quae Paulus in *regendis* fidelium coetibus praestiterit, de qua re utique sat multa ex epistolis colliguntur; verum in hoc libro agitur solum de *fundandis* coetibus, de propagatione evangelii; pariter non erat singillatim agendum de conatibus Iudaistarum in coetibus iam fundatis apud Galatas, Corinthios; suffecit eos demonstrasse reiectos, ne condendis coetibus inter gentes obessent, id quod cap. 15 praestitum est. Accusant « critici » malam scriptoris fidem quia silentio presserit reprehensionem Petro illatam a Paulo, de qua re Gal. 2,11 seq. agitur. Verum quis non videat eventum illum plane non pertinere ad narrandam propagationem evangelii; id quod catholici interpretes monuerunt bene etiam *Bl.* agnoscit : « non erat igitur cur commemoraret Petrum Antiochiam venisse ibique cum Paulo rixam habuisse; neque enim ex ea rixa quidquam amplius consecutum est » (edit. philol. p. 12). Neque om-

nia itinera recensentur; id quod ex 2 Cor. statim patet; adverte iterum illud iter corinthiacum quod tacetur non spectare ad condendum coetum fidelium; neque ad id spectat quod apostolus colligit eleemosynas pro pauperibus in Iudaea; de qua re saepius in epistolis loquitur et propter quam scribit se Ierusalem profecturum (Rom. 15,25-28. 1 Cor. 16,1-4; 2 Cor. 8,1-9,15. Gal. 2,10), sed quam Lucas solum obiter in Pauli oratione tangit (24,17).

Offenduntur « critici » et rerum fidem deesse clamant, quia de Paulo similia narrentur quae iam de Petro dicta sint (cf. *Weizsaecker*, Das apost. Zeitalter p. 202,2. ed., ut alios taceam). Hisce respondet *Bl.* : « cum adverterint de Petro Pauloque complura similia narrari, haec quae sunt de Paulo ad illorum exemplum conficta esse clamitant, scilicet ne minor Petro Paulus videretur. Liberatur e carcere Petrus; ergo et Paulus. Cum mago Simone ille conflixit : ergo Paulus cum Bariesua ceterisque. Petrus Spiritum sanctum tribuit eis qui a Philippo tincti erant : ergo Paulus quoque hominibus quibusdam et ipsis sacro ritu iam initiatis, quos Ephesi invenit. Haec et alia cum conquirunt fraudulentasque artes subesse statuunt, emunctae naris sibi esse videntur; alteri e contra ne monstratam quidem fraudem agnoscunt, sed dicunt dicentque et magorum omnia tum plena fuisse — id quod probare facillimum est —, et inter Simonem Bariesuamque et ea quae de utroque narrantur ne minimum quidem similitudinis esse — sicuti non est re vera —, et cetera omnia intra eam similitudinem consistere, quae necessario fere aliquando accidebat. Nam cum opus utriusque simile esset, similia utrique interdum evenisse etiam sine testimonio credendum erat. Paulinus autem ille mendax incredibile est quam in mentiendo modestum se praebuerit. Angebatur ille, cum Petrum videret Dorcadem in vitam revocasse narrari, neque quicquam de Paulo simile traditum haberet; finxit igitur fabulam de Eutycho adulescente, sed ita finxit, ut ex ipsa narratione eius videri possit Eutychus non vere mortuus fuisse (cf. 20,10). Itaque omnis illa δεινότης eo usque valet, ut ei theologi sibi sectaeque suae placeant, cum res ipsae maneant tales quales ab initio fuerunt ».

Offenduntur « critici » miraculis narratis. Audiatur iterum *Bl.* qui illis haec consideranda proponit : « narrat Lucas de Paulo, gloriatur hic de se, et ad Romanos (15,19) et ad Corinthios (2,12,12) scribens σημεῖα καὶ τέρατα καὶ δυνάμεις a se edita esse. Si tales res omnino fieri non possunt, mentitur Paulus; si contra huic credendum est, quidni etiam Lucae? Plerique autem etiam nunc Paulo parcendum esse ducunt, ne sublata ea columna quam unam fere reliquerunt omnia corruant; itaque non negant et illi fidem de miraculis a se editis ha-

bendam esse et Actorum scriptori de eis certe quae per ultimum iter Pauli accidisse narrantur. Itaque apparuit Paulo per somnum angelus eumque de eventuris omnibus certiorem fecit, ut ea reliquis praedicere posset; tum ille Melitae multos aegrotos sanavit; concinere dicunt haec cum ipsius Pauli verbis[1] neque quicquam opponunt, nisi quod doctis verbis concessionem ita involvunt, ut ne superstitiosi videri possint. Qua fiducia Petro negemus, quod Paulo concessimus? Desinant igitur somniare de aliquo tempore pristino a miraculis puro et intemerato, neve ad tempus alicuius scripti definiendum miraculis quae ibi narrantur uti velint » (l. c. p. 9). — Ceterum de auctoritate historica Actuum vide *Cornely* l. c. p. 329-336; *Felten* p. 27 seq. *Kaulen,* Einleitung 3 ed. p. 533 seq. Plura hac de re vide in Commentario.

Quam levibus ratiunculis ducti fidem denegent narrationibus Lucae, exempla dedi in Commentario. Omnia eiusmodi recensere non est operae pretium. Aliqua hic adscribam. Ita statuunt narrationem de Iesu ascensione non posse conciliari cum Luc. 24,51, ac si non ex ipsis evangeliis evidentissime pateret Iesum non eodem die quo surrexit ascendisse in coelum! narrationem cap. 2 falsitatis argui ex 1 Cor. 12-14; baptismum Cornelii eo loco quo narratur non potuisse fieri ob Gal. 2, quia ibi Petrus omnino solis Iudaeis evangelium annuntiet, et si illa praecessisset revelatio, fieri non potuisse illam hypocrisin Gal. 2,11; Pauli conversionem plane aliter describi Gal. 1,15 seq.; quae Act. 9,26 seq. narrentur, argui falsitatis ex Gal. 1,18-20; item Act. 11,30 ex Gal. 1,21 seq.; decretum illud apostolorum cap. 15 esse confictum; Act. 17,14 seq. et 18,5 erroris convinci ex 1 Thess. 3,1 seq.; Paulum intrasse synagogas et Iudaeis quoque praedicasse, plane non posse cogitari ob Gal. 2,8 seq. Haec affirmat *Jülicher,* Einleitung p. 266. Sufficit locos allegatos legere, ut percipiatur neutiquam fidem Actuum subverti. Et si negant Paulum Iudaeis quoque praedicasse, nunquam legisse videntur Rom. 1,16; 11,13. 14. 1 Cor. 9, 20. 21. — Inter alia *Weizs.* negat ea quae de Anania referuntur, quia Paulus affirmet se non ab homine accepisse evangelium. Sed quid *fecit* Ananias? Iter in Ierusalem secundum Actus statim fieri post conversionem, quod oppido falsum esse, quippe quod factum sit post tres annos. Vir criticus non attendit Act. 9,23 ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί « satis longum tempus » (*Bl.*); in Act. apostolum iungi fratribus, at in epistola affirmari solum Petrum ab eo esse visum et neminem fidelium ei fuisse notum. At Gal. 1,19 apostolus dicit *ex apostolis* a se solum visos esse Petrum et Iacobum, et se ignotum fuisse facie *ecclesiis Iudaeae,* quae duo plane alia sunt atque ea quae *Weizs.* apostolo supponit (l. c. p. 85 seq.). Pariter fidem esse denegandam affirmat iis quae 11,22 seq. narrentur; haec enim omnia con-

1. Ita omnino censet *Weizs.* l. c. p. 446.447.

velli existimat eo quod Paulus scribat : deinde post annos 14 iterum ascendi Ierusalem (Gal. 2,1), ex quibus verbis concludit Paulum et proin ecclesiam antiochenam plane nullum habuisse commercium cum ecclesia hierosolymitana.

Librum Actuum scriptum esse post evangelium, immediate ex 1,1 evidens est. Evangelium autem compositum esse haud multum post an. 62 nuperrime rationibus sat gravibus *Belser* demonstravit (Theol. Quartalschrift 1898 p. 228 seq.). Nam quod multis placet evangelium ob 21,20 amandare ad tempus post urbem eversam, nullatenus consistere potest (cf. Comment. Luc. p. 9), id quod *Bl.* quoque ostendit : « Lucas autem in vaticinio maximo, quod tantopere urgent, nihil plane addit quod non in ipsa rei natura necessario insit. Κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων Ἰερουσαλήμ : num everti poterat urbs nisi per hostes? num capi ab hostibus sine obsidione? Πεσοῦνται στόματι μαχαίρης : solet profecto ita fieri. Καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη : captivi venibant, venditi in omnes terras dispergebantur. Καὶ Ἰερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν : interfectis vel abductis incolis erant « gentes » solum urbis occupaturi... Locum Danielis (9,26) quo utuntur Matthaeus et Marcus, si quis evolverit, statim videbit ibi omnia perscripta esse, quae Lucam ex sua rerum gestarum cognitione addidisse putant » (ed. phil. p. 4. 5). Sententia est probabilissima, ipso fine libri etiam tempus compositionis indicari, i. e. esse scriptum mox post biennium captivitatis expletum. Ita tempus scriptionis haud multum distat a scripto evangelio et prooemium illud 1,1 sponte fluit. Cur autem alia plura non addiderit, explica ex ipso scriptionis tempore, ex demonstratione pro sua rerum cognitione absoluta : esse evangelium virtutem Dei pro omnibus illudque esse praedicatum in Iudaea, Samaria et usque ad ultimum terrae (1,8). Sed cur non addidit Paulum esse liberatum? quia id per se intelligitur ab iis qui legunt : *mansit* autem biennio toto etc. 28,30. 31; eum esse liberatum ii probe sciebant quibus scripsit; eis tantum narrandum erat per quod tempus manserit in suo conducto laborans pro evangelio sine prohibitione. Haec de tempore Actuum sententia est etiam satis communis (cf. *Felten* l. c. p. 23; Revue biblique 1895 p. 292); eam iam protulit Hieronymus (de vir. ill. 7), « eadem ratio plurimis postea placuit, et manifesto habet quo se vehementer commendet » (*Bl.* p. 3). Aliter *Al. Schaefer* qui evangelium Lucae intra an. 67-70 scriptum esse censet (p. 247.297). Varias coniecturas, cur Lucas librum ita finierit, videre poteris in Revue biblique 1895 p. 338; inter alias ibi commendatur haec ratio voluisse Lucam δευτέρῳ λόγῳ addere τρίτον λόγον.

II. — De fontibus Actuum.

Cum Lucas auctor sit Actuum, quaestio de fontibus sat multis in locis ne instituenda quidem est. Erat ipse antiochenus, comes Pauli; proin quae de Paulo et ecclesia antiochena narrantur, nullatenus ab aliquo scripto libro necesse est deprompta dicere. Versatus est Lucas cum Paulo per dies aliquot Caesareae apud Philippum (21,8-10); unde ea quae de Philippo narrantur 8,5-40, ab eo ipso accepit. Quae autem gesta sint in urbe, quae Petrus egerit, haec Lucas accipere potuit a Marco hierosolymitano, patruele Barnabae, Petri comite, qui Paulum quoque et Barnabam comitatus est Cyprum (13,5) et in Perge Pamphyliae ab eis discedens reversus est Ierosolymam (13,13). Lucas autem cum Marco erat apud Paulum, cum is in captivitate romana epistolas scriberet ad Colossenses et Philemonem (Col. 4,10. 14. Philem. 24). Insuper Lucas in Ierusalem versatus est cum Iacobo et senioribus (21,18); unde ab iis quoque de rebus in urbe gestis edoceri potuit: proinde pro longe maxima parte Actuum scriptis fontibus opus non est, cum adsint e quibus pleraque Lucas tamquam a rerum testibus accipere potuit. Quid vero de orationibus Petri, Stephani? censent aliqui orationes eas litteris iam esse consignatas, fortasse ab ipso Marco (cf. *Belser* l. c. 1895 p. 62), neque hoc est improbabile; immo a vero non videtur alienum, si orationes litteris sint consignatae, etiam narrationes adiunctas esse rerum e quibus orationes quasi enatae sint. Negant quidem « critici » orationes esse genuinas, volunt eas a scriptore confictas. At quod catholici interpretes observarunt etiam merito notat *Bl.* : « quo intentius has orationes inspexeris, eo plura in eis reperies, quae cum sint temporibus personisque egregie accommodata, ad rhetoricam licentiam scriptoris referri se vetent » (l. c. p. 11).

Insunt Actibus partes quae prima persona pluralis a reliquis distinguuntur. Iste usus secundum lectionem in D et apud Augustinum servatam primo cernitur 11,27. 28 : descenderunt a Ierusalem prophetae Antiochiam, eratque magna exsultatio; congregatis autem nobis surgens unus etc.; porro cernitur 16,10 seq., cum iter Troade in Macedoniam et commoratio Philippis narratur; cernitur 20,5 in narratione itineris a Philippis in urbem Ierusalem (20,5-21,17); pariter in ultimo itinere romano 27,2-28,16. Hisce igitur se adfuisse Lucas clare significat. Num hisce solis? id fortasse asserere dubitaveris. Et *Bl.* quidem adnotat : « sicut autem dicere potuit ἐπορευόμεθα, ita minime debuit, etiamsi adfuerat ipse; itaque ubi prima persona

est, cognovimus adfuisse Lucam; at ubi tertia, non cognoscimus eundem afuisse. Valebat in hac re magis occasio quam consilium, potuitque usus primae personae paullatim in consuetudinem vertere, id quod factum re vera videmus » (p. 10). Uti patet, prima persona non potuit adhiberi in iis rebus, quas ipse Paulus gessit, verum solum in iis quae communiter gestae erant; unde : venimus, eramus in urbe, egressi sumus, navigavimus, sustinuerunt nos etc.; proinde poterat Lucas aliquando adesse, ita tamen ex rerum conditione, ut non esset occasio commemorandi quidquam communiter actum, ubi ergo illud *nos* necessario abest.

Has partes ita per *nos* distinctas esse omni fide dignas critici quoque concedunt, nisi quod ibi quoque interpolationes ab aliquibus statuuntur vel etiam mutationes textus primigenii ab redactore factae. Id enim apud criticos fixum ratumque est has partes ab aliis prorsus esse segregandas et esse fontem quendam peculiarem quo compilator Actuum usus sit. Sed in ea quoque re cum catholicis interpretibus consentit et merito ridet *Bl.* hanc de compilatione sententiam; nam qui eam sibi persuadere velit, ab eo profecto ait hunc Actuum scriptorem admodum male cognosci, quippe qui hoc opus scite composuerit. Et certo ita fit transitus ad primam personam, ut legentes necessario credere debeant ipsum scriptorem testem esse, et nullo modo iis in mentem venire possit haec ex alieno opere esse deprompta. « Alii non veriti sunt fraudi scriptoris hoc tribuere, qui falsa specie testis sese commendaverit. Sed qua modestia quam non possunt non agnoscere ipsi! Cur his tantum locis ἡμεῖς habet, ceteris tertia persona utitur? cur, quod gravissimum est, nomen suum reticet neque profert atque urget? Ita nimirum fecerunt alii praestigiatores, velut Prochorus ille personatus, qui Iohanis acta conscripsit, Petrusque falsus, qui evangelium, neque ulla re magis aperte scriptores Novi Testamenti a falsariis differunt, quam quod prae rerum magnitudine suae gloriolae ne cogitant quidem inservire. Hanc autem rem quamvis sit manifesta acuti illi et versuti atque δεινοί non videntur cernere potuisse; neque enim mirarentur Lucam de se reticere et ne id quidem significare, quonam tempore se Paulo adiunxerit ».

Quaestio haec de fontibus recentiore tempore apud acatholicos maxime est agitata et magna quaedam varietas et copia opinionum prolata. Aliqua harum disquisitionum exempla proponenda sunt. Compositionem Actuum *Sorof* explicat ex aliquo scripto documento Lucae, quod alter Pauli comes, probabiliter Timotheus, retractavit additis partibus illis quae per *nos* distinguantur et adiectis sat multis ex fonte petrino, qui cerni possit usque ad 12,23. Sed Timotheum scripsisse partes illas, iam excluditur 20,4. 5 :

septem comitibus Pauli enumeratis pergit narratio : *hi* cum praecessissent, sustinuerunt *nos* Troade; *nos* vero navigavimus etc. Etiam *Feine* in 1-12 fontem iudaeochristianum, in quo res gestae coetus fidelium hierosolymitanorum et cumprimis Petri contineantur, a Luca esse retractatum statuit et insuper criticus perspexit dictionem tamen et descriptionem fontis a Luca non esse pure servatam; at confidit se posse in plerisque discernere inter fontem et eius a Luca retractationem (cf. Eine vorkanonische Überlieferung des Lucas, Gotha 1891 p. 158 seq.). Librum esse compositum ex duobus fontibus, quos aliquis « redactor » inter se coniunxerit, *Spitta* docet (Apostelgeschichte, ihre Quellen, Halle 1891); fontem unum (A vocat) esse bonum, sincerum, in quo praeprimis orationes Petri, Stephani, Pauli perscriptae sint; eius auctorem et partium quae per *nos* distinguantur esse Lucam; alterum fontem (B) esse adulterinum in plerisque, esse scriptum post annum 70; praebere traditiones vulgares, mythicas, miracula; esse itaque fontem turbidum, in quo vera quaedam admixta falsis habeantur.

Aliter *Weizs.* : unde auctor Actuum materiam hauserit, nos nescire; si aliquo fonte usus sit, illum tamen ex textu Actuum non posse demonstrari (l. c. p. 21). In priore parte Actuum (1-21) *Wendt* opinatur solum in narratione de Stephano statui posse cum aliqua probabilitate usum alicuius fontis scripti; partes illas *nos* signatas desumptas quidem esse ex fonte, at variis rebus miris et plane incredibilibus aspersas (Apostelg. p. 18. 19). Secundum *B. Weiss* prior pars 1,14-8,4 desumpta est ex fonte iudaeochristiano a spectatore quodam et teste rerum conscripto, cui tamen Lucas varia addiderit; etiam 8,5-15,33 varias partes ex illo fonte proponi; reliqua a Luca teste rerum enarrari. Aliter *Hilgenfeld* (Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie 1895. 1896) qui tres fontes adhibitos dicit ab auctore ad Theophilum, quos tamen variis additis rebus et auxerit et mutaverit, ut scil. suo eos consilio inservire faceret; adhibuisse fontem A quem vocare licet πράξεις Πέτρου pro rebus usque ad 12,23; dein fontem B πράξεις τῶν ἑπτὰ pro cap. 8. 9; dein fontem C πράξεις Παύλου, quem tamen fontem plurimum mutaverit, ut scil. Paulum demonstraret semper consensisse cum aliis apostolis; ita ab eo plane aliter atque in fonte describi 9,26-30; 11,30; 10,1-11,18; 13,25. 27. 38. 39. 42. 45-47. 50. 51; 14,19. 20; 15,7 etc. 16,13. 16. 24-34 etc. (cf. l. c. 1896 p. 555). Aliqua in Comment. commemorabo.

Adscribam aliqua exempla, quibus cernitur, in quam diversas partes critici abeant suam quisque indolem a ceteris diversam secuti. Ita *Weiss* attribuit 2,41. 42 fonti, 2,43-47 redactori; *Spitta* fonti A 2,41. 42. 45-47; fonti B 2,43; redactori 2,44; *Hilg.* attribuit redactori 2,41 b (de numero trium millium) v. 43. 45. In 3,1-4,22 *Sorof* agnoscit fontem petrinum, cui redactor addiderit 4,4; *Feine* fontem iudaeochristianum, cui auctor Actuum inseruerit 3,8 b-10. 4,1-3; 4,5-7 a. 13-17; *Spitta* fontem A, cui redactor aliqua addiderit, uti 3,9; aliter *Hilg.* — Et 5,12-42 attribuit *Sorof* redactori qui id ex fonte petrino desumpserit; *Feine* suo fonti adscribit 5,12-16. 23-35. 37-42; auctori Actuum v. 17-24; redactori v. 36; *Spitta* fonti A adiungit

5,12 b. 13. 14; fonti B 5,12 a. 15-24 a. 25. 34-39; redactori 5,24 b. 26-33. 40-42. Etiam oratio Stephani ab aliquibus discerpitur; *Feine* putat duas orationes olim exstitisse, quas auctor in unam coniunxerit; ex eodem fonte ex quo 6,1-6 fluxisse orationem 7,2-21. 29-34. 44-50; alteram depromptam ex peculiari fonte hierosolymitano 7,22-28. 35-43. 51-53; secundum *Clemen* oratio deprompta est ex historia quadam Hellenistarum, cui v. 37 ex historia Petri additum censet. Pariter diverso modo iudicium ferunt de historia Philippi 8,4-40; ex fonte petrino eam esse excerptam arbitratur *Sorof*; ex fonte illo deteriore B, cui redactor addiderit 8,40 b censet *Spitta*; *Clemen* adscribit 8,4-13. 18-24 (retractata tamen) 26-40 historiae Petri; sed « redactorem antiiudaicum » inseruisse 8,14-25. Narrationem de Pauli conversione 9,1-31 *Spitta* fonti deteriori B, *Clemen* redactori antiiudaico attribuunt; alius criticus *Jüngst* dividit narrationem inter tres : 9,1-5. 22 b c-25. 30 b fonti tribuit A, 9,6-15 fonti B; redactori 9,2 ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, 9,10 μαθητὴς, 9,16. 20 b-22 a. 29-30 a.

Quam inter se dissentientes sint critici, disci potest ex modo quo de 9, 31-12,25 iudicant. Genuino Lucae scripto *Sorof* attribuit 11,19-30 et 12,25; hisce addidisse Timotheum ex fonte petrino 9,32-11,18 et 12,3-23 et ex suo 11,18. 12,1. 2. 24. Pertinere ad Acta Petri 9,32-11,18. 12,3-19, ad Acta Pauli 11,19-30 tamquam ad fontes *van Manen* censet; *Spitta* fontem suum A cernit in 11,19 (8,4)-21. 27-30. 12,25; fontem B 9,32-11,18; 11,23. 24 a. 25. 26. 12,1-24; reliqua addita esse a redactore. Ad fontem « historiam Hellenistarum » refert *Clemen* 11,19-21. 24 a. 26; ad redactorem antiiudaicum 9,32-10,35. 37 a. 38-11,15. 17. 18; ad redactorem 10,36. 37 b. 11,16. 22. 23. 24 b. 25. 27-30. 12,1-25. Spectare ait *Jüngst* ad fontem suum A 11, 19-23. 25-30. 12,25 a. b; ad fontem suum B 9,31-10, 35. 10,44-11,15. 17 a. c. 12,1-3. 4 c-5 a. 6 c. d-14. 15 c-17. 19-23; reliqua addita esse a redactore.

Sed haec sufficiunt; deprompsi ea exempla ex Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie 1895, ubi *Hilg.* et suum aliorumque dividendi modum proponit; alia eiusdem rei exempla idem affert l. c. 1896 p. 24. 60. 177. 351. 517. 534. Variorum de fontibus figmenta invenies quoque apud *Holtzmann*, Einleitung 3. ed. p. 394.

Contra haec theologorum acatholicorum in varias partes iudicia afferre liceat quae inter alia philologus *Blass* saniore usus ingenio scribit : « de maiore Actorum parte ne instituenda quidem est quaestio, ex quibus auctoribus haec petita sint, multoque minus sunt ea ex usu vel primae personae pluralis vel tertiae in particulas discerpenda ». Dein exsequitur quomodo Lucas minime opus habuerit libro ad enarranda ea quae ad ecclesiam hierosolymitanam, ad Petri facta, ad Philippi facta pertineant, quia conversatus sit cum Marco, Mariae hierosolymitanae filio et Petri comite et interprete, cum Philippo, cum Barnaba (ed. phil. p. 10 seq.); eo itaque modo Lucam antiochenum, comitem Pauli, materiam collegisse. « Collectam undique materiam scriptor ita digessit et disposuit, ut narratio fieret paene continua, non solum inde a cap. 13, sed etiam in parte priore.

Recta quidem via ea procedit usque ad mortem Stephani; inde fit cum dispersione discipulorum narrationis quoque divisio tripartita, cum et de Philippo narrandum sit et de Petro et de Paulo, nisi etiam quartam statuere volueris, de initiis ecclesiae antiochenae... Addenda est tertia laus scriptoris, quod per totum opus continuus est progressus, semperque ea quae excipiunt maiora vel ampliora sunt prioribus » (l. c. p. 12). Similem in modum disputat Al. Schäfer l. c. p. 295 seq.

Bene quoque scribit Rose O. Pr. in periodico *Revue biblique*, 1898 p. 339 (la critique nouvelle et les Actes des Apôtres) : Ce que nous blâmons chez ces critiques, ce n'est pas leur préoccupation et leur zèle dans la recherche des sources, c'est l'esprit qui les dirige et qui stimule leur activité. Ils soulignent avant tout les textes obscurs, ils grossissent les difficultés, les déclarent contradictoires et incohérentes avant d'essayer de les résoudre... Accuser le rédacteur d'inintelligence et d'incurie, le rendre responsable de maladresses flagrantes nous semble bien osé, surtout quand on déclare saint Luc l'auteur du livre, un témoin attentif et scrupuleux par conséquent, qui a la préoccupation de bien voir, de se rendre bien compte, d'écrire avec ordre et exactitude.

Leur attention ayant été absorbée par les infiniment petits, distraite par la revue détaillée de tous les textes, ils ont négligé le seul point de vue qui pouvait éclairer leur critique. On a remarqué que, malgré la diversité des matériaux, des faits, des personnages et des temps, un même dessein se montrait dans le livre des Actes, qu'un même esprit circulait dans tous les épisodes, que le style, quoique autrement coloré dans les deux parties, avait cependant çà et là, dans l'une et dans l'autre, des ressemblances caractéristiques; on a noté surtout cet accent de triomphe bien net, bien détaché, qui sonne comme un refrain, pour conclure chaque narration importante, chaque discours signalé.

III. — De ratione temporis.

Uti *Orosius* refert, quarto anno Claudii fames gravissima per Syriam facta est (*Orosius*, 7,6) i. e. anno 44 p. Ch.; eius famis *Iosephus* quoque mentionem facit (Antiq. 3,15,3; 20,2,6; 20,5,2) quam pariter sub Claudio et temporibus Cuspii Fadi et Tiberii Alexandri procuratorum Iudaeam afflixisse scribit. Cuspius Fadus missus est procurator post mortem Agrippae, qui autumno anni 44 in Palaestinam advenit; Tiberius Alexander munus gessit usque ad annum 48. Cum igitur *Iosephus* dicat iis procuratoribus Iudaeam fame afflictam esse, censet *Belser* initium famis non cum Orosio ad annum 44, sed ad 45-46 referendum esse (Theol. Qu. 1898 p. 354). Sed cum *Iosephus* nihil dicat de *initio* famis, sed solum famem eo tempore afflixisse Iudaeam, nihil obstat quominus cum Orosio famem factam esse i. e. incepisse dicamus anno 44. Inde itaque certum tempus colligitur pro iis quae

Act. 11,25 seq. narrantur. Fames illa praedicitur ab Agabo, mittuntur subsidia, Barnabas et Saulus mittuntur Ierusalem. Haec igitur ante intium famis contigisse censenda erunt, proin ineunte anno 44; nam famem non incepisse nisi anno 44 ad finem vergente ex 12,20 colligitur, quia aliquo tempore ante mortem Agrippae Tyrii et Sidonii profitentur regiones suas ali ex Palaestina, unde eo tempore quo haec dicunt, Palaestina nondum poterat esse fame afflicta.

Inde quoque colligitur tempus quo Barnabas Saulum Tarso Antiochiam adduxit; ibi enim annum totum conversati sunt et illis diebus vaticinium de fame editum est.

Paulus advenit Corinthum aliquo tempore postquam Claudius omnes Iudaeos Roma discedere iussit, quod decretum anno Claudii nono (*Orosius* 7,15) i. e. 49 p. Ch. editum est. Paulus enim Corinthi invenit Aquilam et Priscillam, qui nuper (προσφάτως recens) ab Italia venerant propter illud decretum (18,2). Si itaque annus ab Orosio recte assignatur, Paulus exeunte anno 49 (*Belser*) vel anno 50 Corinthum advenit. Verum dubitant alii, num iam anno 49 eo modo Claudius in Iudaeos animadverterit. Falso nempe Orosius provocat ad Iosephum qui ea de re silet; dein Agrippa quem Claudius valde diligebat, ab initio regni Claudii usque ad annum 50 Romae degebat, quo praesente valde improbabile videtur eiusmodi decretum esse editum. Quare alii decretum illud ad annum 51 referunt (cf. *Cornely*, Introd. III 2 ed. p. 343), vel ad 50/51 (*Belser* l. c. p. 371).

Multo magis implicata est quaestio quando Felix in Palaestinam venerit, quando Felix successorem Festum acceperit. Uti *Tacitus* narrat, Felix simul cum Ventidio Cumano erat in Palaestina, ita ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent; unde secundum eum ad annum 52 Felix dici potest iam pridem Iudaeae impositus (Annal. 12, 54). Si illa divisio facta est, simul ac post Tiberium Alexandrum Cumanus munere fungi coepit, Felix iam ab anno 48 erat in Palaestina. Et secundum versionem armenam chronici Eusebii Festus mittitur in Felicis locum anno 14. Claudii i. e. anno 54; sed secundum ipsum chronicon et Hieronymum anno 2 Neronis i. e. anno 56 (cf. Eus. Chr. Schoene II p. 152. 154. 155). Quam computandi rationem aliqui sequuntur; ita *Kellner* Felicem munere defunctum dicit novembri 54 (cf. Kirchenlexicon 2. ed. IV p. 1312; Katholik 1887 I p. 146 seq. Zeitschrift für kath. Theologie 1888 p. 640 etc. Historisches Jahrbuch 1887 p. 222), *Weber* aestate 55 (Kritische Geschichte der Exegese des 9. Cap. des Römerbriefes p. 177 seq.) *Harnack* anno 56 (Chronologie, Leipzig 1897 p. 233 seq.), ad quam computandi rationem etiam *Blass* accedit (p. 21 seq.).

Verum si ea expenduntur quae *Iosephus* narrat, alia computandi ratio exoritur. Apud Iosephum nihil habetur de illa provinciae divisione inter Cumanum et Felicem, de qua Tacitus scribit. Secundum Iosephum procuratores ita inter se excipiunt: mortuo Agrippa I (anno 44) Cuspius Fadus, dein Tiberius Alexander, Cumanus; narrat Iosephus, quomodo Cumanus a Quadrato iussus sit in Italiam discedere ad Imperatorem et Cumanus sit in exsilium actus; dein scribit Felicem missum esse a Claudio ut rebus in Iudaea praeesset, et immediate adiungit quae Claudius anno duodecimo imperii sui completo Agrippae donaverit (Antiq. 19,9,2. 20,5,2; 20,6,3. 7,1). Unde Iosephus adventum Felicis procuratoris ad annum 52 referri videtur. Etiam altero loco (Bell. iud. 2,12,8) scribit Cumani exsilio commemorato : μετὰ ταῦτα Ἰουδαίας μὲν ἐπίτροπον Φήλικα ἐκπέμπει et iterum donationem Agrippae narrat, cui subiungit : « ipse autem Claudius cum annos tredecim imperium administrasset et menses octo et dies viginti vita decessit ». Unde iterum clare affirmat et Felicem *post* Cumanum esse missum et id ad ultimos Claudii annos pertinere, ita ut missio Felicis etiam forte ad annum 53 possit reiici. Iam vero planum est, si Felix anno 52 procurator missus est, fieri non posse, ut Paulus anno 54 ad eum loquens dicat : ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens (24,10).

Praeterea alia reperiuntur indicia quibus satis demonstratur fieri non posse, ut Felix iam anno 55 vel 56 sit a procuratione remotus. Cum enim avocatus esset, primores Iudaeorum accusationem contra eum instituerunt et dedisset omnino poenas iniuriarum, nisi Nero fratris eius Pallantis qui tum maxime apud eum in honore erat precibus supplicibus multa indulsisset (Antiq. 20,8,9). Iam vero Tacito referente certum est Pallantem anno 55 a Nerone cura rerum fuisse demotum (Annal. 13,13) et quamvis a crimine coniurationis contra Neronem absolveretur, tamen Neroni erat exosus : nec tam grata Pallantis innocentia quam gravis superbia fuit (Annal. 13,23). Proin anno 55.56 Pallas minime erat in magno apud Neronem honore et eo tempore non valuisset apud Neronem quidquam impetrare pro fratre reo. Facile autem fieri potuit, ut postea Pallas iterum in gratiam Neronis rediret, qui eius immensam pecuniam appetebat (Annal. 14,65). Narrat *Iosephus* (Vita 3) se post vitae suae annum 26 Romam esse profectum, ut viam salutis inveniret quibusdam sacerdotibus piis ac bonis, quos ob culpam leviculam Felix procurator Romam miserat causam apud Caesarem dicturos. Iam Iosephus natus erat anno primo principatus Caii Caesaris (Vita 1) i. e. inter 16 martium 37-38; eius nativitas autem referri debebit ad annum 38; nam Antiq. 20,11,2

dicit se anno imperii Domitiani Caesaris tertio decimo (i. e. anno 94 p. Ch.) agere aetatis suae annum 56. Iter ergo illud romanum instituit (38 + 26) anno 64 p. Ch. Atqui incredibile est eum tum demum de illis iuvandis cogitasse, cum iam per plus octo annos Romae detinerentur. Ergo ex hac quoque narratione fieri nequit, ut Festus iam anno 55 vel 56 sit avocatus.

Idem colligitur ex alia narratione. Refert *Iosephus* (Antiq. 20,8,10) Festum cum in Iudaeam advenisset copias misisse contra sicarios; dein statim subdit narrationem, cur proceres Iudaeorum legatos ad Neronem miserint, quibus Nero gratificatus τῇ γυναικὶ Ποππηίᾳ χαριζόμενος petita concessit. Hanc narrationem incipit scribens κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον; eam igitur aliquo modo cum adventu Festi connectit. Poppaea autem uxor Neronis facta est anno 62; sed etsi Iosephus eam ita vocasset per anticipationem, tamen designaretur tempus quo iam apud Neronem multum valebat, ergo tempus post annum 58. Quod tempus etiam omnino exigitur, quia Helcia et Ismaele obsidum loco a Nerone retentis Agrippa pontificatum detulit Iosepho Cabi; sed hic hoc munus gessit 61-62 et Iosephus pergit : Caesar autem audita Festi morte Albinum in Iudaeam misit praesidem. Albinus autem aestate 62 in Palaestinam advenit. Festum vero haud diu munere functum esse etiam ex paucis illis colligitur quae de eo referuntur (Antiq. 20,8,9-11).

Contendit quidem *Kellner* ex lege ac consuetudine romana defuncto Claudio, a quo Felix missus erat procurator, etiam munus et auctoritatem Felicis exspirasse. Quidquid est de tali norma generali, eam tamen ad Felicem posse applicari negandum est. Nam *Iosephus* explicite dicit : Νέρων ... εἰς δὲ τὴν λοιπὴν Ἰουδαίαν Φήλικα κατέστησεν ἐπίτροπον (Bell. iud. 2,13,2) et haec scribit postquam paucis lineis antea dixerat Felicem a Claudio esse missum procuratorem (l. c. 2,12,8) et postquam de primo Neronis anno narravit, sat multa subdit quae Felix in Iudaea gessit, latrones et impostores esse sublatos, Eleazarum captum et Romam missum, Ionatham pontificem occisum, Aegyptium vatem et impostorem esse fuga elapsum, tumultum fuisse Caesareae Syros inter et Iudaeos; haec Iosephus in utroque opere narrat postquam de Neronis imperio loqui coepit (Antiq. 20,8,4-8. Bell. iud. 2,13,2-7) et ultimo loco explicite addit de illo tumultu : vigente autem seditione nobiliores ex utraque parte delectos Felix ad Neronem misit de iure suo disceptaturos. Dein narrat Festum a Nerone accepisse τὴν ἐπιτροπήν. Nonne audacius est haec omnia affirmare falso a Iosepho tempori Neronis adscribi ? Neque iuvat provocare ad versionem armenam chronici Eusebii. Nam ipse Eusebius in libro historiae eccl. clare

asserit Felicem sub Nerone procuratorem Iudaeae fuisse (h. e. 2,20; *M.* 20, 189).

Ex hisce igitur tempus captivitatis caesareensis et itineris romani colligendum est. Unde captivitas caesareensis refertur ad annum 57-59, vel 58-60 (cf. *Aberle*, Theol. Quartalschrift 1883 p. 569; *Schanz*, Historisches Jahrbuch 1887 p. 199-222; *Cornely*, Introd. III p. 342, 376; *Felten*, Apostelgeschichte p. 39; *Belser*, Theol. Quart. 1898 p. 353-379; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes I p. 484, qui sententiae a *Wurm* propositae subscribit, Felicem esse avocatum probabiliter anno 60; posse tamen dici terminum priorem annum 58, terminum postremum annum 61).

Cetera quae ex Actibus desumi possunt, fere reducuntur ad 2,42-47; 4,32-35; 5,12-16; modo enim loquendi et conditiones fidelium describendi longiora temporis intervalla designantur, uti *Belser* l. c. p. 357 bene adnotat et merito reiicit sententiam, ab Harnack enuntiatam, omnia quae Act. cap. 1-8 usque ad conversionem Pauli referantur evenire potuisse tempore sex vel duodecim mensium. Ex epistolis paulinis ad temporis rationem spectant quae scribit Gal. 1,18; 2,1. Ex paucis istis chronologia est componenda. Crescit difficultas, quia ne de anno quidem mortis Christi constat. Unde mirum non est alia ab aliis statui. Addam quae Cornely et Belser ea de re proponunt locis modo allegatis

	Cornely	*Belser*
Conversio Pauli anno	34	35 (32)
Primum iter apostolicum	post 44 per 2-3 an.	45 (46)-48 incl.
Concilium apostolorum	51	49
Alterum iter apostolicum	51-54	49-52
Tertium iter	55-59	52-57
Captivitas caesareensis	59-61	57-59
Adventus Romam	62	60
Captivitas romana	62-64	60-62
Liberatur	ante aestatem 64	aestate 62.

IV. — De textu Actuum.

Inter testes textus Actuum id singulare reperitur, quod minor quaedam pars testium multo magis quam alias id deprehendi solet a longe maiore parte testium recedit. Testes quibus minor eaque diversa classis constituitur sunt codex D cantabrigensis saec. 6 (qui tamen in aliquibus partibus mutilus est; desunt v. g. 8,29-10,14; 21,2-10; 22,29

usque ad finem), codex quidam latinus palimpsestus, floriacensis, fragmenta quaedam continens, cuius cum textu Cyprianus episcopus carthaginiensis congruere deprehenditur; item in aliquibus Augustinus; codex graecus n. 137 signatus, versio syriaca philoxeniana, sahidica, versio illa latina quam praebet « gigas librorum » (edidit Belsheim, Christiania 1879), codex laudianus E, eiusque versio latina e, Irenaeus quoque et Lucifer caralitanus pro aliquibus locis ad hanc classem pertinent. Neque tamen omnes hi testes omnia eodem modo efferunt; apud aliquos pauca solum reperiuntur singularia; saepius unus vel duo praebent lectionem singularem aliis tacentibus vel deficientibus. Praecipua vel quae alicuius momenti esse videbantur, adnotavi vel inter lectiones variantes vel in commentario.

In hoc discrimen textus accurate inquisivit *Blass* (edit. phil. p. 24 seq.) et tantam invenit diversitatem, ut scribat : « interest sane multum inter utrumque genus, ut necessarium sit duas Actorum recensiones statuere, alteram paullo prolixiorem, alteram breviorem, alteram plerisque non satis notam, alteram quae in omnium manibus sit ». Et alio loco : « cum enim manifestum sit, bina eorum exempla paene ab initio fuisse, alterum quod primum Lucas conscripserat, alterum perpurgatum quod Theophilo miserat — hoc Actorum primum exemplar, postquam Romae confectum est, vel mansit ibidem vel Christianis romanis ab auctore ad describendum commodatum est. Altera autem forma, hanc vulgatam dico, Orientis ab initio fuit, ubi Theophilum illum vixisse et veteres putaverunt et ego puto ». (Acta apostolorum, secundum formam quae videtur romanam, Lipsiae 1896 p. VII). Secundum hanc sententiam Lucas prius scripsit exemplar illud prolixius, quandoque minus perpolitum, cuius forma cernitur in D aliisque; verum Theophilo misit exemplar alterum in pluribus brevius, in genere dicendi castigatum magis et expolitum, cuius formam praebent codices plerique et versiones. Et *Blass* quidem intime persuasum habet illam utriusque formae diversitatem aliter non posse explicari, nisi ut dicatur eam profectam esse ab ipso auctore : « nego potuisse quemquam qui a rebus illis alienus esset addere quae non paucis locis in β (ita priorem formam designat, α textus formam usitatam) ex intima rerum cognitione addita sunt » (ed. phil. p. 31).

Neque desunt qui eius sententiam adoptarunt. Ita eam omnino approbat et quibusdam argumentis excoluit *Belser,* Beiträge zur Erklärung der Apostelg. Freiburg i. Br. 1897; item *Nestle, Zoeckler*, alii. Ad quam sententiam firmandam monuerunt haud desiderari exempla alia duplicis alicuius scripti editionis; ita duplicem recensionem re-

periri orationis philippicae tertiae Demosthenis, Tertullianum testari opus adversus Marcionem ter a se scriptum esse, Eusebium de martyribus Palaestinae et brevius scripsisse et iterum fusius, Apollodori χρονικῶν duplicem editionem et Longini Ἀττικῶν ὀνομάτων ἐκδόσεις δύο a Suida testatas, Ciceronis Academicorum editiones duas (cf. *Blass*, Acta p. VI). — Alii tamen sententiam duplicis recensionis reiiciebant, quae in periodico Revue biblique (1895 p. 293) appellatur un paradoxe pur et simple; eam non admittunt *Felten* (Literarische Rundschau, 1898 p. 103), *H. Holtzmann*, *Hilgenfeld* alii, qui tamen non negant aliquas lectiones omnino meliores et genuinas in textu illo β contineri. Sententiam a *Blass* propositam esse consideratione dignam *Trenkle* censet (Einleitung p. 143); eam hypothesin solum commemorat *Al. Schäfer* (p. 297).

Quid ergo concludendum? certum videtur lectiones quasdam genuinas ibi esse servatas; aliqua quae differunt ad emendationem amanuensium referri posse vix negari poterit; de aliis quidquam certi statuere velle post tot et tantas codicum, versionum vicissitudines merito videri potest res nimium salebrosa. Quis enim omnium illorum scribarum, interpretum, librariorum, emendatorum, mentes, ingenia, mores, indolem ita perspecta habet ut apud se decernat quid illi audere et efficere non potuerint? Non contradico, si qui se id praestare posse arbitrantur. Suum quisque iudicium excolat, sequatur. Quare subiicio qua ratione *Blass* ostendat per emendatorem neque textum β ex α, neque textum α ex β efformari potuisse : « nego voluisse aliquem Acta ita refingere, ut esse in β videmus. Non perspicua magis narratio reddenda erat, nisi paucis locis, brevior fortasse reddi poterat, sed ille reddidit etiam prolixiorem, non elegantiam sectatus est, non mutavit sententias; cur igitur omnino quidquam mutavit? An quia mutando delectabatur, indulgens genio? Ergo cito futurum erat ut fessus desisteret, quia utique animi acri intentione opus erat, ne quid falsi inferret; ille autem usque ad extremum librum perseveravit. Verba quoque ipsa non temere erant ponenda, sed cavendum ne quid in eis cum ceteris discreparet; aut, si hoc opus esse non putasset, facile nunc ex colore dictionis aliena additamenta deprehenderemus. At non deprehendimus, immo eundem plane colorem videmus; itaque edidicerat ille fortasse totum libellum, ut exacte eius dictionem imitari posset. Sed cur id voluisse dicamus? Est profecto hac ratione desistendum, si quidem probabilitatem sequamur. At si nequit β ex α probabili ratione derivari, fortasse α ex β poterit. Erat igitur homini illi quem fingimus in recidendis superfluis maxima pars negotii, neque dici potest neminem ei operi parem

fuisse, etsi potest dici non facile quemquam opus non prorsus sine molestia nec fructuosum vel utile suscipere voluisse. Sed alia oritur vix minor difficultas : qua enim ille ratione aut quibus artibus efficere potuit, ut mox mutilata libri forma in omnium paene manibus esset, integra in paucorum? — Iam igitur quid relinquitur, nisi ut ad auctorem ipsum utramque formam referamus? Ei nempe neque facultas deesse poterat neque voluntas, si quidem bis librum suum scripsit; nemo enim hoc cum facit ad verbum sua describere solet, sed passim mutare maximeque omittere quae supervacua videantur » (ed. phil. p. 31). Habes itaque quae in diversitate illa expendas oportet ad sententiam efformandam.

Et *de Lagarde* quidem iam anno 1857 hoc tulit iudicium : « dubium esse nullo modo potest quin in codice evangeliorum et actuum cantabrigiensi servata sit non quidem manus apostolorum, sed editio quae emendatorum orthodoxorum temeritate corrupta non esset » (cf. *Nestle*, Philologia sacra, Berlin 1896, p. 6). Atque id effecit *Blass* sua inquisitione, ut iam multi fateantur, codicem illum D minime esse negligendum, verum sedulo potius explorandum examinandumque priore contemptu quo habebatur reiecto.

V. — De subsidiis interpretationis.

Narratio Actuum satis simplex et plana veteribus visa est. Unde in ea explananda haud multum laborarunt. Primus eius narrationis interpres nominandus est *S. Chrysostomus* (*Chr.*) qui in 55 homiliis textum percurrit satis breviter longioribus admonitionibus et applicationibus adiectis. Id habet singulare, ut aliqua longiore parte exposita ad priora alio modo repetenda recurrat : « sed superiora repetamus » ἀλλ' ἴδωμεν ἄνωθεν τὰ εἰρημένα. Sed haec eius commentatio inter scripta eius exegetica infimo loco erit ponenda (*M.* 60,13-384). Huc quoque pertinent quattuor homiliae : in illud : Saulus adhuc spirans etc. et de mutatione nominum (*M.* 51, 113 seq.). Eum satis presse secutus est *Oecumenius* (*Oec.*), *M.* 118,29-308; eius sententias quoque exprimit *Theophylactus* (*Theoph.*), cuius duae expositiones prostant *M.* 125,496 seq. et 850 seq. graece et latine atque tertia 1061 solum graece, quae tertia tandem ex duabus prioribus plerumque est conflata. In catena graecorum Patrum in Acta, quam edidit *Cramer*, Oxonii 1844, sententiae et expositiones referuntur Ammonii, alicuius Anonymi, Apollinaris, Arsenii, Athanasii, Basilii, Chrysostomi (qui longe plurima suppeditavit), Clementis alex. Cyrilli, Dionysii, Epiphanii, Irenaei, Isidori etc. etc. Inter latinos commemorat Cassiodorius

Tychonium Donatistam hunc librum subtiliter et diligenter exposuisse; ipse *Cassiodorius* breves scripsit « Complexiones Actuum Apostolorum » (*M.* 70,1381-1406). Paraphrasin Actuum carmine heroico dedit *Arator* in libris duobus (*M.* 78,71 seq.), qui ut Beda dicit, « nonnullos in eodem metro allegoriae flores admiscuit, occasionem mihi tribuens vel alia ex his colligendi vel eadem planius exponendi »; ipse *Beda* qui in expositione Actuum se maxime adiutum dicit isto opere Aratoris duo opuscula in Actus conscripsit; priori enim expositioni (*M.* 92,939-996) addidit librum retractationis in Actus (l. c. 995-1032) « studio maxime vel addendi quae minus dicta vel emendandi quae secus quam placuit dicta videbantur; in quo etiam quae in graeco sive aliter seu plus aut minus posita vidimus, breviter commemorare curavimus » et ea in re *Beda* quoque saepius pro textu β testis exsistit.

Ex medio aevo nominandae sunt Postillae Card. *Hugonis, Nicolai Lyrani* et *Dionysii Carthusiani* (*Dion.*) luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis sive commentaria; idem quoque epitomen brevem Actuum conscripsit; brevem etiam Commentarium *Caietanus* (*Cai.*) reliquit. In vasto illo opere « Critici sacri » continentur scholia Laur. Vallae, Erasmi, Vatabli, Clarii, Lucae brugensis, Grotii, Drusii, Casauboni etc. In opere Venetiis edito : Biblia sacra cum selectissimis litteralibus Commentariis (1756) exhibentur notationes a Sa, Estio, Mariana, Menochio, Tirino, Gordono. Praestant *Gagnaei* « Scholia in Actus ex praecipuis tam Graecorum quam Latinorum sententiis selecta », *Ariae Montani* « Elucidationes in Acta »; eminent commentarii *Lorini, Casp. Sanctii;* longiores disquisitiones variasque quaestiones textu exposito tractat *Salmeron* tomo 12. De aliorum lucubrationibus vide *Cornely,* Introd. III 2 ed. p. 347. Eos qui totam s. Scripturam commentariis illustrarunt, uti *Cornelius a Lapide* (*Lap.*), *Calmetus,* etc. enumerare non opus est; saepius iam tum in Introd. tum in Commentariis eorum mentio facta est. In « Cursu completo » quem Migne edendum curavit proponuntur Commentaria in Actus *Haraei* cum aliorum annotationibus et « dilucidatae quaestiones auctore Wouters » (Scripturae s. Cursus completus t. 23 p. 1125-1463).

Ex recentiore tempore praecipue commendandi sunt commentarii quos ediderunt *Beelen, Patritius, Bisping, Van Steenkiste, Crellier, Felten;* hisce addendi sunt, qui etsi non integros commentarios scripserint, tamen plurimis commentationibus historiam Actuum et textum illustrarunt : *Hake,* Pragmatisch-systematische Darlegung der Apostelgeschichte, *Camus,* L'oeuvre des apôtres, *Belser,* Studien

zur Apostelgeschichte in periodico Theologische Quartalschrift 1895 (p. 50. 229) et : Beiträge zur Erklaerung der Apostelgeschichte, Freiburg i. Br. 1897. Aliqua ad accuratam rerum narrationem demonstrandam valde utilia praebet *Vigouroux*, Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques modernes, Paris 1890.

Ex commentariis acatholicis sufficiet nominare *Wendt*, Handbuch über die Apostelgeschichte, Göttingen 1888; *B. Weiss*, Die Apostelgeschichte, Leipzig 1893; *Blass*, Acta apostolorum, editio philologica, Göttingen 1895. Addo disquisitiones criticas, quas supra iam commemoravi : *Hilgenfeld*, Die Apostelgeschichte nach ihren Quellschriften untersucht in periodico : Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, Leipzig 1895. 1896. Alia quaedam adminicula suis locis in Commentario laudata invenies.

Pro lectionibus variantibus, quas textui codicis vaticani B (descripto secundum Tischendorf et Westcott-Hort) et vulgatae translationi subieci, haec accipe explicationis gratia : א codex sinaiticus saec. 4; A cod. alex. saec. 5; B cod. vatic. saec. 4; C cod. Ephr. paris. saec. 5; D cod. cantabrig. (etiam Bezae dictus) saec. 6; E cod. laudianus saec. 6 exeuntis; G fragmentum petropolitanum saec. 7; H cod. mutinensis saec. 9; L cod. angelic. romanus saec. 9; P cod. palimps. porfirianus saec. 9.

Versiones : vulg vel vg (vulgata), aeth sah (aethiopica, sahidica) etc. syr vel sch (versio syriaca simplex, peschitto), ph (versio syriaca philoxeniana, a Philoxeno, episcopo hierapolitano nomen habet, qui eam per Polycarpum chorepiscopum suum faciendam curavit anno 508) ph (mg) ph c* sunt lectiones illae quas Thomas charkelensis anno 616 aliis duobus adhibitis graecis codicibus ei versioni addidit vel in margine (mg) vel signis criticis additis in ipso textu (c*); cf. *Cornely*, Introd. I, 2 ed. p. 435; gig (cod. latinus saec. 13); fl (floriacensis) cod. lat. palimps.

Codices vulg. : am (amiatinus saec. 7), fuld fu (fuldensis saec. 6), demid (demidovianus saec. 12), tol (toletanus saec. 7), lux (luxoviense lectionarium saec. 8). Nomina ss. Patrum quae brevi signo ponuntur (Chr i. e. Chrysostomus) explicatione non indigent.

Prooemium 1,1-3.

Actus Apostolorum

1,1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Iesus facere et docere; 2. Usque in diem qua praecipiens apostolus per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est; 3. Quibus et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.

Πράξεις Ἀποστόλων

1,1. Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων, ὦ Θεόφιλε, ὧν ἤρξατο Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, 2. ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις διὰ Πνεύματος Ἁγίου, οὓς ἐξελέξατο, ἀνελήμφθη. 3. οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν, ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ.

Inscriptionem πρ. απ. exhibent B D, א in subscriptione, Ath Euthal; quae inscriptio cum solum de aliquibus apostolis agatur apta est. Solum πραξεις praebet א

in inscriptione; sed haud recte censet Ti eam inscriptionem confirmari eo quod veteres saepius hoc solo nomine utantur (Or Eus Did Bas Epiph Theodrt Euthal Cosm Chron). Nam uti nos de Actibus loquimur et Actus laudamus, ita veteres quoque nominant πραξεις, utpote brevitatis causa de re notissima loquentes. Id eo se modo habere neque illos veteres ea brevitate titulum integrum asserere, elucet quia aliis in locis eidem fere pleniorem titulum omnino exhibent. Ita Eus. saepius : ταις των απ. πρ. (h. e. 2,17,6; 3,4,7; 3,25,1) item Theodrt; cf. Ti. Sat multi minusc. addunt articulum πρ. των απ.; alii codices πρ. των αγιων απ., A² E G H ad calcem libri. Apud latinos : actus ap. et etiam acta (Tert Cyp Hil). Titulus πραξεις απ. sane valde antiquus est et ita sua antiquitate quasi consecratus, ut ipsa vox πραξεις in versionibus syr cop sit retenta. In v. 2 add D εξελεξατο και εκελευσε κηρυσσειν το ευαγγελιον, sim ph in marg, Aug quo apostolos elegit per Sp. s. mandans eis praedicare evangelium (de unit. eccl. 27; contra ep. manich 10; act. fel. manich 1,4); Vig c. Varim. 733 elegit per Sp. s. praedicare ev; gig quod praecepit ap. per Sp. s. praedicare ev quos elegerat; etiam sah add praedicare evangelium; item lux praecipiens ap. per Sp. s. praedicare ev.

Hoc quasi prologo liber hic connectitur priori et quae ibi in parte extrema narrata sunt accuratius determinantur. Primus, vel potius prior sermo est evangelium eidem Theophilo inscriptum; vide Comment. in Lucam p. 37 seq.; πρῶτον legitur; nam πρότερος cum aliis quae dualem numerum denotant ex usu linguae popularis exoleverat (*Bl.*); appellabantur rerum scriptores etiam λογοποιοί (*Patr.*); unde λόγον explica de narratione; etiam singuli libri vel volumina alicuius operis historici eo nomine designantur (Herodot. 2,38; 5,36; 7,93 etc.; Xenoph. Anab.); unde implicite liber Actuum δεύτερος λόγος nominatur. « De omnibus fecit sermonem eligendo de omnibus unde faceret sermonem » (*Aug.* de cons. ev. 4, 8); facile deprehendes popularem loquendi rationem, qua multa esse narrata significatur ex quibus de reliquis omnibus coniectura fieri potest. Monet *Chr.* non dici πάντα, sed περὶ πάντων, quasi ἁδρομερῶς καὶ παχυμερῶς aut de omnibus quae competunt et urgent. Qui putant κράτιστος Luc. 1, 3 magistratum designare, censent Theophilum interea ea dignitate esse defunctum, quia absit titulus; ceterum vide ad Luc. 1,3. Facere et docere, totam designat Lucas vitam Christi et privatam ac publicam, miracula quoque modumque agendi cum variis hominum ordinibus et doctrinam. Illud vero *coepit* non una ratione explicant. Cum sequatur *usque in diem,* aliqui breviloquentiam statuunt : quae coepit et in quibus peragendis continuavit etc.; alii id referunt ratione habita apostolorum, qui quae Iesus coeperat[1] missione ac praedicatione continuabant. At communius verbum hoc

1. Verum tum exspectandum erat ὧν ἤρξατο ποιῶν etc.; neque placet quod *Patr.* habet : quae a principio fecit etc.; nam poni debuit ἀρξάμενος ἐποίησεν.

fere pleonastice addi existimant, ut sensus sit idem ac si dicatur : quae fecit et docuit; « est enim ἄρξασθαι cum inf. scriptoribus novi testamenti perquam usitatum, neque in eo magna vis inesse solet, quamvis plerumque sit quaedam » (*Bl.*); vide Luc. 3,8; 4,21; 5,21; 12,45; 13,25 etc.; emphasin alii deprehendunt viva quadam repraesentatione rerum, quae eo dicendi modo in animis legentium excitetur. Aptius iudicare videtur *Beel.* : reddendas esse utique voces illas *quae fecit*, ita tamen ut ea phrasi una innuatur aliquid *continui* fuisse in actu qui sic narratur.

Quoadusque narratio in evangelio perducta sit, enuntiatur in v. 2; cf. Luc. 24,50. 51; *usque in diem qua praecipiens* ἐντειλάμενος postquam scil. mandata dedit; quaenam dederit, satis innuitur Luc. 24, 47-50; cf. Matth. 28,18-20; Marc. 16,15; quare illud *praedicare evangelium* poterat omitti; *apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est;* ipsa verborum collocatione suadetur *per Spiritum* sanctum referri ad ἐντειλάμενος; atque Christum plenum Spiritu Sancto, in virtute Spiritus sancti munere suo functum, Lucas saepius innuit in priore libro 4,1. 14. 18; eo scil. Spiritu unctus (Is. 61,1) praecepta quoque dedit suis apostolis et quidem ita, ut simul eos Spiritu sancto afflaret quo iuvante illi praecepta intelligerent et exsequerentur (*Patr.*), uti antea dixerat : Spiritus sanctus docebit vos (Luc. 12,12). Eo modo plerique coniungunt (cf. *Chr. Oec. Patr. Beel. Bels. Hake, Felt.*); alii electionem per Spiritum factam esse explicant, quem sensum ipsa collocatione verborum alii indicant, uti versiones syr. aeth. (quos elegit per Sp. S.) item *Cyr. Aug. Vig.* (quo apostolos elegit per Sp. s.); sequuntur recentiores quoque (cf. *Wendt*). At cur hoc loco mentio fiat apostolos *olim* electos esse Spiritu s. dirigente, non apparet; non rem olim gestam, sed eam de qua nunc narrat, suis quasi conditionibus vestire velle scriptor censendus est.

Huic ex priore libro repetitioni aliquid addit v. 3 *quibus et praebuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei;* τεκμηρίοις documentis indubitatis, iisque *multis;* unde iam indicat paucissima solum in evangelio referri. Illud *per* 40 dies διὰ *inter* explicat *Chr.* : neque enim semper cum illis erat, ut ante resurrectionem; adveniebat enim et avolabat rursum. In illo itaque intervallo 40 dierum saepius se eis ostendit, apparuit, eosque de regno Dei, de sua Ecclesia edocuit. Quae docuerit, non refertur. At multa eum docuisse quis negare poterit? Merito assumitur apostolis tradita esse quae ad huius regni constitutionem, regimen, administrationem, propagationem, per

fectionem spectabant. Velint, nolint; debent acatholici fateri multa Christum docuisse quae scripta non sint. Est enim ridiculum quod *Wendt* innuit hanc de regno Dei locutionem promissione Spiritus sancti in v. 4. contineri et absolvi, ac si Christus per 40 dies saepius apparens nihil aliud habuisset quod loqueretur atque idem semper repetiisset. Apte effertur in Actuum apostolorum prooemio illos qui testes esse debebant resurrectionis et *multis* documentis indubitatis deprehendisse Iesum e mortuis viventem et simul edoctos esse de regno Dei quod scil. annuntiandum iis erat.

Isti dies 40 aliquibus criticis offensioni sunt (*Sorof, Spitta, Hilgenfeld,* Zeitschrift f. wissenschaftliche Theologie 1895 p. 71 seq.); volunt enim in evangelio Lucae narrari Christum eodem die quo resurrexerit etiam ascendisse in coelum. Qui benigniores sunt, statuunt tempore interiecto Lucam aliam accepisse traditionem (cf. *Wendt*); alii hic iam deprehendunt haec ex alio narrationis fonte eoque spurio esse illata. Sed utrumque falso asseritur. Lucas enim in ipso evangelio clare indicat resurrectionem et ascensionem *non* eodem die contigisse. Nam formula illa εἶπεν δὲ 24,44 et καὶ εἶπεν 24,46 Lucas etiam alias indicat eventum a priore separatum et remotum (cf. 16,1; 17,1; 18,1; 20,41; vide Comment. in Luc. p. 646). Dein Lucas non potuit ignorare Christum diutius in terra versatum esse. Comes enim Pauli certe novit quae Paulus refert 1 Cor. 15,5-8 de variis apparitionibus, quae profecto non uno eodemque die evenerunt. Item quomodo fieri posset, ut Lucas qui omnia diligenter ab initio inquisiverat, id ignoraret quod ex evangelica narratione apud Matthaeum et Marcum Christianis notum erat? quomodo scil. apostoli iussi sint abire in Galilaeam, ibique Iesum viderint in monte ubi constituerat illis Iesus (Matth. 28,7. 16 seq. Marc. 16,7. 14), et Paulus quoque in oratione antiochena (quam genuinam *Spitta* agnoscit) aperte dicit Iesum a mortuis suscitatum visum esse ἐπὶ ἡμέρας πλείους his qui simul ascenderant cum eo de Galilaea (Act. 13,30). Ceterum sufficit legere Luc. 24,44 seq. ut statim appareat non esse eam scriptoris mentem, qua docere velit Christum statim ascendisse. Nam reduces illi duo ex Emmaus noctu advenerunt (cf. Ioan. 20,19); dein Iesus apparet, discipulis ostendit manus et pedes, et ut omnem iis eximat dubitationem manducat coram eis et dat iis reliquias 24,36-43. Tunc narratur Iesum aperuisse illis sensum, ut intelligerent scripturas, et exposuisse quomodo omnia necesse fuisset impleri in se quae scripta essent in lege Moysi et prophetis et psalmis; dein edoctos esse apostolos de munere et argumento praedicationis, promissum esse Spiritum, iussos illos remanere in urbe. Iam hisce tantam rerum copiam indicat Lucas, ut ipsa copia clare indicet haec non nocte illa esse tractata; insuper sequeretur illud absurdum eadem nocte Iesum exisse cum eis in montem versus Bethaniam, noctu ascendisse in coelum et noctu apostolos cum gaudio magno regressos esse in urbem et in templum!

Sunt critici qui sententiam v. 1-3 valde implicatam ac perdifficilem inveniant sensumque obscurum. At nescio, ubi haec sit difficultas aut obscuritas; verba de se sunt plana, res iam nota ex evangelio, repetitur enim paucis quod in priore libro indicaverat. Alii offenduntur quia putant necessario prooemium ita debuisse componi, ut enuntiaretur quid iam in δευτέρῳ λόγῳ esset expositurus, quia praecedat quid πρώτῳ λόγῳ narraverit. Verum est particulae μὲν non respondere δέ, sed apud profanos quoque μὲν reperitur solitarium. Sed acuti illi frustra dicunt fieri non posse ut genuina nobis servata sit scriptio; nam quod illi volunt debuisse sequi τὸν δὲ δεύτερον λόγον περὶ etc., id sequi nullatenus potuit. Cur? quia secundum hunc sermonem seu librum incipit repetens ea quae in fine prioris dixerat iisque aliqua addens, qua ratione narratio ita iam texitur, ut designatio argumenti τοῦ δευτέρου λόγου iam non potuerit commode inferri. Et quis scriptorem prohibere potest ne scribat quod revera apte scripsit? Neque pro 40 diebus alius fons scriptus quem in evangelio nondum nosset statui debet. Lucas erat in urbe Ierusalem, saepius fuit cum Marco, Petri comite; non deerat occasio qua de 40 diebus, qui noti erant non solum apostolis sed certe etiam illis centum viginti (Act. 1,15) certior fieri potuit.

PRIOR PARS 1,4-12,25.

1. *Ab ascensione ad pentecosten* 1,4-2,47.

a) **De die ascensionis 1,4-14.**

1,4. Et convescens, praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum; 5. Quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? 7. Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate : 8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae. 9. Et quum haec dixisset, videntibus illis elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10. Quumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. 11. Qui et dixerunt : Viri Galilaei,

1,4. Καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν ἠκούσατέ μου· 5. ὅτι Ἰωάνης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ ἐν Πνεύματι βαπτισθήσεσθε Ἁγίῳ, οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας.

6. Οἱ μὲν οὖν συνελθόντες ἠρώτων αὐτὸν λέγοντες, Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; 7. εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Οὐχ ὑμῶν ἐστὶν γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς οὓς ὁ Πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ· 8. ἀλλὰ λήμψεσθε δύναμιν, ἐπελθόντος τοῦ Ἁγίου Πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μου μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. 9. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. 10. καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ, καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο παρειστήκεισαν αὐτοῖς ἐν ἐσθήσεσι λευκαῖς, 11. οἳ καὶ εἶπαν, Ἄνδρες Γαλιλαῖοι, τί

quid statis aspicientes in coelum? hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

12. Tunc reversi sunt Ierosolymam a monte qui vocatur Oliveti qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter. 13. Et quum introissent in coenaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Ioannes, Iacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomaeus, et Matthaeus, Iacobus Alphaei, et Simon Zelotes, et Iudas Iacobi. 14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu, et fratribus eius.

ἑστήκατε βλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν.

12. Τότε ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου Ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ, σαββάτου ἔχον ὁδόν. 13. Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, εἰς τὸ ὑπερῷον ἀνέβησαν οὗ ἦσαν καταμένοντες, ὅ τε Πέτρος καὶ Ἰωάνης καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἀνδρέας, Φίλιππος καὶ Θωμᾶς, Βαρθολομαῖος καὶ Μαθθαῖος, Ἰάκωβος Ἀλφαίου καὶ Σίμων ὁ Ζηλωτὴς, καὶ Ἰούδας Ἰακώβου. 14. οὗτοι πάντες ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ σὺν γυναιξὶν καὶ Μαρίαμ τῇ μητρὶ Ἰησοῦ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ.

In v. 4 συναυλιζομενος Did Epiph pauci minusc; add ηκουσατε φησιν δια του στοματος μου D* lux vulg aeth. Aug, similiter Hil Gaud. In v. 5 add και ο μελλετε λαμβανειν D* tol Aug Hil Max (taur); add εως της πεντηκοστης D* Aug sah. In v. 9 D ταυτα ειποντος αυτου νεφελη υπεβαλεν αυτον και απηρθη απο οφθ. αυτων sim Aug sah. In v. 11 D tol om εις ουρανον secundum.

Uti viderunt iam *Salm. Lap.* et plerique recentiorum quoque agnoscunt (cf. *Beel. Bels. Hilg.* l. c.), hic Lucas loqui incipit de ipso ascensionis die. Nam planum est id quod nunc narrat non posse referri ad illud 40 dierum spatium, uti *Wendt* vult. Modus enim narrandi et ipsum argumentum obstat; v. 4 *et convescens praecepit eis, ab Ierosolymis ne discederent* i. e. dum cum iis mensae accumberet praecepit etc.; id de uno aliquo eventu apte dicitur; inepte enuntiaretur de repetitis illis apparitionibus v. 3. Idem suadetur forma παρήγγειλεν; idem elucet ex v. 6, in quo de die ascensionis sermonem fieri omnes concedunt. Sed iste versus particula οὖν arcte adnectitur ad antecedentia, cum quaestio illa ex verbis Christi in v. 4. 5 relatis orta exhibeatur; insuper οἱ συνελθόντες v. 6 sunt iidem cum αὐτοῖς v. 4. Post resurrectionem iusserat discipulos abire in Galilaeam. Ne idem faciant post ascensionem praecavet. In Ierusalem, in urbe principe veteris theocratiae, novum regnum Dei sollemni modo inaugurari vult. Ne igitur ab urbe discederent, uti necessario praecipi debuit ante ascensionem, ita non pertinuisse ad spatium 40 dierum aliis narrationibus ostenditur (Matth. 28,7. 16. Marc. 16,7. Ioan. 21,1 seq.). Pariter si eos iubet *exspectare* alium Paraclitum, haec iam sunt verba abitum parantis, *sed exspectarent promissionem Patris* τὴν ἐπαγγελίαν τ. π. uti Luc. 24, 49, scil. id quod Deus per prophetas promisit de effusione Spiritus, de regno messiano condendo; cf. Is. 44, 3 etc. Ez.

11,19; 36, 26. 27; 39, 29. Ioel 2,28; *quam audistis (inquit) per os meum,* ἥν ἠκούσατέ μου; sed D διὰ τοῦ στόματός μου — fit transitus in orationem directam, uti alias quoque apud Lucam 5,14 et Act. 17, 3. De Paraclito audierunt Christum loquentem Luc. 12,12, iisdem verbis Luc. 24, 49; praeterea Ioan. 14,16; 15,26; 16,7. 13. Cur itaque in urbe debeant manere et qualem promissionem exspectare eos iubeat, declarat v. 5 *quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies* i. e. infra paucos dies; uti corpus immergitur in aquam, ita animus imbuitur Spiritu sancto; baptismi metaphora copiosa declaratur effusio Spiritus sancti et copiosa donorum eius collatio; vide quae dixi ad Matth. 3,11 et Marc. 1,8 et Luc. 3,16 et Ioan. 1,33; cf. Act. 11,16. Iste baptismus narratur 2, 1. seq. Quod apud prophetas metaphora effusionis declaratur, hoc loco in baptismo exhibetur. Significat ἐν instrumentum quo baptismus ille confertur ac perficitur.

Recte vertitur συναλιζόμενος *convescens;* ita quoque habet syr : et quando cum iis manducabat panem et syr ph ipsam vocis etymologiam imitatur מתמלח salem sumens. De comestione vocem graeci quoque explicant; ita *Chr.* qui statim addit : hoc autem ipsi apostoli semper in resurrectionis argumentum sumpserunt dicentes : qui manducavimus et bibimus cum illo (Act. 10,41) et *Oec.* declarat vocem : συνεσθίων καὶ πίνων· τουτέστι κοινωνῶν ἁλῶν, κοινωνῶν τραπέζης; idem *Theoph.* Etiam Ps. 141, 4 hebr. אלחם quod Symmachus vertit συμφάγοιμι (LXX συνδυάσω) alius interpres reddit συναλισθῶ. Est igitur notio vocis communi sale uti; cf. Esdr. 4,14 nos memores salis quod in palatio comedimus; atque ea notione vox etiam habetur apud Clementem rom. hom. 13,4 eandemque explicationem recentiores amplectuntur plerumque (cf. *Beel. Felt. Bels. Bl. Hilg. Wendt*). Quae explicatio commendatur quoque Marc. 16,14 : novissime recumbentibus illis undecim apparuit, quo loco de eadem re narrationem institui aliquibus videtur. — Alii vocem explicant *congregari*, proin συναλιζ. ab ἁλής. Ita Hesychius : συναλισθεις, συναχθεις, συναθροισθεις. Legit *Aug.* cum conversaretur *cum eis* (uti D) eodemque modo lux. Notionem congregandi *Grimm* quoque tuetur. Sed : dum Iesus se (cum illis) congregaret, certe sensum haud congruum praebet; insuper illis praecepit non dum convenirent, sed conventu facto. Prior autem notio aliis occasionibus suadetur (cf. Luc. 24,43. Marc. 16,14. Ioan. 21, 12. Act. 10,41) et participium praesens pariter in ea significatione apte adhibetur de actione simul facta.

Cum Christus de promissione Patris exspectanda locutus esset et de effusione Spiritus infra paucos dies futura, vaticinia de regno et throno David et de gloria Israel apostolis in mentem venerunt; unde v. 6 *igitur qui convenerant,* οὖν nexum indicat et quaestionem esse ortam ex verbis Christi, οἱ συνελθόντες i. e. illi congressi, scil. de quibus iam in v. 4 sermo erat; neque enim dicitur : cum convenissent, (quo loquendi modo utique novus conventus a v. 4 distinctus induci posset) *interrogabant eum dicentes : Domine si in tempore hoc* scil.

quia nos iubes in urbe manere et exspectare et dicis infra paucos dies fore effusionem Spiritus, *restitues regnum Israel* τῷ Ἰσραήλ; *huic* Israel, ut *Beda* vertit monens in graeco legi τω, non του. Nam dies multos sedebunt filii Israel sine rege... et post haec revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem (Os. 3,4. 5); conciderat enim tabernaculum David; at praedictum erat: suscitabo tabernaculum David quod cecidit (Am. 9,11) et vide Is. 11,12 seq. 14,1; 49,8. 22; 52,1 seq. Exspectabant gloriosam regni Dei instaurationem in qua genus israeliticum dux esset ac princeps gentium; huic enim stirpi data sunt vaticinia illa Is. 2,2 seq. 54,1; 60,1 et 65,17 : ecce enim ego creo coelos novos et terram novam et 66,22; cf. Ier. 31,31; Ez. 37,26. Verum in abditis Dei consiliis reconditum est, quando sponsa Messiae, Ecclesia, habitu humili vitae terrestris Sponsi Messiae deposito gloria et honore una cum Sponso coronanda sit; de die enim illo ne angeli quidem sciunt neque Messiae erat illum annuntiare (cf. Marc. 13,32); unde v. 7 *dixit autem eis : non est vestrum nosse tempora vel momenta* χρόνους ἢ καιρούς, duplici voce negatio magis emphatice effertur; neque generatim tempora et multo minus tempora illi eventui opportuna ac destinata scire vel discere ad eos pertinet; ea enim Pater pro suo beneplacito statuit neque ea revelari vult, *quae Pater posuit in sua potestate*, ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, in potestate sibi propria, unde hanc notitiam sibi reservavit (*Patr.*).

Ad eos igitur non spectat nosse quando ipse regnum suum messianum ad debitam gloriae perfectionem sit adducturus; verum quod eos proxime attinet id monet v. 8 *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos;* cf. Luc. 24,49 sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto, et hac virtute instructi, *et eritis mihi testes*, mei testes, *in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae;* cf. Luc. 24,47. 48; illi τῷ Ἰσραήλ opponit Iesus indolem universalem sui regni; atque id monet, ut *Chr.* advertit, quia ante dixerat: in viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (Matth. 10,5) et Samaritanos Iudaei detestabantur et exsecrabantur (*Patr.*); quare docet Christus iam non esse distinctionem (*Cai.*). Regni messiani indolem universalem prophetae clarissime indicarunt (cf. Is. 2,2; 11,9.10 seq. 60,6 seq.); eandem Christus haud semel expresserat (cf. Matth. 8,11; 13,32; 21,43; 24,14; 28,20); quare carere possumus illa coniectura a *Feine* excogitata, illud ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς in fonte iudaeo-christiano quo usus sit Lucas non scriptum fuisse, neque opus est talem fingere fontem.

Ad fontem primitivum inepte additum esse v. 8 ab aliquo « redactore »

contendit *Spitta;* illo enim v. 8 responderi prius ad aliquid de quo non esset interrogatum, inutiliter repeti quod iam in v. 5 dictum sit, et insuper interrumpi nexum inter v. 7 et 9-11. Contra quam crisin iam ipse *Hilg.* respondet nullum fontem peculiarem hic cerni, auctorem ad Theophilum alterum hunc librum priori adnectere, et v. 8 plane suo loco recte constitui. Atque revera *in tempore hoc* duo continentur : baptismus Spiritus et restitutio regni. Christus respondet ad utrumque et insuper baptismum magis explicat ita ut in v. 8 non habeatur mera repetitio. Post negationem in v. 7 addit Christus quid apostolis *in tempore hoc* eventurum sit et quid iis praestandum sit. Hac institutione data ascendit. Inepte fingitur Christum solum dixisse : non est vestrum nosse etc. et tum statim ascendisse. Quomodo tali negatione πράξεις ἀποστόλων induci « critico » in mentem venire potuit?

Cum iam in priore libro narrasset : eduxit autem eos ἕως πρὸς Βηθανίαν 24,50 usque Bethaniam versus i. e. usque eo ubi in monte oliveti via Bethaniam versus deflectitur (cf. Comment. in Luc. p. 648; *Bels.* p. 79), hoc loco breviter pergit v. 9 *et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est;* postmodum v. 12 mentionem loci facit narrans de reditu; ita enim rem aliunde iam notam referri usus ac consuetudo fert. Quare non est negligentiae accusandus quod in v. 4 scribit de convivio in domo certe habita et v. 9 de ascensione nulla loci mutatione commemorata; quomodo Iesus a suis recesserit, priore libro scribit : elevatis manibus benedixit eis et dum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum (24,50. 51). Hic pro more suo (cf. v. 3-8) aliqua addit : *et nubes suscepit eum ab oculis eorum;* spectant apostoli Iesum paulatim ascendentem, donec nubes ascendentem suscepit et eorum oculis subduxit (*Cai. Beel.*). « Ubique creatura suo Creatori praestat obsequium; astra indicant nascentem, patientem obnubunt, recipiunt nubes ascendentem, redeuntem ad iudicium comitabuntur » (*Bed.*). Ceterum nubes quasi signum et emblema divinitatis praesentis saepe exhibetur (cf. Ex. 14,24; 16,10; 19,9; 24,16; 33, 9; 34,5. Lev. 16,2. Ps. 17,10; 96,2. Is. 19,1. Ez. 1,4. Nah. 1,3; vide ad Dan. 7,13). Corpus Christi gloriosum iam non pertinebat ad terram hanc in qua corruptio et mors dominatur. Sese ostendit apostolis quamdiu opus erat ut certissimam omnes haurirent persuasionem de vera resurrectione. Dein corpore quoque intrat plene et integre in gloriam suam.

Christi in coelum ascensio sedulo praedicabatur; vide praeterea Marc. 16,19; orationem Petri Act. 2,33 et 3,21, et 1 Petr. 3,22 et praedicationem Pauli 1 Cor. 15,25. Eph. 1,20; 4,8. Col. 3,1. 1 Tim. 3,16. Hebr. 1,3; 4,14; 9,24. Quanto desiderio apostoli oculis secuti

sint ascendentem et quanta animorum admiratione mirum illud spectaculum contemplati sint, verbis prosequi non est opus. Satis id una voce indicatur v. 10 *cumque intuerentur in coelum euntem illum* ἀτενίζοντες fixis oculis intuentes erant i. e. diu fixos oculos habebant intentos in coelum, sursum aspicientes πορευομένου αὐτοῦ dum ille abibat nube scil. obvolutus, *ecce*, id quod subito et inexspectato iis contigit significatur, *duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*, angeli scil. in forma humana albis induti, uti alias angelorum apparitio describitur (Matth. 28,3. Marc. 16,5. Luc. 24,4. Ioan. 20,12); vestis candida gaudium et laetitiam designat, sicut lux symbolum est beatitatis et Deus ipse et lux est et lucem dicitur inhabitare inaccessam et amictus esse lumine sicut vestimento (Ps. 103,2. 1 Tim. 6,16); v. 11 *qui et dixerunt: viri Galilaei quid statis aspicientes in coelum?* cur diutius statis oculos sursum intendentes? nubes Iesum iam subduxit oculis vestris; frustra spectatis; non iam eum cernetis; verum quod vidistis, alterius eius adventus vobis sit symbolum et praesagium : *hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum;* cf. Matth. 24, 30 videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli virtute multa et maiestate; Apoc. 1,7 ecce venit cum nubibus. Docent angeli quod oculis videre apostoli non poterant, Christum revera in coelum pervenisse; monent ut Iesum fide potius quam visu corporeo intueantur; significant Christum ad immutabilem quendam statum ascendisse (*Lap.*); in eadem enim carne et substantia, in eadem gloria veniet iudicaturus (*Bed.*).

Hac ratione edocti et consolatione imbuti regressi sunt cum gaudio magno (Luc. 24,52) v. 12 *tunc reversi sunt Ierosolymam a monte qui vocatur Oliveti qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter,* distat ab urbe quantum viae sabbato licet conficere i. e. distat duobus millibus cubitorum, quae sunt stadia quinque. Versio syr habet : distat quasi septem stadia; item sah : abest viam septem stadiorum; Iosephus montem oliveti vel sex vel quinque stadia distare dicit (Antiq. 20,8,6. Bell. iud. 5,2,3), scilicet is mons non punctum aliquod est, ut *Bl.* notat. Iter sabbati ex rabbinorum statutis ad Ex. 16,29 est determinatum. Cum enim ibi dicatur : nullus egrediatur de loco suo die sabbati, rabbini explicabant de urbe sua, et sub urbe etiam comprehendi aiebant suburbium, cuius spatium ab urbe fuit bis mille cubitorum, ut est Num. 35,5. Tale itaque spatium vocabatur terminus sabbati (תחום; vide *Buxtorf*, lexicon chald. talm. p. 2582 seq.). Notatur itaque quam prope absit mons ab urbe. Quod aliqui inveniunt contradictionem adesse huius loci cum Luc. 24,50 et Ioan. 11,18 (ita *Wendt*), sane mi-

rum est. Neque enim Christus ex *pago* Bethania qui quindecim stadia abest ab urbe, ullibi ascendisse dicitur, sed id solum asseritur Christum exisse in viam Bethaniam versus; dein hoc loco solum notatur, quanta sit distantia ab urbe ad montis radices vel quanta via inter urbem et initium montis computetur; ex quo loco in monte Christus ascenderit, non indicatur. Verba enim nullatenus enuntiant ab ipso ascensionis loco usque ad urbem esse sabbati iter. De monte oliveti vide ad Luc. 19,29.

In urbem regressi, commorabantur, uti videtur, in eo coenaculo ubi Christus coenam paschalem celebraverat v. 13 *et cum introissent* in urbem scil., *in coenaculum ascenderunt* εἰς τὸ ὑπερῷον; in partem aedium superiorem. Cum articulus ponatur, Lucas ad rem notam alludit; iam 22,11. 12 de eiusmodi deversorio sermo erat : ἀνάγαιον μέγα ἐστρωμένον, qua voce pariter conclave in parte aedium superiore designatur; *ubi manebant* ἦσαν καταμένοντες erant commorantes *Petrus et Ioannes, Iacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomaeus et Matthaeus, Iacobus Alphaei, et Simon zelotes et Iudas Iacobi;* cf. Luc. 6,14-16; a priore illa haec enumeratio eo differt quod priore loco illi ponuntur qui Iesu magis erant familiares, scil. post Petrum qui ubique primum locum occupat (et hic ὅ τε Πέτρος, qui iam ex priore libro notus est) recensentur Ioannes et Iacobus (similiter Marc. 3,16) — hi tres etiam in hoc libro agentes inducuntur —; hic quoque Philippus et Thomas simul nominantur; aliter Luc. 6,14. 15. Ceterum vide quae de albis apostolorum et de ipsis dixi ad Matth. 10,2 seq. et ad Marc. Luc. l. c.

Qua vero ratione exspectarint promissionem Patris et ad baptismum Spiritus sancti accipiendum se praepararint, docemur v. 14 *hi omnes erant perseverantes unanimiter* magna scil. animorum inter se consensione, ὁμοθυμαδὸν *in oratione cum mulieribus* quae ex Galilaea cum Christo ascenderant et circa eius sepulcrum sollicitae erant; aliquae tamen, non omnes videntur adfuisse — σὺν γυναιξίν; solum D* σὺν ταῖς — *et Maria matre Iesu et fratribus eius*, qui fratres igitur iam credentibus accensentur; unde a tempore scenopegiae (Ioan. 7,5) iustiorem de Iesu sententiam capiebant. De fratribus vide ad Matth. 13,55 et cf. *Cornely*, Introd. III 2 ed. p. 595. Orationi vacabant et in conclavi et statutis horis etiam in templo : et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum (Luc, 24,53), *semper* id fieri dicitur quod assidue fit; si igitur horis ad sacrificium destinatis, horis tertia et nona, ad templum se conferebant constanter, vulgari loquendi modo semper in templo Deum adorasse dicuntur. Intrepide itaque inter Iudaeos versabantur; Christi enim apparitione et frequentiore

commercio animos resumebant; non iam ianuis clausis propter metum Iudaeorum se continebant, uti die ipso resurrectionis et etiam adhuc post octo dies (Ioan. 20,19. 26). Etiam in ea animorum mutatione deprehenditur effectus longioris Iesu cum eis commercii et proinde confirmatio quaedam narrationis de illis quadraginta diebus v. 3. — Adverte adumbrari hic sacrum quendam secessum et praeparationem novemdialem ad diem festum et singularem gratiam accipiendam.

b) Eligitur Matthias 1,15-26.

1,15. In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit (erat autem turba hominum simul fere centum viginti) : 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum : 17. Qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii huius. 18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera eius. 19. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea : et episcopatum eius accipiat alter.

21. Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, 22. Incipiens a baptismate Ioannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.

23. Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, et Matthiam. 24. Et orantes dixerunt : Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, 25. Accipere locum ministerii huius, et apostolatus, de quo praevaricatus est Iudas ut abiret in locum suum. 26. Et dederunt sortes eis; et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis.

1,15. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν ἀδελφῶν εἶπεν, (ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσι·) 16. Ἄνδρες ἀδελφοί, ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ἣν προεῖπε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον διὰ στόματος Δαυεὶδ, περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσιν Ἰησοῦν· 17. ὅτι κατηριθμημένος ἦν ἐν ἡμῖν, καὶ ἔλαχεν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. 18. οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον ἐκ μισθοῦ τῆς ἀδικίας, καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησεν μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. 19. καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ (ἰδίᾳ) διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμὰχ, τοῦτ᾽ ἔστιν χωρίον αἵματος. 20. γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ Ψαλμῶν, Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος, καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ· καὶ, Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λαβέτω ἕτερος.

21. Δεῖ οὖν τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν ἐν παντὶ χρόνῳ ἐν ᾧ εἰσῆλθεν καὶ ἐξῆλθεν ἐφ᾽ ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς, 22. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάνου ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήμφθη ἀφ᾽ ἡμῶν, μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ σὺν ἡμῖν γενέσθαι ἕνα τούτων.

23. Καὶ ἔστησαν δύο, Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαββᾶν, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος, καὶ Μαθθίαν. 24. καὶ προσευξάμενοι εἶπαν, Σὺ Κύριε, καρδιογνῶστα πάντων, ἀνάδειξον ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα,. 25. λαβεῖν τὸν τόπον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἀφ᾽ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. 26. καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτοῖς, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Μαθθίαν, καὶ συνκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων.

In v. 15 μαθητων C³ D E aliq minusc syr utr Chr Cyp Aug; αδελφων ℵ A B C* vulg sah cop arm aeth alq minusc. — E ανδρων. In v. 16 etc δαυειδ ℵ B D. In v. 17 D ος ελαχεν. In v. 18 d c pronus. In v. 22 E add τουτων λεχθεντων; item Beda : et his dictis statuerunt; εστησεν D* sim Aug gig. In v. 25 κληρον ℵ C³E syr utr arm Eus Bas Chr, quam lectionem *Bl* adoptat. In v. 26 δωδεκα D Eus.

Quam animi alacritatem et ad munus praedicandi evangelii promptitudinem apostoli ex longiore illo cum Christo post resurrectionem commercio hauserint, elucet quoque ex hac Petri oratione et ex electione Matthiae ad dignitatem apostolicam, ut numerus ille quem Christus selegit impleatur. Iam enim Petrus animo prospectat testimonium quod apostoli de Iesu reddere debent et plane perspicit collegium apostolorum a Deo esse electum, ut fidem in Iesum summa cum auctoritate praedicent ac propagent. Quantum vero haec persuasio et haec animi firmitas distet ab timiditate illa primo resurrectionis tempore exhibita, manifestum est. Unde hac quoque ratione exsistit documentum Christum frequentiore sua consuetudine animos suorum roborasse; v. 15 *in diebus illis*, dum iussi a Domino exspectant in urbe promissionem Patris v. 4. 5, *exsurgens Petrus in medio fratrum*, vel ut alii malunt legere, discipulorum, *dixit* (*erat autem turba hominum simul fere centum viginti*) ὄχλος ὀνομάτων i. e. personarum, ex usu hebraeo qui cernitur Num. 1,2. 18. 20; 3,40. 43 et etiam Apoc. 3,4 et 11,13; quem usum *nominis* etiam quandoque apud profanos reperiri Wetstenius ad h. l. exemplis docet. Coniectat *Felten* forte Lucam habuisse nomina illorum descripta, quia dictione fere insolita utatur. Cum Paulus loquatur de plus quam quingentis fratribus, quibus Christus apparuerit, numerus hic in dubium vocari nequit; iam Luc. 10,1 praeter apostolos mentio est de 72 discipulis. Inepte fingunt aliqui effictum esse numerum ex 12 × 10 vel 3 × 40; id quod iam illo ὡς fere, circiter excluditur, qua vocula ad oculum demonstratur non esse symbolicum numerum; ecquis in historia narranda eo utetur?

Petrus memor mandati Iesu : pasce oves meas, iam munere suo utpote primatum tenens fungitur, « tamquam primus in choro, cui grex a Christo concreditus erat, primus sermonem orditur » (*Chr. Theoph.*) v. 16 *viri fratres*, ἄνδρες appositum aliquam habet sollemnitatem; cf. 2,29. 37; 7,2; 22,1 etc. *oportet impleri Scripturam* ἔδει oportebat; prius enim de re iam facta loquitur; γραφή etiam de uno loco Scripturae saepius dicitur (Marc. 12,10. Luc. 4,21. Ioan. 19,37), *quam praedixit Spiritus sanctus per os David;* auctorem nominat primarium sacrarum litterarum eandem enuntians sententiam quam postea in sua consignavit epistola : Spiritu sancto inspirati (φερόμενοι)

locuti sunt sancti Dei homines (2 Petr. 1,21), *de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum;* debebat impleri quia praedictum erat; erat autem praedictum, non *ut* fieret, sed *quia* quod fieret erat praevisum (*Beel.*); Iudas factus est ὁδηγός dux viae, demonstrans viam et opportunitatem ad capiendum Iesum. Addit declarationis causa : v. 17 *qui* ὅτι quia (*Cai.*), quippe, nempe (*Bl.*) *connumeratus erat in nobis et sortitus est sortem ministerii huius;* κλῆρος id quod sorte alicui contingit, pars attributa; partem nactus est ministerii apostolis communis; quod ministerium iis quasi sorte contigit, quia « singulis haec dignitas obvenit non ex natura, non ex prosapia (uti posteris Aaron obvenit sacerdotium), non ex iure, non ex meritis, sed ex mera Dei dignatione et gratia » (*Lap.*). Apostoli ministerium τὴν διακονίαν iam exercebant, quando missi sunt a Iesu ad praedicandum (Matth. 10,5. Luc. 9,2), quae erat prolusio quaedam muneris postea exercendi ad quod Iudas quoque electus erat. Mitem Petri loquendi modum *Chr. Theoph.* laudant : non contumeliam dicit, non insultat, non vocat scelestum aut exsecrandum, sed rem simpliciter narrat. De Iuda vide quae dixi in comment. Matth. II p. 398. seq.

Verum quid ipse sibi pro parte illa ac dignitate acquisierit refertur v. 18 *hic quidem possedit* ἐκτήσατο acquisivit, comparavit (cf. *Salm. Cai. Sa, Est. Lap. Beel. Hake, Felt. Wendt*) *agrum de mercede iniquitatis;* non dicitur ipsum emisse vel possedisse agrum, sed quia illa pecunia a synedrio ager emptus erat (Matth. 27,6-9), Petrus de re nota loquitur oratorie efferens quid Iudas pro sorte ministerii sibi elegerit et acquisierit; loquitur cum aliqua ironia, ita ut acquisitio Iudae dicatur ager ille *mercede iniquitatis,* pecunia pro proditione soluta, coemptus (*Patr.*). Est enim ager ille pecunia proditionis emptus perpetuum documentum et monumentum quod sui sceleris testimonium ac memoriale Iudas sibi acquisivit; pro apostolatu memoriam huius agri, hunc agrum sibi quasi comparavit, *et suspensus crepuit medius et diffusa sunt omnia viscera eius* καὶ πρηνὴς γενόμενος et praeceps, pronus factus, in praeceps delatus; lapsu scil. praecipite disrupto ventre effusa sunt viscera eius. Apud *Aug.* textus legitur : et collum sibi alligavit et deiectus in faciem disruptus est medius (c. Felic. manich. 1,4; *M.* 42,522). Quae h. l. Petrus narrat, non contradicunt illis apud Matth. 27,5 et abiens laqueo se suspendit. Utique « critici » qui ubique contradictiones sedulo indagare malunt (atque id impingunt sacris auctoribus quod si fieret profanis rerum scriptoribus summe indignarentur), hic clamores quoque tollunt de contradictione aperta. Audiant quod philologus eos docet : « recte iam Eusebius (ap. schol. Matthaeii) Matthaei relationem cum hac Lucae

concinnavit : rupto fune Iudam in terram procidisse » (*Bl.*). Vide quae dixi ad Matth. 27,5; apud *Oec. Theoph.* et in cat. Cr. sub nomine Apolinarii referuntur insulsa illa quae Papias de Iuda narrat.

Pecunia illa et pretio sanguinis agrum illum esse emptum innotuit (Matth. 27,7. 8) v. 19 *et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager illa lingua eorum Haceldama, hoc est, ager sanguinis,* lingua seu dialecto aramaica חקל דמא; graece Αχελδαμαχ, videtur χ additum, ut in Σιραχ pro סירא pro aramaico א, ut exprimeretur sonus eius gutturalis (*Bl. Kautzsch,* Gram. d. bibl. Aram. p. 8). Movetur quaestio, sintne haec v. 18. 19 dicta a Petro an inserta a Luca quippe qui quod in priore libro de Iuda non narraverat hic addiderit. Cum Petrus non censendus sit graece locutus esse, certe *lingua eorum* et explicatio vocis aramaicae addita est a Luca. Totum hoc esse a Luca insertum censent *Salm. Est. Beel. Patr. Rose* in periodico Revue biblique 1898 p. 340; nam iis quibus Petrus loquitur haec iam nota erant; insuper videntur contextum interrumpere, quia illud *enim* v. 20 refertur arcte ad v. 16-17; praeterea monet *Est.* non esse verisimile tam cito post factum invaluisse cognominationem agri, sed paulatim et progressu temporis, uti fieri soleat in huiusmodi, et *Patr.* advertit Lucam saepius eiusmodi parentheses usurpare (Luc. 2,4. 35; 5,24; 23,51. Act. 1,15; 4,4; 9,12; 19,29-31 col. 28. 32; vide eius in Evang. librum III, diss. XI n. 3 p. 111). Alii tamen Petro ea adscribunt (*Hake, Felt. Wendt*), qui maledictionem illam scelus Iudae subsecutam voluerit ob oculos ponere. Quae in v. 18 dicuntur, omnino ad orationem pertinere videntur, immo fere necessario exigi, ne scil. gravis illa ad v. 17 et Iudae dignitatem pristinam oppositio desideretur, quae valde est rhetorica. Interitum Iudae notum esse factum incolis urbis, etiam spectat ad gravem illam oppositionem, quia eius quoque dignitatem et apostolatum noverant. Verum merito dubitari potest sitne nomen illud pervulgatum antequam Christifideles magno numero recenseantur in urbe. Nomen enim a fidelibus esse inditum, non a Iudaeis, profecto veri simillimum est. Quare sententiam ὥστε κληθῆναι a Luca esse adiectam si existimaveris, te non a vero aberrare mihi satis persuasum est.

Reliqua tamen ex v. 18 et 19 ad orationem Petri requiri tantum abest, ut contextu negetur, ut ipso contextu postuletur. Dixerat enim debuisse impleri Scripturam, exponit iam v. 18. 19 rem ipsam qua Scriptura sit impleta et nunc v. 20 priore vaticinio adducto declarat, cur talia ei acciderint v. 20 *scriptum est enim in libro Psalmorum : fiat commoratio eorum* (ita in Ps. hebr. graece αὐτῶν), hic statim applicatione ad unum illum facta αὐτοῦ, *deserta et non sit qui inhabitet*

in ea; Ps. 68,26. Varia ex hoc psalmo ad Christum et tempus messianum applicantur; ita Ioan. 2,17 zelus domus tuae comedit me; 15,25 quia odio habuerunt me gratis; Rom. 15,3 Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : improperia improperantium tibi ceciderunt super me; Christus sitiens in cruce aceto potatus est : in siti mea potaverunt me aceto Ps. 68,22; poenae contemptoribus Christi destinatae enuntiantur verbis psalmi Matth. 23,28 et Rom. 11,9. 10. In psalmo is orat qui propter Dei causam et zelum domus Dei maximis calamitatibus est afflictus et a suis quoque opprobriis affectus; Dei autem vindictam in adversarios suos qui simul sunt inimici Dei efflagitat. Talis autem adversarius Dei, qui in eum peccavit qui quam maxime zelo domus Domini flagrabat, in quem itaque suo iure poenae illae in psalmo praedictae devolvantur oportet, profecto est Iudas. Dum itaque, ut *Beda* ait, Petrus abiectionem Iudae vellet testimonio prophetico adstruere illud posuit, quod de Iudaeorum, in quorum numero Iudas quoque erat, abiectione generaliter erat dictum; vel, ut *Salm.* scribit : quod de Iudaeis malis dicitur a propheta, Iudae Iudaeo insigniter malo a Petro applicatur (sim. *Est. Calm. Patr.*). Habitationem eius fieri desertam nec esse qui inhabitet tantumdem sonat atque illum tolli e medio (*Patr.*) et quidem ad magnum horrorem incutiendum, ita ut locus ubi ille habitaverit sit omnibus exsecrationi neque quisquam audeat ibi figere domicilium. Iam exitus Iudae erat horrore plenus et in ipso quoque nomine agri scelus eius omnium memoriae traditur. Generatim psalmum 68 typice messianum recentiores profitentur.

Alio in loco Ps. 108,8, inter poenas quae impio adversario Dei infliguntur etiam ea commemoratur, ut dignitate sua et munere excidat idque ad alium transferatur; ex quo loco Petrus pariter documentum depromit *et episcopatum eius accipiat alter,* τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ, hebr. Ps. 109,8 legitur פְּקֻדָּה praefectura, munus; unde infert Petrus v. 21 *oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus,* τῶν συνελθόντων ἡμῖν qui nobiscum iverunt, conversati sunt, varia illa itinera nobiscum fecerunt (cf. 9,39; 10,23) omni illo tempore quo nobiscum versatus est Iesus; ingredi, egredi hebraismus est, quo universa vitae agendique ratio designatur; cf. Deut. 28,19. 1 Reg. 18,13. 16; 29,6. 2 Par. 1,10. Ps. 120,8; proin cum aliquo intrare et exire est idem ac continuo cum eo versari, et quo tempore Iesus continuo secum habuit aliquos discipulos declaratur v. 22 *incipiens a baptismate Ioannis,* ab illo enim tempore Iesus sibi discipulos adiungere coeperat (cf. Ioan. 1,37 seq. 3,23) *usque in diem quo assumptus est a*

nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis; intellexit enim Petrus et probe perspexit non sine ratione symbolica Iesum elegisse ex discipulis duodecim — et fecit ut duodecim essent cum illo Marc. 3,14, quos et apostolos nominavit Luc. 6,13 — quae ratio excogitari possit, vide in Comment. Matth. I p. 370 et Luc. p. 226. Ut duodecim patriarchae populi israelitici patres erant, ita apostoli quoque patres sunt Christifidelium et novum populum Dei gignere dicuntur (cf. 1 Cor. 4,15. Gal. 4,19. Philem. 10). Quae itaque ad apostolatum requirantur, Petrus docet. Munus eorum quasi praecipuum ac primarium est testari de resurrectione Christi (cf. Luc. 24, 46. 48). Nam resurrectio eius legationis eius ac veracitatis, proin eius divinitatis potissimum est documentum; ad eam tamquam signum ipse provocavit (Ioan. 2,19. Matth. 12,39. 40; 16,4. Luc. 11,29. 30). Eius exsistere testes complures eo magis erat necesse, quia resurrectionem suam non tanta celebritate in publicam lucem etiam coram adversariis invexit, sicuti antea patraverat miracula. Et quam firmum fidei fundamentum sit, praeclare prosequitur Paulus (1 Cor. 15,12-22; cf. Act. 3,15; 10,40; 13,30; 17,31; 26,23 — en quam sedulo praedicatur resurrectio).

Ex verbis Petri electio tantum fieri potuit ex iis qui sat longo tempore simul cum apostolis tamquam discipuli Iesum secuti erant; quare quod Eusebius dicit, Ioseph et Matthiam fuisse ex septuaginta illis discipulis (h. e. 1, 12) fere necessario colligitur; v. 23 *et statuerunt duos* — D* ἔστησεν, ad unum Petrum refert, id quod etiam habetur apud Aug. c. Felic. l. c. — e contra notat *Chr.* : non ipse illos statuit, sed omnes; consilium vero ipse protulit ostendens non suum esse, sed iam olim in prophetia offerri — *Ioseph qui vocabatur Barsabas* i. e. filius Sabae (Sabbae? שֶׁבַע; cf. 2 Sam. 20,1 et 1 Chr. 5, 13), *qui cognominatus est Iustus* Ἰοῦστος, ex more itaque nomen romanum tamquam agnomen assumpsit, sicut v. g. Ioannes Marcus; si tamquam vir iustus esset celebratus, scriptum fuisset δίκαιος; cf. 18,7. Col. 4,11 pariter Ἰοῦστος agnomen legitur; *et Matthiam;* v. 24 *et orantes dixerunt : tu Domine, qui corda nosti omnium ostende quem elegeris ex his duobus unum*, v. 25 *accipere locum* τόπον, alii κλῆρον sortem, partem, fortasse ex v. 17 — *ministerii huius et apostolatus, de quo praevaricatus est Iudas* ἀφ' ἧς παρέβη a quo recedens praeteriit, *ut abiret in locum suum,* πορευθῆναι quasi ad finem et terminum tetendit εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον in oppositione ad τόπον ministerii; ex contexta oratione intelligitur gehenna (*Salm. Cai. Sa, Lap. Beel. Patr. Felt. Wendt, Bl.*); bene enim dicit *Theoph.* : unusquisque factis suis aut bonum sibi aut malum conciliat et parat lo-

cum; hoc igitur dicit quod Iudas abierit in illum locum malum quem prodito Iesu sibi paraverat. Eam dictionem etiam rabbinis fuisse usitatam, exemplis allatis docent *Lightfoot* (Horae hebr.) et *Wetstenius* ad h. l.; ita scribitur ad Num. 24,25 : Balaam ivit in locum suum, id est in gehennam. De suspendio explicat *Oec.* vel etiam refert verba ad eum qui eligendus sit, qui scil. Iuda reiecto in locum proprium accepto illius munere succedat; quae acceptio admitti nequit.

Apostolus non ab homine, sed per Iesum Christum et Deum Patrem eligitur (cf. Gal. 1,1). Quare oratione facta id sibi faciendum esse ducunt, quo Deus iam olim suam voluntatem saepius manifestavit; nam sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur (Prov. 16,33); cf. Lev. 16,8. 9. Ios. 7,14. 1 Reg. 10,20; 14,22. 1 Par. 25,8 etc.; v. 26 *et dederunt sortes eis,* uti Lev. 16,8 נָתַן גּוֹרָלוֹת; ubi tessellae seu tabulae videntur esse adhibitae, quibus nomina inscribebantur eorum super quos sortitio constituebatur; tabellae in urnam coniiciebantur, qua concussa sors exibat (cf. *Beel. Felt.*) *et cecidit sors super Matthiam,* cadere sortem in (ἐπί) aliquem antiqui usurpasse videntur in quovis modi sortiendi (*Beel.*). Hic itaque prius sorte excidit nomen Matthiae, quod nomen abbreviatum esse putant a Matthania (4 Reg. 24,17. 1 Par. 9,15; 25,16. 2 Par. 20,14; 29,13. Neh. 11,17 etc.) et quod significat donum Dei (Iahve), Theodorus; *et annumeratus est cum undecim apostolis,* συνκατεψηφίσθη hac sortium suffragatione adlectus est apostolis. Usus hic sortis explicatur, quia electio apostoli non potest fieri ab hominibus et quia iste modus exquirendi voluntatem Dei, quando id vere necesse erat, exemplis veteris testamenti commendatur. Apostolis autem commissa erat potestas designandi presbyteros, episcopos; quare sortis iam non erat locus seu necessitas deinceps in Ecclesia.

Contendunt critici hanc partem v. 15-26 ab auctore ad Theophilum vel ex parte vel totam a scripto quodam anteriore esse desumptam. Et *Weiss* quidem affirmat, narrationem hanc de supplemento numeri duodenarii apostolorum nullatenus posse esse conceptam a Luca, quippe qui nusquam indicet istum numerum esse alicuius momenti, et apud quem duodecim apostoli partes agant nullas, maximas ille qui sit extra eum numerum. Porro 1,18 seq. interrumpitur oratio Petri, unde apparet orationem Petri scriptam auctori praesto fuisse, in quam v. 18. 19 intulerit; etiam in v. 16. 22 textum fontis sui auctor immutavit; subito fit mentio nominum 120, uti antea fratrum Iesu et mulierum, quae mentio adeo inopinata ex fonte scripto declaratur. Prius quod *Weiss* contendit, iam refutatur Luc. 6,13, refutatur ipsa narratione Actuum, in qua apostoli sane suas agunt partes; ita 2,14 stans Petrus cum undecim et 2,42 fideles perseverant in doctrina

apostolorum; de apostolis narratur 4,33. 35. 37; 5,12. 18. 29. 40; 6,1-6; in persecutione reliquis per regionem dispersis apostoli manent in urbe 8,1; 8,14 mittunt apostoli in Samariam; ad apostolos introducitur Paulus 9,27; cf. 11,1; 15,4. 6. 22; 16,4. Itaque Lucas qui toties de apostolis scribit censeri posset non ipse composuisse narrationem de electione? Neque verum est quod secundo loco dicitur, interrumpi sermonem Petri. Nam in v. 20 profecto enuntiatur id quod ad v. 18. 19 plane pertinet et quod istis v. 18. 19 omissis sua significatione fere caret; neque v. 20 potest commode adiungi ad v. 16. 17, in quibus narratur eum fuisse ducem satellitum et obtinuisse apostolatum. Ex mentione 120 fratrum etiam *Hilg.* concludit auctorem persequi praeformatum librum; hunc enim numerum non posse colligi ex Luc. 10,1. 17 et Act. 1,13. 14. Quod utique verum est. Sed num propterea debet eum ex libro describere? cur eum non potuisset accipere a Petro vel Marco, socio Petri? Neque quod subito sine ulteriore praeparatione inducitur numerus, probat fontem *scriptum*. Nam si Lucas censuit non esse alienum ab arte narrandi numerum istum sine ulteriore declaratione transferre ex alio documento in suum librum, — quod critici concedere debent — potuit aequo modo numerum ex traditione acceptum statim narrationi inserere. Idem valet de Ioseph et Matthia; ad quae nomina noscenda minime indigebat scripto libro.

Etiam *Feine* docet a Luca 1,18. 19 esse adiectum ad fontem iudaeo-christianum, ad quem alia quoque in hac parte pertineant; *Spitta* vero duos in hac parte reperit fontes; spectare v. 18. 19 ad fontem secundum (quo generatim miracula proponantur); 1,21ᵇ 22ᵃ esse adiecta ab aliquo « redactore ». Contra quos *Hilg.* tenet neque in 1,16 neque in 1,18. 19. 21. 22 agnoscenda esse additamenta posteriora. Neque umbra ostendi potest argumenti cur haec a sermone Petri excludantur; nam in v. 21. 22 eandem tradit sententiam de apostolatus conditione quam 10,37-40 quoque profert; de 1,18. 19 iam dictum est; 1,16 mentio sceleris Iudae, utique omnibus noti, tamen erat facienda; nam ita fert consuetudo humana, ut non gravissimam poenam commemoremus sine ullo sceleris indicio. Immo non defuerunt qui etiam v. 17 offendebantur, in quo subodorati sunt initium quoddam hierarchiae, et cum ordinem hierarchicum ab initio rei christianae non potuisse exsistere sibi persuasissent, statim concluserunt haec eo tempore a Petro non potuisse dici, esse inserta ex opinione et conditione temporis posterioris (*Zeller*, *Overbeck* apud *Feine* p. 166).

c) Missio Spiritus sancti 2,1-13.

2,1. Et quum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; 2. Et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis

2,1. Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς, ἦσαν πάντες ὁμοῦ ἐπὶ τὸ αὐτό. 2. καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι· 3. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμε-

dispertitae linguae tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; 4. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

5. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est. 6. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. 7. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt, 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?

9. Parthi, et Medi, et Ælamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, 10. Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyae quae est circa Cyrenen, et advenae Romani. 11. Iudaei quoque, et proselyti, Cretes, et Arabes, audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

12. Stupebant autem omnes et mirabantur, ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti.

ριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός, καὶ ἐκάθισεν ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν· 4. καὶ ἐπλήσθησαν πάντες Πνεύματος Ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ Πνεῦμα ἐδίδου ἀποφθέγγεσθαι αὐτοῖς.

5. Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι ἄνδρες εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. 6. γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, συνῆλθε τὸ πλῆθος καὶ συνεχύθη· ὅτι ἤκουσεν εἷς ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ λαλούντων αὐτῶν. 7. ἐξίσταντο δὲ καὶ ἐθαύμαζον, λέγοντες· Οὐχὶ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; 8. καὶ πῶς ἡμεῖς ἀκούομεν ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν ἐν ᾗ ἐγεννήθημεν,

9. Πάρθοι καὶ Μῆδοι καὶ Ἐλαμεῖται, καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον καὶ τὴν Ἀσίαν, 10. Φρυγίαν τε καὶ Παμφυλίαν, Αἴγυπτον καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, 11. Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, Κρῆτες καὶ Ἄραβες, ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ;

12. Ἐξίσταντο δὲ πάντες καὶ διηπoροῦντο, ἄλλος πρὸς ἄλλον λέγοντες, Τί θέλει τοῦτο εἶναι; 13. ἕτεροι δὲ διαχλευάζοντες ἔλεγον, ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσίν.

In v. 3 εκαθισαν א* D sah cop syr utr Eus Did Ath Cyr; eam lectionem *Bl* adoptavit contra testimonium plurimorum; nam εκαθισεν aliis locis etiam Eus Did Ath Cyr habent, et insuper Dion Chr Severian Cyp Aug א^c A B C E al omn arm aeth vulg. In v. 5 א om ιουδαιου. In v. 6 D λαλουντας ταις γλωσσαις αυτων, sim syr, Aug suo sermone et suis linguis loquentes eos. In v. 9 pro Iudaea praebet Hier Syriam, Tert Armeniam; item Aug. In v. 13 D add in fine ουτοι.

Primo die post diem sollemnem paschatis (16. nisan) manipulus, messis primitiae, in templo offerebatur; ita saltem posteriore tempore lex illa Lev. 23,10 intelligebatur, prout testis est *Iosephus* (Antiq. 3, 10.5; cf. *de Hummelauer* Comment. in Ex. Lev. p. 514). Iam ab eo die quo manipulus primitiarum offerebatur numerandi erant dies quinquaginta (Lev. 23,15. Deut. 16,9) et dies quinquagesimus dies erat sollemnis (Ex. 23,16. Num. 28,26); quem diem teste *Iosepho* (l. c. 6) Hebraei ἀσαρθὰ appellant, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν. Haud diu igitur apostolis post ascensionem Domini i. e. post quadragesimum a resurrectione diem, exspectandum erat, donec baptizarentur Spiritu sancto (1,5). Nam v. 1 *et cum complerentur dies Pentecostes,*

cum mensura illa quinquaginta dierum quasi compleretur (pluralem etiam habent syr arm aeth Ath Aug); graece legitur singularis. Sensus est idem; consideratur dies quasi mensura implenda, qui dies cum nondum adest, mensura illa nondum est impleta; incipit compleri die illo illucescente, quae dictio Hebraeis erat usitata (cf. Gen. 25,24; 50,30. Lev. 8,33; 12,4. 6 etc.) unde etiam saepius in libris novi testamenti reperitur (cf. 9,23. Luc. 2,6. 22 etc). Contendit *Bl.* explicandum esse : cum in eo esset ut complerentur i. e. brevi ante diem pent., non ipso die haec esse facta; at nulla est ratio infinitivum praesentis temporis per futurum explicandi. Dies quippe completur (συμπληροῦσθαι prorsus, perfecte impletur), cum praesens adest. Atque de ipso die exponunt graeci : ἔδει γὰρ ἑορτῆς οὔσης πάλιν ταῦτα γίνεσθαι *Chr.*, et *Severianus* (cat. Cr.) ait sicuti lex data sit in die pentecostes, ita debuisse eodem die dari gratiam Spiritus sancti, et eadem ratione recentiores intelligunt : cum adesset dies Pentecostes (*Beel. Patr. Felt. Wendt, Hilg.*).

Ipso igitur sollemni die mane ante horam diei tertiam (cf. v. 15) *erant omnes pariter in eodem loco; omnes* i. e. non solum apostoli, verum alii quoque, uti ex v. 14.15.17 elucet; unde cum antea de turba hominum centum viginti narratum sit, hos merito intellexeris (cf. *Chr. Didym.* in cat. *Oec. Lap. Beel. Patr. Felt. Wendt*); v. 2 *et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis* πνοῆς venti; exoritur *repente* quo magis omnium attentio excitetur et animi percellantur, quia eius nulla deprehendi potest causa, *de coelo* ex aere superiore sonitus percipiebatur quasi descendens; non tamen erat reapse venti tum divinitus excitati sonitus vel fragor, sed qui edebatur sonitus talis erat qualis editur (ὥσπερ) quando vehementer ruit ventus (*Beel.*); non igitur fuit ventus, sed verus sonus qualis excitari solet ingruente vento violento (*Tir.*). Spiritus sanctus sensibili modo se manifestat vim suam et efficaciam adumbrans, qua per apostolos sonitum evangelii omnibus vehementer ingerere vult; *et replevit totam domum ubi erant sedentes;* domum illam, de cuius conclavi 1,13 sermo erat. Sonitum praeterea late per urbem esse auditum, patet ex v. 6. Cernitur quaedam huius divinae manifestationis similitudo cum illa qua Dominus olim in deserto Sinai suam declaravit maiestatem : ecce coeperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, clangorque buccinae vehementius perstrepebat (Ex. 19,16); nam praeter sonitum, quo auditus percellebatur, etiam visui offerebatur signum v. 3 *et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis,* διαμεριζόμεναι, ὡσεὶ πυρός, linguae quasi igneae, quae igitur speciem ac colorem ignis prae se ferebant,

neque tamen igneae erant; erant quasi flammulae ad modum linguarum efformatae, quae sese distribuebant in singulos : *seditque* una talis lingua *supra singulos eorum;* linguae apparent, symbola sermonis, praedicationis, testimonii viva voce reddendi; nam nuntius messianus praedicatione propagari debet (cf. Matth. 28,20. Marc. 16,15. Luc. 24,47. Rom. 10,14-18 etc.). In specie ignis; nam Messias baptizat in Spiritu sancto et igni (cf. ad Matth. 3,11. Luc. 3,16), venit ipse ignem mittere in terram (Luc. 12,49); Deus est ignis consumens (Deut. 4,24), in spiritu ardoris purgabit (Is. 4,4; 6,6); vis illa declaratur, qua omnia mundanda et ad purum excoquenda sunt et quasi igne probanda et examinanda (cf. Is. 1,25. Ps. 11,7. Prov. 17,3. 1 Petr. 1,7).

Quae exterius exhibebantur symbolis, haec interius in eorum animis efficiebantur v. 4 *et repleti sunt omnes Spiritu sancto,* quantum in animis acceperint illuminationis, fortitudinis, ardoris, satis declaratur narrationibus quae subsequuntur; hic unus refertur effectus qui statim palam manifestatur, operationem divinam declarat, symbolo linguarum respondet et significat missione Spiritus sancti fore ut praedicatio evangelii omnibus afferatur gentibus, *et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis,* ἑτέραις γλώσσαις i. e. aliis linguis, scil. diversis ab ea qua antea utebantur; qua notione ἕτερος usurpatur; cf. Matth. 12,45, Marc. 16,12 (ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ). Luc. 6,6; 9,56; 11,26. Act. 2,40; 4,12 etc. Alii itaque ex illis loquebantur aliis linguis, prout unicuique Spiritus sanctus dabat eloqui ἀποφθέγγεσθαι, effari, verbum gravius (*Bl.*), graviter, magnifice loqui (*Beel.*); est enim verbum hoc grandis ac sublimioris sermonis, et sapientium acute dicta ἀποφθέγματα vocarunt graeci (cf. *Grimm,* Lex. s. v.). Quid grandi ea oratione pronuntiaverint, discimus in v. 11. Hoc modo narrandi clare affirmatur eos linguis aliis revera esse locutos et iis quidem linguis, quae enumeratione gentium v. 9-11 indicantur. Neque dici potest : « *auditi* sunt loqui; proinde sufficit, ut cum aliquibus statuatur miraculum auditus ». Id enim non uno nomine repugnat. Nam profecto describitur effectus et operatio Spiritus sancti in discipulis; verum si auditores aliis linguis pronuntiari percepissent quae una eademque lingua illi effabantur, tum miraculum non in discipulis, sed potius in auditoribus esset patratum. Praeterea verba haec, utpote *inspirati* auctoris narratio, non ideo significatione sua destitui possunt, quia homines de iis solum testari possunt quae audiunt (unde in miraculo *auditus* effectus et iudicium hominum utique idem fuisset); verum nobis offertur in verbis inspiratis ipsius auctoris primarii testimonium de illo eventu i. e. Spiritus sanctus dabat elo-

qui. Et cum Christus iam promiserit : linguis *loquentur* novis, in qua promissione de miraculo auditus ne cogitari quidem potest, cur tandem in dubium esset vocandum quod adeo distincte hic affirmatur?

Festum paschatis liberationem ex servitute in memoriam revocabat. Eo itaque tempore Christus liberator libertatem spiritualem, redemptionem ex captivitate peccati et mortis nobis promeruit et attulit. Pentecoste festum est messis (Ex. 23,16), primitiarum frugum messis triticeae (Ex. 34,22). Unde bene *Chr.* : « quae est haec pentecoste? cum falx mittenda esset in messem (triticeam), cum fructus essent colligendi; vidisti typum? vide iam veritatem. Cum esset falx sermonis immittenda, cum messis colligenda, tunc Spiritus ut acuta falx advolat ». Iam enim fructus illi colligendi erant quos Christi doctrina et passio seminaverat. Adventu Spiritus sancti induuntur apostoli virtute ex alto, promulgatur nova lex in sermone Petri, sollemni modo Ecclesia exsistit et manifestatur statim tamquam universalis. Est itaque dies hic dies nascentis Ecclesiae; iterum quasi Spiritus sanctus fertur super aquas ut ex elementis efformet novum mundum. Lex mosaica data est mense tertio egressionis Israel de Aegypto; cum festum Pentecostes etiam incidat in mensem tertium, orta est apud Iudaeos posteriores opinio hunc diem esse anniversarium legis datae, vel tabulas legis secundas esse eo die datas et ita Iudaei hunc diem sollemnem habebant in memoriam legislationis. Quae opinio primum asseritur in tractatu Pesictha (apud *Ugolini* t. 16 p. 740) et qua ratione dies festus legis datae celebretur, scribit Buxtorf, de synagoga (*Ugolini* t. 4 p. 997). Haec opinio etiam quandoque affertur, ut declaretur, cur Spiritus sanctus eo die effusus sit in discipulos, scil. ut ostendatur Spiritum sanctum et tunc legem tulisse et nunc legem ferre (*Theoph.*); ei quoque sententiae calculum adiiciunt *Severianus* (in cat.), *Beda, Barh. Lap. Beelen* aliique; immo *Hieronymus* scribit confidenter : « supputemus numerum et inveniemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Aegypto in vertice montis Sinai legem datam : unde et Pentecostes celebratur sollemnitas et postea evangelii sacramentum Spiritus sancti descensione completur, ut sicut priori populo quinquagesimo die, vero iubilaeo et vero anno remissionis et veris quinquaginta et quingentis denariis, qui debitoribus remittuntur, lex data est, apostolis quoque et qui cum eis erant, in centum viginti mosaicae aetatis numero constitutis, descenderit Spiritus sanctus » (ep. ad Fabiol. de 42 mansionibus; mans. 12; *M.* 22,707). Eo die legem datam esse, Leo Magnus quoque censet (de Pentec. serm. 1; *M.* 54,400). Sed nullum est eius rei indicium neque in s. litteris, neque apud Philonem vel Iosephum.

Ex v. 4 videntur iam in domo antequam prodirent in publicum locuti esse aliis linguis magnalia Dei, nisi malueris putare illud *coeperunt* quasi per anticipationem dici, quia narratio est satis concisa, quae iam progreditur ad describendam manifestationem Spiritus publice factam v. 5 *erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est*, κατοικοῦντες dicitur de domicilio, de habitatione veri nominis; ea quippe notione adhibetur vox aliis in locis (cf. 1,19; 2,9; 7,2.4.48; 9,22; 11,29; 13,27; 17,24; 22,12 etc.) et ita explicant *Chr. Oec. Theoph. Salm. Cai. Har. Beel. Felt. Wendt, Bl.*; cum addatur *viri religiosi*, statim quoque innuitur, cur domicilium suum vel perpetuo vel ad longius tempus in urbe constituerint, scil. pietatis causa, ut cultui religioso, sacrificiis interessent, prope domum Dei, templum incolerent, sacris vacarent studiis. Dici ὑπερβολικῶς (*Theoph.*), populari loquendi modo *ex omni natione* etc. patet i. e. ex multis nationibus, ex iis quae tum potissimum notae erant, ex omnibus terrae partibus tum notis. Nam de huiusmodi solent homines quasi de omnibus loqui, idque recte, quia loquentibus revera sunt omnes quas scil. norint. Pauci explicant de iis qui solum ad breve tempus, ad festum celebrandum se in urbem contulerint (*Barh. Lap. Calm. Patr.*); sed de huiusmodi legimus in v. 10 ἐπιδημοῦντες.

At est tamen aliqua difficultas in hoc versu in acceptione communiore. Cum isti ex *omni* natione *habitare* dicantur in urbe, iam iidem esse videntur qui v. 9-11 recensentur. Id vero admitti nequit; nam qui sunt κατοικοῦντες in urbe non possunt esse simul v. 9 κατοικοῦντες Mesopotamiam; dein certum est ad eiusmodi festum Iudaeos ex omni regione ad urbem venisse, et Philo quidem dicit καθ' ἑορτὴν myriades ex totidem urbibus terra marique ex quatuor terrae plagis εἰς τὸ ἱερόν se conferre (de monarch. 2 p. 223; cf. *Wetst.*); de eiusmodi autem in nostro textu tacetur exceptis Romanis. Utique dici potest noluisse Lucam sermonem inferre de iis qui ad festum eo migraverint, quia notissimum erat tali tempore multos adesse peregrinos. Porro etiam difficile creditu videri potest, quod ex omni natione, ergo ex iis quae v. 9-11 nominantur aliqui domicilium in urbe collocaverint. Narratio omni careret nodo, si illud κατοικοῦντες deleremus, vel si statuere velis esse discrimen inter κατοικεῖν ἐν et κατ. cum accusativo. Quod utique non sine ulla ratione asseri potest. Nam ubi de constanti habitatione sermo est, legimus κατοικεῖν Ἱερουσαλήμ 1,19; 2,9. 14; 4,16, item 9,32 κατ. Λύδδα, 9,35 καὶ τὸν Σαρῶνα, 19,10 τὴν Ἀσίαν; 19,17 τὴν Ἔφεσον. Sed ubi de habitatione solum per aliquod tempus sermo est, saepius deprehenditur ἐν; ita 7,2 Abraham solum per tempus habitavit in Charan; item 7,4; vide 9,22; 11,29; 13,27 in Ierusalem (ubi de iis quoque sermo est qui ad pascha venerunt) et Hebr. 11,9 et fortasse etiam Act. 7,48 et 17,24. Diffi-

cultatem plane diversam ibi deprehendit *Bl.* : « pessime autem interpolatum in plerisque (praeter א) Ἰουδαῖοι, cum de gentilibus manifesto agatur; ipsi Iudaei sunt ἔθνος (28,19 al.), neque possunt esse Iudaei ἀπὸ παντὸς ἔθνους vel Ἰουδαῖοι Πάρθοι, Μῆδοι, Αἰλαμῖται ». Unde vult de solis gentilibus, proin de solis proselytis esse sermonem, qui in urbe sacra sedem collocavisse dicuntur, « quod minime a veri specie abhorret ». Adfuisse proselytos quoque planum est ex v. 11 et ex sermone Petri v. 39; at omnes isti qui ex nationibus recensentur fuisse gentiles certe falsum est. Nam *eos ipsos* Petrus alloquitur v. 14 viri Iudaei et qui habitatis Ierusalem; dein sicuti nos loquimur et recte loquimur de Iudaeis germanis, hispanis, polonis etc., ita antiquitus quoque dici potuit. Atque revera eiusmodi locutiones reperiuntur in mischna; v. g. Baba mezia 7,9 ידוע הבבלי Iaddua Babylonius, et Baba bathra 5,2 נחום המדי Nahum Medus; et quae in textu dicuntur Medae, Arabes, explicantur a Bertenora filiae Israeliticae quae in Media, in Arabia sunt (vide *Surenhusius* II p. 26; IV p. 142. 178). Quare nihil obstat Parthos, Medos etc. censeri Iudaeos in iis regionibus natos et linguis illarum regionum utentes. Graeci quidem *Chr. Oec. Theoph.* ita loquuntur, ut illos non ex iudaico genere fuisse videantur indicare.

Sonitus ille late per urbem percipiebatur. Unde factum est quod repentino strepitu exorto fieri solet v. 6. *facta autem hac voce* φωνῆς, i. e. ἦχος v. 2 (*Bl.*) *convenit multitudo et mente confusa est* συνεχύθη i. e. obstupefacti sunt et conturbati prae admiratione rei plane inauditae, *quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes;* supponitur quod per se ex narratione elucet, discipulos et apostolos in publicum prodiisse, neque uno loco constitisse, sed in multitudinem confertam ita sese insinuasse, ut omnes quotquot convenerunt testes et auditores esse possent. Divinitus autem factum esse censendum erit, ut singulis daretur eloqui illa lingua, quae erat adstantium; proinde multitudinis concursum ita fere factum esse ut secundum nationes convenirent. Alias cogeris assumere vel insuper miraculum auditus vel magnam quandam audientium circumcursationem, ut tandem unusquisque suam perciperet linguam: v. 7 *stupebant autem omnes et mirabantur;* quae inter se locuti sunt vario modo, uno schemate effertur : *dicentes: nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt?* erant igitur cogniti ut discipuli Iesu qui cum eo e Galilaea ascenderant; v. 8 *et quomodo nos audivimus* ἀκούομεν audimus *unusquisque linguam nostram in qua nati sumus?* v. 9 *Parthi et Medi et Aelamitae,* oriundi ex provincia Elymaide, quae meridiem versus ad sinum persicum pertingit (*Beel.*) inter flumina Eulaeum et Oroatem; de Persis in universum explicat *Patr.,* quia inter Parthos, Medos et Mesopotamiam incolentes velut medii locantur, nec probabile in illa gentium enumeratione nobilissimam nationem Persarum

praetermissam esse; *et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam;* hoc loco poni Iudaeam, sane non exspectaveris; explicant quidem homines Iudaeam incolentes mirari posse, quod Galilaei loquantur in dialecto hierosolymitana, iudaica (cf. Matth. 26,73) — esto! at estne Iudaea collocanda inter Mesopotamiam et Cappadociam? id quod eo magis mirum est, quia ceteroquin in enumeratione ordo quidam non deest.

Pro Iudaea legunt *Armeniam* Tertullianus (adv. Iud. 7; *M.* 2,610) et semel quoque Augustinus (c. ep. Manich. *M.* 42,180), quae regio ibi apte nominatur; Syriam eo loco nominat Hieronymus (ad Is. 11,10; *M.* 24,150), *Pontum et Asiam* i. e. Asiam provinciam proprie sic dictam, quae complectitur tunc temporis quidquid regionum a mari aegaeo patet inter meridianos Bithyniae terminos borealesque Lyciae et montis Tauri usque ad Galatiam et Cappadociam (*Patr.* ad 16,6); proin complectitur Mysiam, Lydiam, Cariam; cf. *Plinius:* a Telmeso asiaticum mare et quae proprie vocatur Asia; in duas eam partes Agrippa divisit: unam inclusit ab oriente Phrygia et Lycaonia, ab occidente aegaeo mari, a meridie aegyptio, a septentrione Paphlagonia; alteram determinavit ab oriente Armenia minore, ab occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia, a septentrione provincia pontica, a meridie mari pamphylio (Nat. Hist. 5,27, al. 28); v. 10 *Phrygiam et Pamphyliam, Aegyptum et partes Libyae,* Africae legunt Tert. Aug. l. c., *quae est circa Cyrenen* i. e. Libya Cyrenaica, quae pentapolitana regio vocatur et quinque urbibus maxime illustratur teste Plinio (l. c. 5) Berenice, Arsinoe, Ptolomaide, Apollonia ipsaque Cyrene; *et advenae Romani,* οἱ ἐπιδημοῦντες, qui Roma advenerant et per illos dies in urbe commorabantur; ita plerique vocem explicant (cf. *Salm. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Bels. Hilg. Bl.*); alii intelligunt vocem de iis qui e Roma emigrarint et in Ierusalem domicilium collocaverint (*Cai. Wendt*) proin eodem sensu quo κατοικοῦντες; sed consulto usurpatur alia vox; cf. 17,21 οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι advenae hospites; v. 11 *Iudaei quoque et proselyti,* Ἰουδαῖοί τε καὶ πρ., cum aliqua emphasi effertur non solum Iudaeos, sed etiam proselytos adfuisse; nam « aliquanto gravior coniunctio est, si particulae τὲ-καὶ inter se respondent; καὶ fortius aliquanto alterum membrum adiungit » (*Klotz,* Devar. II p. 740); disceptari potest ad quos spectant hi; utrum scil. dicatur inter illos Romanos fuisse et genere Iudaeos et proselytos, alienigenas (ita *Calm. Felt. Bl. Hilg.*) an exprimatur, inter omnes qui enumerati sint et Iudaeos genere et alienigenas fuisse (cf. *Bed. Lap. Har. Beel. Patr. Bels. Wendt*). Atque hoc alterum magis ipsi enumerationi adeo generali congruere vide-

tur. Uti itaque testes illi adventus Spiritus sancti describuntur antea ex regionum diversitate, ita nunc quoque genere ac natione illos fuisse discretos; proin non solum adstitisse Iudaeos ex variis regionibus oriundos, sed etiam gentiles proselytos ex variis nationibus. Ita optime adumbratur indoles universalis Ecclesiae; *Cretes et Arabes, audivimus eos loquentes*, audimus, *nostris linguis magnalia Dei*, magna ac praeclara, insignia Dei facta.

Cum Lucas homines inter se loquentes imitetur, certus enumerationis ordo requirendus non est. Quare puto aliquos perperam offendi quod Cretes et Arabes ponantur post Iudaeos et proselytos; ex quo contendunt necessario solos Romanos ita describi, quia si voces illae ad omnes spectarent, in fine debuissent collocari. Verum in ipsa etiam regionum enumeratione certum ordinem constanter observatum non deprehendes, quamvis aliquis ordo non desit, quo ab oriente ad occidentem fit transitus. Atque in omnibus istis regionibus, immo in pluribus quoque quam enumerantur Iudaeos incoluisse prorsus constat. Iam anno 139 a. Ch. missae sunt a senatu romano litterae pro Iudaeis ad reges Aegypti, Syriae, Pergami, Cappadociae, Parthiae, in Pamphyliam, Cyrenen aliasque regiones urbesque multas (1 Mach. 15,15-24) et circa annum 20 a. Ch. scribit Strabo haud facile regionem orbis terrarum inveniri, quam non Iudaeorum stirps occupaverit (apud Iosephum, Antiq. 14,7,2); in epistola quam Agrippa ad Caligulam dedit (apud Philonem, de legatione ad Caium § 36; Lipsiae 1829; t. 6 p. 131) coloniae Iudaeorum enumerantur in Aegypto, Phoenicia, Syria, Pamphylia, Cilicia, in Asia usque ad Bithyniam et extremos Ponti angulos, in Thessalia, Boeotia, Macedonia, Aetolia, Attica, Peloponneso, Euboea, Cypro, Creta; tum pergitur καὶ σιωπῶ τὰς (ἀποικίας) Εὐφράτου· πᾶσα γὰρ ἔξω μέρους βραχέος Βαβυλὼν καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν αἳ ἀρετῶσαν ἔχουσι τὴν ἐν κύκλῳ γῆν, Ἰουδαίους ἔχουσιν οἰκήτορας. Plura de diaspora vide apud *Schürer*, Geschichte de jüd. Volkes II p. 495 seq.

Discipulos una lingua sua patria esse locutos, sed a variis gentibus in sua cuiusque lingua fuisse auditos, a nonnullis statuitur. Eius sententiae meminit *Gregorius naz.*, sed illi praefert alteram, discipulos scil. revera aliis linguis esse locutos; « nam in priore quidem sensu eorum potius qui audiebant quam qui verba faciebant hoc miraculum fuerit » (or. 44; *M.* 36,449). Affirmatur miraculum auditus in sermone quodam de Spiritu sancto qui olim Cypriani censebatur (cf. Opera S. Cypriani, Parisiis 1726 p. CXLVII); *Beda* quoque utriusque acceptionis mentionem facit, et in libro retractationis dicit se esse reprehensum a quibusdam quod duobus modis dixerit rem posse intelligi et demum concludit utrumque fieri potuisse, et ut loquerentur variis linguis et ut una loquentes ab omnibus variarum linguarum hominibus intelligerentur; quam sententiam etiam alii adoptarunt, uti *Dionysius* carthusianus, *Lap. Est.* Atque *Erasmus* quoque putat « probabilius apostolos sua lingua fuisse locutos et miraculo factum

esse, ut nemo non intelligeret, perinde ac si suam quisque linguam audisset », id quod « secundum glossam et expositores communiter » evenisse *Dionysius* carth. indicat. Hanc interpretandi rationem *Hilg.* quoque sequitur. Aliter *Wendt* rem concipit; apostolos *nova* prorsus lingua esse locutos, sed huic novae linguae id divinitus esse inditum, ut omnes variarum linguarum homines eam intelligerent. Variorum varias opiniones referre supersedeo; nam verba narrationis inspiratae v. 4 nimis clara et distincta sunt. Solum adnoto testem doni linguarum esse *Irenaeum*, qui affirmet : multos audivimus fratres in Ecclesia prophetica habentes charismata et per Spiritum sanctum universis linguis loquentes (adv. haer. 5,6,1; *M.* 7, 1137); quem locum ita *Eusebius* quoque intellexit, scil. charisma illud in Ecclesia perdurare et Irenaeum esse testem auritum (h. e. 5,7; *M.* 20,448), atque verba Irenaei graeca ita debere intelligi secundum contextum et grammaticam ostendit *Fonck* in periodico oenipontano Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1895 p. 377 seq.

Res itaque non ex solo v. 11 est diiudicanda. Neque recurrendum est cum aliquibus ad allegoricam interpretationem, qua usus Philo decalogum dicit toti generi humano promulgatum per sonitum quendam ratione praeditum et vocem quae in linguam cuiusque gentis convertebatur (de decem oraculis 9) vel secundum modum rabbinorum, qui docebant vocem Dei promulgantis legem divisam esse in linguas septuaginta, ut ab omnibus 70 nationibus intelligi posset (cf. *Hilg.*).

Donum linguarum quod hoc loco describitur, idem ubique est agnoscendum (Act. 10,46; 19,6 et 1 Cor. 12. 14 *Beel.*). Et de epistola ad Cor. haec notat *Bl.* : « de γλωσσολαλίᾳ locus « classicus » est 1 Cor. 14. Dicit Paulus semper λαλεῖν γλώσσαις vel γλώσσῃ, nunquam ἑτέραις γλώσσαις; sed idem (l. c. v. 21) ad γλωσσολαλίαν refert locum Iesaiae 28,11 seq. : ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέρων (s. ἑτέροις) λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, dicitque 12,10. 28 γένη γλωσσῶν ut 14,10 γένη φωνῶν i. e. variae linguae, et 13,1 ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων i. e. omnibus linguis quibus vel homines utuntur vel angeli (Marc. 16,17 γλώσσαις καιναῖς). Nihil igitur discriminis inter Paulum Lucamque et recte hic ἑτέραις addit ut scriptor rerum (v. tamen 9,46;19,6), omittit ille ut de re legentibus notissima ». — Hisce iam refutatur aliorum opinio, qui γλωσσολαλίαν a Paulo descriptam nihil commune habere cum hoc dono linguarum sentiunt, uti *Felt. Bels.* existimant.

Rei novitas omnes percellit v. 12 *stupebant autem omnes et mirabantur ad invicem dicentes : quidnam vult hoc esse?* cf. v. 7; uti est stupentium, admirantium eadem saepius proferunt, quia ex abundantia cordis os loquitur (*Dion.*); διηπορεῦντο i. e. penitus incerti haerebant (cf. Luc. 9,7 haesitare; item Act. 10,7; ambigere Act. 5,24), quid hoc significaret. Neque deerant qui animorum ardorem qui in habitu vultuque loquentium apparebat et inflammatum impulsu divino dicendi genus frivole deridebant v. 13 *alii autem irridentes*

dicebant : quia musto pleni sunt isti; eos habent ludibrio tamquam ebrios; ex qua irrisione tamen recte colligimus discipulos quasi in ecstasin raptos esse locutos; cf. 1 Cor. 14,23 nonne dicent quod insanitis? Verum malitia eorum manifesta est; nam mustum non tribuit scientiam linguarum, immo ne tempus quidem uvarum mustique erat; nam, ut *Oec.* dicit, γλεῦκος est vinum ab ipso torculari fluens dulce. Quare pessima eorum perversitas, qua se obcaecare student et animi frivolam indolem manifestant, stulta illa cavillatione panditur (cf. *Chr. Sever. Theoph.*): Isti qui adeo manifestam Spiritus sancti operationem ludibrio habent aliosque ea irrisione ab ulteriore inquisitione rei extraordinariae avertere conantur, prorsus similes sunt pharisaeis qui opera Iesu attribuebant daemoni, ut plebem a fide Iesu retinerent et avocarent (cf. Matth. 12,24 seq.). Ex ipso narrandi modo (διαχλευάζειν verbum est grave) et ex frivola locutione illorum patet exhiberi a scriptore malitiam eorum infensissimam, cuius conscii ita irriserint. Quare perperam concludunt quandoque ex eorum verbis : isti ergo non audierunt eos loqui aliis linguis; nam si audivissent, quomodo loqui aliis linguis ad ebrietatem potuissent referre? Sed quid animus odio incensus non negabit aut omittet, si ei commodum videtur?

Supponunt *Weiss*, *Feine* de locutione in aliis linguis 1 Cor. 14 non esse sermonem; ex qua suppositione (falsa) statim concluditur etiam hic de tali locutione mentionem esse non posse; proinde illa esse additamenta posteriora quibus talis locutio indicetur; idem quoque ostendi in v. 12. 13 neque in Petri sermone de locutione in aliis linguis fieri mentionem. Sed si nunquam eiusmodi locutio evenit, unde tamen eius notitiam habet scriptor? num itaque ad mythum omnia revocanda sunt? etiam Irenaei testimonium? Petrus *rem notam* in oratione tangere non debet, sed explicare solum debet et explicat, *unde* illa res mira evenerit. Dein fingit *Feine* in fonte primario nihil scriptum fuisse quod ad indolem universalem spectet; proinde et locutionem in aliis linguis et omnia quae ad illam pertinent indolem (v. 5, enumeratio nationum) esse fonti primario demum adiecta. Verum ubi unquam erat talis fons primarius? Duos fontes *Spitta* quoque discernit; sed mire ita rem discerpit, ut in fonte A habeatur effusio Spiritus statim post electionem Matthiae ante pentecosten, in fonte B dies pentecostes cum linguis tamquam igneis; demum a redactore ex istis linguis effectum esse illud loqui in aliis linguis etc. Merito haec ab aliis reiiciuntur (*Bels. Hilg.*).

d) **Petri oratio 2,14-36.**

2,14. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis : Viri Iudaei, et qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. 15.

2,14. Σταθεὶς δὲ Πέτρος σὺν τοῖς ἕνδεκα, ἐπῆρεν τὴν φωνὴν αὐτοῦ, καὶ ἀπεφθέγξατο αὐτοῖς, Ἄνδρες Ἰουδαῖοι καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰερουσαλὴμ πάντες, τοῦτο ὑμῖν γνωστὸν ἔστω, καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου. 15. οὐ γάρ,

Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, quum sit hora diei tertia; 16. Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioel : 17. Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus : effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. 18. Et quidem super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt; 19. Et dabo prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem et vaporem fumi. 20. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. 21. Et erit : omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

22. Viri Israelitae, audite verba haec : Iesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis; 23. Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis; 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper : quoniam a dextris est mihi ne commovear : 26. Propter hoc laetatum est cor meum et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe; 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitae; et replebis me iucunditate cum facie tua.

29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus; et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igitur quum esset, et sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, 31. Providens locutus est

ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· ἔστιν γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας· 16. ἀλλὰ τοῦτό ἐστιν τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ, 17. Καὶ ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, λέγει ὁ Θεὸς, ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν· καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται. 18. καί γε ἐπὶ τοὺς δούλους μου καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου, καὶ προφητεύσουσιν· 19. καὶ δώσω τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ σημεῖα ἐπὶ τῆς γῆς κάτω, αἷμα καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ. 20. ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἢ ἐλθεῖν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ. 21. καὶ ἔσται, πᾶς ὃς ἐὰν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου σωθήσεται.

22. Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, ἀκούσατε τοὺς λόγους τούτους. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, ἄνδρα ἀποδεδειγμένον ἀπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησεν δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς αὐτοὶ οἴδατε, 23. τοῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον διὰ χειρὸς ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλατε· 24. ὃν ὁ Θεὸς ἀνέστησεν λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ. 25. Δαυεὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτὸν, Προορώμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντός· ὅτι ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, ἵνα μὴ σαλευθῶ· 26. διὰ τοῦτο ηὐφράνθη μου ἡ καρδία, καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου· ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι· 27. ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. 28. ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς· πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου.

29. Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παρρησίας πρὸς ὑμᾶς περὶ τοῦ πατριάρχου Δαυεὶδ, ὅτι καὶ ἐτελεύτησεν καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἔστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. 30. προφήτης οὖν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ καθίσαι ἐπὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, 31. προϊδὼν ἐλάλησεν

de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. 32. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. 33. Dextra igitur Dei exaltatus et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis. 34. Non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 35. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 36. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis.

περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτι οὔτε ἐγκατελείφθη εἰς ᾅδην, οὔτε ἡ σάρξ αὐτοῦ εἶδεν διαφθοράν. 32. τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες. 33. τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ Θεοῦ ὑψωθεὶς, τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐξέχεεν τοῦτο ὃ ὑμεῖς καὶ βλέπετε καὶ ἀκούετε. 34. οὐ γὰρ Δαυεὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανοὺς, λέγει δὲ αὐτὸς, Εἶπεν Κύριος τῷ κυρίῳ μου, Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, 35. ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. 36. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι καὶ Κύριον αὐτὸν καὶ Χριστὸν ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε.

In v. 14 cum undecim apostolis D syr Aug gig; Πετρος πρωτος D*; τ. φωνην αυτου προτερον E. In v. 15 D ουσης ωρας etc. sim vulg Aug Gaud; nam est hora 3 gig. In v. 16 om Ioel D Ir Hil Aug. In v. 17 αυτων (non υμων) D gig. In v. 18 om D εν τ. ημ. εκειναις, item gig; om D και προφητ. etiam in v. 19 om D αιμα και πυρ etc. uti etiam gig. In v. 20 om και επιφανη ℵ D gig. In v. 23 syr hunc qui segregatus erat ad hoc per praescientiam et voluntatem Dei tradidistis in manus. In v. 31 add η ψυχη αυτου C[3] E P al pler ph arm Chr Thdrt Philast Fulg. In v. 33 gig effudit hoc quod videtis et auditis; Ir donationem hanc, sim syr ph sah Did Ambr.

Post exordium v. 14 Petrus brevi calumniam illam non posse consistere ostendit (v. 15), verum iam impleri vaticinium de effusione Spiritus Dei (v. 16-21). Cum vaticinium hoc spectet ad tempus messianum (« in novissimis diebus »), iam sermonem a v. 22 dirigit ad probandum Iesum esse Messiam; idque demonstrat ex resurrectione; nam David iam de resurrectione Messiae sibi promissi vaticinatus est — Iesus autem resurrexit, uti apostoli testes sunt, ergo Iesus est Messias qui in gloriam assumptus Spiritum sanctum misit; ergo quem ipsi interemerunt, hic a Deo declaratus est dominus et Messias (v. 22-36).

Uti 1,15, ita hic quoque Petrus ut primas apostolorum agit; ibi curam et sollicitudinem de collegio apostolorum exhibuit, hic iam id agit ut ad Christi ovile quam plurimos adducat; muneris sui partes egregie ac fortiter obire incipit; v. 14 *stans autem Petrus cum undecim*, σταθείς cf. 5,20; 17,22; 27,21; ipsa dictione (cum undecim) Petrus eorum quasi dux et princeps designatur, *levavit vocem suam*, magna cum fiducia et fortitudine (*Chr. Oec.*) *et locutus est eis*, vox adhibetur sollemnior ἀπεφθέγξατο, cf. v. 4, prout eius oratio non sine quadam sollemnitate a Luca inducitur; *viri Iudaei et qui habitatis Ierusalem universi* οἱ κατοικοῦντες cf. v. 5, *hoc vobis notum sit et au-*

ribus percipite verba mea, ἐνωτίζειν apud LXX pro האזין; attentionem excitat et postulat. Loquitur aramaice, quam linguam certe etiam illi Iudaei satis intelligebant qui iam diutius incolae urbis erant; evenisse novo miraculo ut omnes exteri quoque diversarum linguarum eum intelligerent, putant aliqui (cf. *Est. Patr.*); sed de tali re mira nullum indicium reperitur; proin novum prodigium non est asserendum; v. 15 *non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt*, γὰρ vim explicativam habet : nempe prudenter ac mansuete orditur; vides quam mitis sit defensio? neque dicit : vos subsannatis vel ridetis; neque in irrisores invehitur, benignius tractans eorum sermonem neque ad malitiam, sed ad ignorantiam eum referens et ita viam illis praestruens ad resipiscentiam (cf. *Chr. Oec.*); et rationem addit ex usu et consuetudine vitae : *cum sit hora diei tertia* scil. post solis ortum; nemo autem matutino tempore convivium instituit. Apud rabbinos hora qua primum liceat quidquam comedere assignatur quarta (cf. *Lightfoot*, Horae hebr. ad h. l. *Wetst. Beel. Patr.*).

Quam apte et prudenter orationem instituat Petrus, effert *Chr.* : « nondum auditur nomen Christi, nec promissio illius est, sed Patris; vide sapientiam; non statim transit ad ea quae Christum spectabant; alioquin omnia subvertisset » (sim. *Oec.*); viam sibi parat ostendens id fieri quod per prophetam erat promissum, et prophetiam recitans pios Iudaeos sibi conciliat v. 16 *sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioel :* v. 17 *et erit in novissimis diebus (dicit Dominus)*, Ioel 2,28 seq. (hebr. 3,1) legitur : et erit post haec effundam etc.; sed ex contextu apud prophetam sensus est : post periodum praeparationis orietur nova epocha quae insignis futura sit larga effusione Spiritus Dei i. e. epocha messiana (vide Comment. in Proph. min. I. p. 231); quare Petrus necessario periodum messianam designat formula illa apud prophetas usitata (vide ad Is. 2,1. Mich. 4,1); non poterat in oratione hac dicere *post haec* contextu vaticinii totius omisso; *effundam de Spiritu meo* (ἀπὸ, uti LXX) *super omnem carnem;* verbum effusionis ostendit muneris largitatem (*Beda*), quae non uni populo, sed *omni carni*, toti generi humano obtinget (vide Comment. l. c.) et huius effusionis effectus, qui percipi facile possunt, recensentur aliqui : *et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae* i. e. divino impulsu loquentur salutaria, abscondita et futura, *et iuvenes vestri visiones videbunt et seniores vestri somnia somniabunt;* iis enim modis Deus se communicare velle iam Num. 12,6 edixit; nullus sexus, aetas nulla excluditur. Ad sermonem concinnum spectat illa singulorum donorum distributio per singulos ordines; v. 18 *et quidem* καί γε atque etiam, hebr. וגם (sed et, vulg.) *super servos meos et super ancillas meas*

(uti LXX) *in diebus illis effundam de spiritu meo et prophetabunt;* v. 19 *et dabo prodigia in coelo sursum et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem et vaporem fumi,* cum hac effusione mirabiles ait coniunctum iri effectus; uti moris est apud prophetas, uno quasi conspectu tota periodus messiana, eius initium ac consummata perfectio exhibetur; unde hic quoque effusioni Spiritus, qua Ecclesia conditur, conservatur, regitur, statim subiungitur id quod tandem in iudicio universali plenum suum habebit exitum v. 20 *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus;* cf. Matth. 24,29. Marc. 13,24. 25. Luc. 21,25. Apoc. 6,12 seq. 8,7; 9,2; 16,2 seq.

Contendunt aliqui critici, orationem Petri de dono linguarum nihil continere, unde illud in v. 4. etc. tamquam interpolationem demonstrari. Mira hominum ingenia et quandoque satis obtusa! Loquitur apostolus de effusione Spiritus, de prodigiis, de signis in terra! num clamores et gestus qui ebriorum esse censeri possunt veluti illius oraculi impletio proponuntur? nonne eo ipso quod *tale* oraculum nunc dicatur impleri, satis superque locutio illa miraculo effecta declaratur? Porro cum hac divina manifestatione coniungitur et promissio et norma salutis : v. 21 *et erit, omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit* i. e. qui Deum talem esse confitentur, implorant, diligunt ac venerantur, qualem *nomine* suo i. e. revelatione, promissis, beneficiis se manifestaverit. In hebr. nomen Iahve, quod nomen Deus foederi suo praefixit, quo et foederis illius constantiam, immutabilitatem, sublimitatem designaret et ultimum eius terminum, ipsius naturae divinae visionem ac fruitionem innueret; est enim Iahve nomen Dei *essentiale,* ὁ ὤν (cf. Ex. 3,14; vide *de Hummelauer,* Comment. in Exod. p. 50 seq.; meum Comment. in Proph. min. I p. 45. 157. 233). — Quae in v. 19. 20 dicuntur aliqui referunt ad stragem et cladem urbi et templo a Romanis illatam, et prodigia cernunt in iis quae Iosephus refert in aere, urbe, templo esse facta (Bell. iud. 7,12), sanguinem, ignem intelligunt caedes, bella intestina et incendia urbis et templi (cf. *Chr. Oec. Theoph. Cyr.* in cat. *Severian. Nicolaus* in cat. *Calm. Beel.*); quae tamen acceptio angustior est; spectatur totum tempus messianum et praeprimis ultimum iudicium.

Nova compellatione facta iam sermonem ad mentionem Iesu transfert v. 22 *viri Israelitae,* nomen est honoris ac dignitatis (cf. Gen. 32, 28. Act. 4,10) *audite verba haec,* « nec dicit; obtemperate, sed audite, quod sane molestum non erat; et adverte quomodo nihil sublime dicat, sed ab humilioribus incipiat » (*Chr.*), *Iesum Nazare-*

num, virum approbatum a Deo in vobis, apud vos, εἰς ὑμᾶς, vobis scientibus et plane cognoscentibus, *virtutibus, prodigiis et signis quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis;* ostensurus Iesum esse Messiam ab iis incipit, quae in omnium conspectu gesta sunt; bene expendit *Chr.* prudentem orationis dispositionem : « nec dicit statim eum resurrexisse, sed quod a Deo ad ipsos venerit; hoc autem manifestum est iis quae fecit; neque dicit ipsum fecisse, sed Deum per ipsum, ut modestius loquendo eos pertrahat, ad quam rem ipsos testes vocat »; v. 23 *hunc definito consilio et praescientia Dei traditum,* sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret (Ioan. 3,16); Deus Pater secundum suum consilium, decretum determinatum Iesum tradidit, permisit potestati inimicorum; tradidit eum in passionem et mortem; nam calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum (Ioan. 18,11) et sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio (Ioan. 14,31); proin quae Iesu acciderunt, a Deo praescita erant; sua enim praescientia a tota aeternitate sciebat fore ut Iudaei Iesu inferrent necem et a tota aeternitate decreverat, ut Iesus pro hominum salute oppeteret mortem. Nam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (Rom. 8,32). Hisce igitur Petrus obviam it tacitae quasi obiectioni, quae iis in mentem venire posset : quomodo potuit legatus Dei morte turpissima plecti? praevidit Deus malitiam Iudaeorum, eam permisit atque ita Iudaei voces prophetarum iudicantes et occidentes Iesum impleverunt (Act. 13,27), *per manus iniquorum* Pilati, militum praesidis, *affligentes interemistis* προσπήξαντες *affigentes* scil. cruci; nam clamoribus et minis eorum tandem praeses romanus invitus Iesum mortis damnavit. In vulg. legitur affligentes; sed recte habet « gigas librorum » uti etiam Lyranus *affigentes.* Iudaei Iesum cruci affixerunt et occiderunt gladio linguae, ut ait *Aug.* (in Ps. 63,2), quia coegerunt iudicem romanum.

Iam illud divinae approbationis signum iis proponit quod iis datum iri ipse Iesus saepius asseruit (Matth. 12,39; 16,4. Luc. 11,29. Ioan. 2,19) v. 24 *quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni,* i. e. solutis vinculis inferni (scheol cf. 2 Sam. 22,5 funes inferni חֶבְלֵי שְׁאוֹל; sed Ps. 18,5 hebr. funes mortis; LXX in Ps. ὠδῖνες, 2 Reg. 22, 5 συντριμμοί; distinguunt חֶבֶל funis, חֵבֶל dolores); *iuxta quod* καθότι secundum id quod, propterea quod *impossibile erat teneri illum ab eo;* fieri nullatenus potuit, ut Iesus captivus teneretur ab inferno, a scheol. Quia Iesus post resurrectionem se non populo manifestavit, Petrus prudenter probat ex vaticinio resurrectionem, priusquam ad testimonium apostolorum provocat. Nam ipso vaticinio animi ad notionem resurrectionis Messiae praeparantur ideoque etiam ad eius fidem,

quam testimonio confirmari audient v. 25 *David enim dicit in eum*, verba eius illum spectant, de eo enuntiantur : *providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear*, Ps. 15,8 (hebr. 16,8), iugiter mentem meam ad Dominum intendebam; adiutor mihi adstat, ne commovear, titubem; v. 26 *propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea* (ita LXX; hebr. כְּבוֹדִי gloria mea i. e. animus meus), *insuper et caro mea requiescet in spe* (hebr. secure, in quiete et securitate; LXX ἐπ' ἐλπίδι) v. 27 *quoniam non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum*[1] *videre corruptionem*, LXX διαφθοράν; hebr. שַׁחַת, quae vox certe habet notionem putredinis, corruptionis, uti patet Iob 17,14 : *putredini* dixi : pater meus es; mater mea et soror mea vermibus; ita explicari debet ob membrum parallelum et eo sensu vocem acceperunt non solum LXX, sed etiam Aquila et Theodotion; adverte שחת Iob 17,14 nomen considerari masculinum; ergo vox ea distinguiter a שַׁחַת fovea, quod est nomen femininum; vide quae dixi in Comment. in Iob p. 225. Pro corruptione vita et beatitate donatur v. 28 *notas mihi fecisti vias vitae*, hebr. me edoces viam vitae; proin a Deo ad vitam educitur *et replebis me iucunditate cum facie tua* μετὰ τ. πρ. σου cum facie tua, apud faciem tuam, apud te; hebr. abundantia laetitiae apud faciem tuam.

Nova compellatione eaque magis familiari iam transit ad vaticinium explicandum v. 29 *viri fratres*, ad corda illorum loqui vult, suum in eos ostendens amorem, *liceat audenter* ἐξὸν μετὰ παρρησίας fas (est? esto?) cum libertate *dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem*, πατριάρχης, ἄρχων vel auctor πατριᾶς, auctor gentis vel stirpis ex qua Messias oriundus erat; de sepulcro David cf. Neh. 3,16; eius sepulcri mentionem facit *Iosephus* (Antiq. 7,15,3; 13,8,4; 16,7,1 et Bell. iud. 1,2,5); v. 30 *propheta igitur cum esset et sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius*, cf. 2 Reg. 7,12. Ps. 131,11; 88,30; v. 31 *providens locutus est de resurrectione Christi quia neque derelictus est in inferno*, de descensu Christi ad inferos scribit Petrus etiam 1 Petr. 3,19; *neque caro eius vidit corruptionem;* unde oraculum David in Iesu est impletum; id quod testes oculati confirmant : v. 32 *hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus;* cf. 1,22; 10,41. Iam si iis de resuscitatione Iesu persuasum est, facile credent eius exaltationem; cum primum enim Messias demonstratus est, etiam probatum est

1. Ita numerum singularem in hebr. quoque (uti in versionibus) esse legendum toto psalmo suadetur, in quo semper de uno aliquo sermo fit.

impleri vaticinia messiana; unde concluditur v. 33 *dextera igitur Dei exaltatus;* i. e. per Dei potentiam; sunt qui ob v. 34 explicent : ad dexteram Dei exaltatus; quae explicatio ab indole graecae linguae quidem non abhorret (nam poetae quandoque et scriptores aetatis posterioris verbis quae motum significant adiungunt dativum pro praepositione εἰς, πρός) et *Winer-Moulton* eam adoptat (A treatise on the Grammar, 1882 p. 269); attamen haec constructio alibi in novo testamento vix occurrit; dein magis videtur spectare ad contextam orationem, ut sicut dictum est Deum resuscitasse, ita exaltatio quoque Christi in coelum ad Dei potentiam referatur, id quod ad Ps. 15 (cf. v. 25-28 modo allatos) quoque congruit. Insuper habetur progressio orationis : enuntiatur exaltatio, quae qualis ac quanta sit, dein proponitur; *et promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hunc quem vos videtis et auditis* i. e. Christus accepit a Patre potestatem promittendi et mittendi Spiritum sanctum; Spiritus sanctus iam in vaticiniis messianis promissus erat (cf. Ioel, Ez. 11,19; 36,26. Is. 44,3); unde facile patet fore ut per Messiam detur, quare iam praecursor id annuntiavit (Matth. 3,11); τοῦτο omnino potest referri ad τὸ πνεῦμα ἅγιον (cf. *Patr. Felt.*), vident, audiunt effectus Spiritus; potest etiam verti *id quod*[1] videtis et auditis. Bene notat *Chr.* quomodo Petrus progressione quadam dignitatem Christi explicet; iam enim dicit : ipse effudit. Ceterum quae Petrus dicit, doctrina Christi imbutus dicit; cf. Ioan. 14,16; 15,26; 16,7.

Qualiter sit exaltatus declaratur v. 34 *non enim David ascendit in coelum; dixit autem ipse : dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis,* v. 35 *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* Ps. 109,1; cf. Matth. 22,43; Christus itaque in coelum assumptus factus est σύνθρονος Dei, eodem honore eademque regnandi dignitate praeditus. Sermo fit ad Messiam; unde significatur Christum secundum humanam naturam esse assumptum ad consessum dexterae Dei; proin naturam illam humanam esse elevatam supra omnes creaturas et proximam Deo et iam possidere summam illam dignitatem regni. De sessione ad dexteram cf. 3 Reg. 2,19. Eph. 1,20. 21. Hebr. 1,3. Iam vela contrahit Petrus conclusione gravissima quam magna dicendi libertate et fortitudine enuntiat, minime veritus accusationem tremendam, sed veram eorum auribus inferre v. 36 *certissime sciat ergo omnis domus Israel,* tota natio, *quia et Dominum eum et Christum fecit Deus,* ut talem constituit et proinde ut talem agnosci vult et iubet, *hunc Iesum quem vos crucifixistis!* magna vi epexegetice

1. Ita gig effudit hoc quod...; idem vult *Cai.; Dion. Salm.* legunt : effudit hoc donum quod videtis; et ita in graeco haberi ait *Beda,* et Philastrius : hanc gratiam quam (cf. *Ti.*).

additur *hunc Iesum* et dein effertur, quanta in oppositione ipsi egerint : Deus eum constituit regem Messiam, vos turpissima morte eum occidistis! « Bene huc desinit illorum animos exagitans; postquam enim ostendit qualis quantusque sit, tum reliquum erat ut et audax illud facinus declararet palam, ut sic maius ostenderetur eosque timore corriperet; non enim sic homines beneficiis alliciuntur, ut timore castigantur » (*Chr.*) et *Lap.* : « hic ingens est stimulus quo S. Petrus mira libertate et sinceritate pupugit corda Iudaeorum ».

Ex hac Petri oratione et argumentatione simul discimus quam verum sit illud : tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (Luc. 24,45). Nam hae interpretationes censendae erunt illae ipsae quas Dominus post resurrectionem loquens de regno Dei suos edocuit apostolos. Unde nobis quoque norma interpretationis exhibetur. Petrus aramaice loquens eadem dialecto oracula recitasse putandus erit; Lucas graece scribens ea fere ex interpretatione graeca, quae sensu nullatenus differt, transsumpserit. Psalmum 109 sensu litterali esse messianum videtur certum; psalmum 15 typice messianum ita aliqui dicunt, ut totus psalmus significatione litterali ad Davidem, typice ad Christum spectet (cf. *Calm. Hoberg*); alii aliquam psalmi partem ad David, alteram ad solum Christum pertinere malunt. Qua sententiarum diversitate cum argumentatio Petri non tangatur, non est cur in ea discutienda hoc loco immoremur; est ea interpretis Psalmorum.

Verum ac solidum discrimen invenisse se putat *Hilg.* inter 1,4 et 2,33. Ibi enim Spiritus sanctus dicitur promissio Patris, quam Iesus qui nondum in coelum ascendit se missurum pollicetur; hic vero asseritur promissio quam Iesus non accepit nisi post suam exaltationem et ascensionem in coelum. Sed participium illud λαβὼν nullatenus creat aliquam cum 1,4 aliisque locis (Luc. 24,49. Ioan. 15,26; 16,7) contradictionem. Neque enim dicitur eum tum demum promissionem accepisse a Patre, qua Spiritum aliis promittere ac mittere posset; sed ἐπαγγελίαν hoc loco et 1,4 et Luc. 24,49 intelligi debet τὸ ἐπηγγελμένον πνεῦμα Spiritus scil. iam in vetere testamento promissus; hunc utique accipit a Patre et effundit exaltatus; hunc promissum promittit se missurum in terra versans. Neque statuenda esset contradictio, etsi ἐπαγγελίαν de ipsa promittendi actione explicaveris; nam tum quoque patet Christum debuisse actionem promittendi seu facultatem promittendi habere non demum in coelis, sed in terris; neque obstat λαβών, quia participio aoristi id exprimitur quod antea et etiam quod diu antea factum sit. Putat *Feine* orationem esse desumptam ex fonte illo iudaeo-christiano et nihil in ea contineri de universali indole rei christianae. At ipsum vaticinium Ioelis plane universale est; etsi « super omnem carnem » restrinxeris ad Iudaeos, tamen in hebr. sermo est de servis et

ancillis, qui saepe erant ex alienigenis; ergo illi nequaquam excluduntur; item *omnis quicumque* » etc. post signa illa quae ad unam terram Israel referri non possunt satis indolem universalem declarat. — Quia etiam Paulus 13,35.37 ex Ps. 15 arguit, censet *Holtzmann* nec Petrum nec Paulum eo modo arguisse, sed nobis solum offerri « theologiam lucanam »; insuper vir acutus invenit, quae in v. 27. 31 dicantur de corpore resurgentis congruere quidem cum 1,3. 4 et Luc. 24,39-43. 50, at non cum « antiquiore sententia » 1 Cor. 15,4-8. At quid dicit Paulus : Christum esse sepultum et resurrexisse et saepius esse visum; iam si surrexit is qui sepultus est, vero corpore indutus debet cogitari; alias non surrexit, qui erat sepultus; neque ullo pacto posset dici surrexisse, si solum anima se spectandam praebuisset aerio quodam corpore visibilis, uti e. g. angeli apparere dicuntur. — En quibus cavillationibus utuntur, ut rem planam obscurent et sacros auctores inter se discrepare, proin esse fide indignos, ostendant!

e) Aggregantur primi fideles 2,37-47.

2,37. His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos : Quid faciemus, viri fratres? 38. Petrus vero ad illos : Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus sancti. 39. Vobis enim est repromissio et filiis vestris et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. 40. Aliis etiam verbis pluribus testificatus est, et exhortabatur eos dicens : Salvamini a generatione ista prava. 41. Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.

42. Erant autem* perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. 43. Fiebat autem omni animae timor; multa quoque prodigia et signa per apostolos in Ierusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. 44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. 45. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et fran-

2,37. Ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν τὴν καρδίαν, εἶπάν τε πρὸς τὸν Πέτρον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀποστόλους, Τί ποιήσωμεν, ἄνδρες ἀδελφοί; 38. Πέτρος δὲ πρὸς αὐτούς, Μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν· καὶ λήμψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. 39. ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν. 40. ἑτέροις τε λόγοις πλείοσι διεμαρτύρατο καὶ παρεκάλει αὐτοὺς λέγων, Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης. 41. Οἱ μὲν οὖν ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ ἐβαπτίσθησαν· καὶ προσετέθησαν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι.

42. Ἦσαν δὲ προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ, τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς. 43. ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος, πολλά τε τέρατα καὶ σημεῖα διὰ τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο. 44. πάντες δὲ οἱ πιστεύσαντες (ἦσαν) ἐπὶ τὸ αὐτὸ, (καὶ) εἶχον ἅπαντα κοινὰ, 45. καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν. 46. καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ,

gentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis, 47. Collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας, 47. αἰνοῦντες τὸν Θεὸν καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένους καθ' ἡμέραν ἐπὶ τὸ αὐτό.

In v. 37 D* και τινες εξ αυτων ειπαν; in fine add υποδειξατε υμιν D E ph (mg) Aug gig tol ostendite nobis, Bed monstrate nobis. In v. 38 εν τω ον. B C D Cyr Epiph Cyr hr Thdrt; al επι. In v. 41 add ασμενως E P al pler syr (utr) arm Chr Aug avidissime exceperunt verba, Bed libenter; add et crediderunt Aug ph (mag.). In v. 42 communicatione fractionis d vulg sah cop aeth; syr sociati in oratione et in fractione eucharistiae. In v. 43 non add in Ierus. B D aliq minusc gig sah ph arm aeth Chr; add φοβος τε ην μεγας επι παντας ℵ A C al 10 vulg cop; non add B D E al plu sah syr ph arm aeth Chr gig. In v. 44 πιστευοντες A C D E P al plu Chr. In v. 45 D και οσοι κτηματα ειχον η υπαρξεις, sim syr. In v. 46 D και κατ οικους (ησ)αν επι το αυτο κλωντες τε αρτον; gig per domos. In v. 47 προς ολον τον κοσμον D, et D επι το αυτο εν τη εκκλησια ph; gig addebat.

Moyses quidem die pentecostes sollemnitatem primitiarum praecepit initiari, nunc autem superveniente Spiritu sancto, non manipuli spicarum, sed animarum sunt primitiae Domino consecratae (*Beda*); nam Spiritu sancto corda movente et vim ac vigorem addente verbis Petri v. 37 *his autem auditis compuncti sunt corde* κατενύγησαν quasi acri stimulo puncti dolore acerbo perculsi sunt, *et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos : quid faciemus, viri fratres;* culpam itaque nationalem quam condemnato Iesu contraxerant agnoscunt et de ea summopere dolent; adfuisse quoque qui clamaverant : crucifige, sane probabile est; illos prae reliquis sollicite quaerere quid sibi iam praestandum sit planum est. Apparet exauditio illius : Pater, dimitte illis, nesciunt quid faciunt (Luc. 23,34); v. 38 *Petrus vero ad illos : poenitentiam, inquit, agite,* μετανοήσατε, advertunt imperativo aoristi hanc etiam inesse notionem, ut sine ulla mora, statim aliquid fieri praecipiatur; μετανοεῖν ita dicit mentem mutare ut simul dolor de actione praeterita significetur; respondet itaque verbo poenitere; cf. Matth. 11,21 in sacco et cinere μετανοεῖν, Luc. 10,13,2 Cor. 12,21; atque eo sensu etiam apud profanos adhiberi, certum est; vide exempla in Comment. in Matth. I p. 117. Uti Ioannes baptista et Christus ipse praedicationem inceperunt a poenitentia, ita Petrus quoque docet intrandum esse in regnum Dei, in regnum messianum per poenitentiam; sed simul promulgat praeceptum Christi (cf. Matth. 28,19. Ioan. 3,5) : *et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi;* nomine singuli cognoscuntur et ab aliis distinguuntur; unde *nomen* Dei, Iesu pro iis omnibus ponitur quae Deus de se revelavit, quibus

nobis notus est. Nomen Iesu Christi proinde omnia complectitur, quae de eo credenda et confitenda sunt; ergo baptizari *in* eius nomine nihil aliud est nisi immersionem sacram illam suscipere quae adiunctum habet modum (ἐν) qui nomine Iesu Christi designatur; est itaque baptismus qui fit ex praescripto Christi et qui suscipitur cum fide et confessione Iesu Christi. Alii legunt hoc loco ἐπί, qua particula causa et fundamentum exprimitur cui aliquid innititur; pariter nomen Iesu, id quod de eo scitur et creditur illud est, in quo baptismus nititur, ex quo vim et efficaciam sortitur. Finis autem et terminus ad quem iste baptismus dirigitur est *in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus sancti;* ita baptismus Christi discernitur a baptismo Ioannis et declaratur quid sit Iesum baptizare in Spiritu sancto. Fit enim remissio peccatorum per infusionem gratiae sanctificantis et per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. 5,6). Donum illud est ipse Spiritus sanctus, quatenus simul cum gratia creata novo modo in anima iusti inhabitat (cf. 1 Cor. 6,19).

Putant aliqui (*Suarez,* de confirm. disp. 32 s. 1, *Est. Beel.*) iam esse sermonem de conferendo baptizatis illis sacramento Confirmationis, quo Spiritus sanctus conferatur ad robur. Sed praestat cum *Patr.* dicere : ipsa orationis constructio ostendit id quod his verbis enuntiatur effectum esse baptismi, non secus ac remissionem peccatorum et cum hac donum Spiritus sancti coniungi quidem, ita ut neutrum sine altero esse queat, utrumque tamen distingui inter se. — Censet S. Thomas « quod ex speciali Christi revelatione apostoli in primitiva ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi quod erat odiosum Iudaeis et gentilibus honorabile redderetur » (3 p. qu. 66 art. 6 ad 1); eodemque modo legitur in catechismo romano apostolos in nomine tantum Domini I. Ch. baptizasse (p. 2 cap. 2 qu. 15), et eam sententiam S. Thomas l. c. etiam adscribit S. Ambrosio (de Sp. s. 1,3) et Nicolao I Papae in responsione ad consulta Bulgarorum. At nullo modo sequitur apostolos unquam aliam formam baptismi conferendi adhibuisse praeter illam a Christo expressam Matth. 28,19[1]. Nam quid *in nomine* significet, modo dictum est. Ergo ex ea locutione illud nullatenus consequitur; ceterum vide quae de formula *in nomine* dixi ad Matth. 6,9 et 18,5. 20 et Ioan. 15,16 etc. Dein quod narratur Act. 19,2. 3 argumento est formulam baptismi etiam aetate apostolica eandem fuisse. — De S. Ambrosio et responso a Nicolao I dato vide *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae VI n. 388. 389; ex *integro* responso patet agi non de formula baptismi conferendi, sed de intentione baptizantis, utrum volue-

1. Id demonstratur quoque antiquissimo illo documento christiano : Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων. Nam postquam cap. 7 dictum est περὶ τοῦ βαπτίσματος, οὕτω βαπτίσατε, inter alia : ἔκχεον εἰς τὴν κεφαλὴν τρὶς ὕδωρ εἰς ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, legitur cap. 9 οἱ βαπτισθέντες εἰς ὄνομα κυρίου qui scil. soli de eucharistia participare possint.

rit baptisma christianum conferre necne. — Sententia S. Thomae hodie derelicta est.

Adhortationi et promissioni quam enuntiavit (baptizetur, accipietis) adiungit rationem firmam et ad animos spe ac fiducia imbuendos aptissimam v. 39 *vobis enim est repromissio et filiis vestris*, illa scil. promissio v. 33 quam ex Ioele recitavit v. 17, fore effusionem Spiritus sancti, quae promissio primo et per se *genti* Iudaeorum fit, verum, uti alia vaticinia messiana, non in una stirpe quasi concluditur et absolvitur, sed ad exteras quoque nationes protenditur : *et omnibus qui longe sunt* τοῖς εἰς μακράν (scil. κατοικοῦσιν, cum εἰς cf. Matth. 2,23; 4,13. Act. 7,4; etiam 2,5 apud aliquos testes), *quoscumque advocaverit Dominus Deus noster*, ex omnibus nationibus Dominus suos sibi vocaturus est ad regnum suum, ad Ecclesiam. Agi hic de gentibus ipsa verba omnino suadent. Nam Iudaei iam designati sunt *vobis et filiis vestris*; hos enim ad solos incolas urbis referre non est ulla ratio, nam oraculum Ioel non de solis incolis urbis, sed de natione Iudaeorum agit. Neque οἱ εἰς μακράν Iudaei sunt inter gentes viventes; nam οἱ εἰς μακράν tales sunt, ex quibus Deus dicitur *ad se vocaturus* esse quoscumque voluerit προσκαλέσηται; iam ea voce designantur qui eousque alieni sunt a Deo; alieni autem a Deo Iudaei conditione nationis foederisque spectata vocari non possunt. Etiam in evangelio Iudaei omnes ratione habita regni messiani appellantur κλητοί, κεκλημένοι; cf. Matth. 22,3. 4.14 (Comment. II p. 241. 247). Recte itaque plerique de gentibus ea verba accipiunt (*Oec. Theoph. Bed. Dion. Salm. Lap. Calm. Patr. Felt. Bl.*); ad Iudaeos inter gentes commorantes referunt *Beel. Wendt*, ea quoque ducti opinione falsa oraculum Ioel unam stirpem spectare iudaicam. Neque censeri potest vocationem gentium eo tempore fortasse Petro fuisse adhuc incognitam. Nam de ea iam locutus est Christus ante passionem (Ioan. 10,16), post passionem saepius (Matth. 28,19. Marc. 16,15. Luc. 24,47. Act. 1,8) et si Christus apostolis aperuit sensum vaticiniorum messianorum, non potuit non loqui de vocatione gentium. Non obstare Act. 10, vide infra.

Quanto studio docuerit et exhortatus sit fratres, narratur v. 40 *aliis etiam verbis plurimis testificatus est et exhortabatur eos*, proin graviter affirmans et testimonium reddens et arguens atque admonens et rogans loquebatur ad eos, *dicens : salvamini a generatione ista prava* σκολιᾶς, perversa et improba, quae scil. non recta graditur via, verum tortuosa et curva sequitur. Dicitur *salvari* ἀπό, scil. ut suam quaerant salutem, ut salutem messianam amplectantur sese separantes ab aequalibus improbis; ita sese salvabunt a poenis et ab interitu

generationis perversae. Iam clare indicatur fore ut magna Iudaeorum pars repudiet salutem messianam. Sequetur itaque « generatio haec mala et adultera » (Matth. 12,39) pessima constantia viam quam semel ingressa est et a qua noluit revocari (cf. Matth. 8,12; 21,41 seq.), uti oraculis quoque prophetarum iam praedictum erat (cf. Is. 65,2. Rom. 10,21). Quam efficax fuerit Spiritus sancti operatio, collige ex v. 41 *qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia;* appositae scil. ad eos qui iam antea in Christum credebant, uti illi centum viginti 1,15 (cf. 5,14; 11,24); ψυχαί uti נְפָשׁ Ex. 1,5. Num. 31,46 etc. Bene dicitur in cat. : tunc impleta est prophetia Isaiae : quis audivit unquam tale aut quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos; laetare Ierusalem et exsultate omnes qui diligitis eam (Is. 66,8. 10). Quaerunt potuerintne omnes isti eo die baptizari? Varia possunt excogitari. Fortasse omnes illi centum viginti vel plurimi ex illis administrabant baptismum; num necesse est ut omnes eodem die sint baptizati? quomodo baptizabantur? probabilissime per immersionem; sed iam antiquitus etiam aspersione vel potius infusione esse baptizatum, discimus ex Doctrina 12 ap. : ἔκχεον εἰς τὴν κεφαλὴν τρὶς ὕδωρ εἰς ὄνομα πατρὸς etc. (cap. 7).

In sequentibus exhibetur nobis vita primorum Christifidelium v. 42 *erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus;* graece quattuor assignantur : assidue institutioni assistebant quam apostoli tradebant eique operam navabant intentam; pari diligentia studebant τῇ κοινωνίᾳ fraternae inter se societati (*Cai.*), *Chr.* vocem explicat τὸ ὁμοθυμαδόν, animorum unionem ac consensionem; proin inter se coniuncti et consuetudine religiosa ac familiari uniti iam incipiebant coetum peculiarem ab aliis distinctum efformare. Tertio assidue intenti erant (προσκαρτεροῦντες) τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, fractioni panis i. e. celebrationi eucharistiae, uti syriaca versio simplex iam explicite effert. Refertur fractio panis ad panem eucharisticum, uti iam ipso contextu suadetur, cum praecedat institutio salutaris animorumque sacra consensio quae ex ipsa Christi doctrina efficitur, et subsequatur frequens precationum studium. Dictio illa ex ipsa institutione eucharistiae petita est (cf. Matth. 26,26); quare apostolus quoque scribit : panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est (1 Cor. 10,15)? Demum dediti erant assidue ταῖς προσευχαῖς. Notat *Beel.* : « cum vero *certae* quaedam *preces sacrae* (ταῖς πρ. cum articulo) iungantur institutioni in doctrina sacra et participationi corporis Domini, non obscure hic delineatum est incruen-

tum illud novae legis sacrificium, sacrificii crucis commemorativum, quod Deo in Ecclesia catholica ubique terrarum offertur ». Preces sane antiquissimae quae olim fundebantur in perceptione eucharistiae habentur in Doctrina 12 ap. cap. 9, ibique cap. 14 eucharistia dicitur illud sacrificium (θυσία) quod propheta praedixit, in omni loco et tempore oblatum iri oblationem mundam.

Divinitus quoque factum est, ut coetus fidelium per aliquod tempus servaretur sine ulla ab adversariis molestia, quo scil. recens haec ac tenera plantatio firmiores ageret radices; v. 43 *fiebat autem omni animae timor* i. e. omnes iis quae die pentecostes acciderant religioso quodam timore ac sacra verecundia affecti sunt, ita ut ab omni vexatione fidelium longe abessent et potius illos magna quadam reverentia prosequerentur. Ad quam augendam accedebant signa : *multa quoque prodigia et signa per apostolos in Ierusalem fiebant;* hac parte turbari narrationem aliqui volunt, quia demum in capite sequenti sanatio claudi tamquam primum miraculum referatur; sed ubi scribitur fuisse *primum ?* nos remittunt ad 3,11 seq. 4,16.21. Verum nullibi dicitur esse *primum;* id solum elucet fuisse miraculum maxime *notum*, quod ratione habita et hominis et multitudinis quae in templo congregata testis erat nemini mirum videri potest. Signis illis crescebat reliquorum reverentia : *et metus erat magnus in universis;* quae pars in sat multis deest, et deesse potest, quia in antecedentibus res iam satis est expressa.

Fidelium vita porro describitur socialis v. 44 *omnes etiam qui credebant erant pariter* ἐπὶ τὸ αὐτό; profecto sensus esse nequit quem *Wendt* vult *in eodem loco;* numerus enim fidelium iam maior erat; minorem habet difficultatem quod *Beel.* proponit, eos fortasse in certa quadam urbis parte domicilium collocasse, ut quantum fieri posset vicini essent inter se. Explicat *Chr.* de κοινωνίᾳ ἐν πολιτείᾳ; communiter accipiunt de continua inter eos concordia et benevolentia (*Theoph. Cai. Beel. Calm. Patr.*), una erant negato omni discidio (*Bl.*); simul erant, quia statis horis ad synaxin, ad concionem, ad orationem conveniebant (*Lap.*); proinde iam se ut coetum quendam ab aliis distinctum palam exhibebant (*Felt.*) *et habebant omnia communia;* imitabantur itaque fideles eam vitae rationem, quam apostolos et discipulos antea iam amplexos esse sciebant. Quare ditiores v. 45 *possessiones* τὰ κτήματα, dicitur vox de fundis, agris etc. *et substantias* τὰς ὑπάρξεις, bona mobilia (*Beel.*) *vendebant et dividebant illa* scil. pecuniam ex venditione acceptam *omnibus prout cuique opus erat;* eos *omnia* bona vendidisse non dicitur; sed ita vendebant, ut egenis necessaria tribuere possent, et ex suis opibus et facultatibus liberali-

ter pauperibus tribuebant, uti dicitur 4,32 : nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possidebant itaque opes et bona; at ea non ita sua esse dicebant et existimabant, ut non largiter iisdem uti ac frui permitterent pauperioribus. Ita esse intelligendum patet ex natura rei; quomodo enim fieri posset ut omnes omnia venderent bona immobilia et mobilia? unde tandem postea pecunia mox expensa viverent? patet ex Act. 4,32; patet, quia venditio agri a Barnaba facta singulari mentione digna habetur, quae esset superflua, si omnes idem praestitissent, patet denique ex verbis Petri 5,4 et ex 12,12.

Statis horis quibus populus ad publicam precationem conveniebat ipsi quoque templum adibant v. 46 *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo,* seduli erant in frequentatione templi exemplum Christi imitati et apostolorum (3,1); neque enim erat e consiliis Dei, ut statim fideles seiungerentur a Iudaeis neque ut statim ritus et observantias veteres abiicerent; paulatim transitus ille e synagoga ad Ecclesiam erat faciendus; ea coniunctione quae per tempus aliquod erat retinenda Iudaeis via parabatur ad regnum messianum; verum cultui illi in templo alterum substituebant in domibus privatis, quem docuerat Christus : *et frangentes circa domos panem* κατ' οἶκον potest omnino explicari per domos, domatim; cf. 15,21 κατὰ πόλιν (in singulis civitatibus) et Luc. 8,1 κατὰ πόλιν καὶ κώμην, eodemque modo hic legitur καθ' ἡμέραν per unumquemque diem (*Patr. Felt.*). Potest tamen etiam accipi *domi* i. e. *privatim,* in oppositione ad ἐν τῷ ἱερῷ, in templo orationibus quidem vacabant, sed privatim celebrabant eucharistiam. Ita puto etiam hic verba esse intelligenda cum *Salm. Lap. Tir. Felt.;* at plerique non de pane eucharistico, sed de cibo communi explicant (cf. *Chr. Oec. Theoph. Cai. Dion. Beel. Calm. Patr.*); verum est *panem frangere* etiam de comestione profana et communi adhiberi 20,11; 27,35, neque de eucharistia explicandum censeo Luc. 24,30. Verum hoc loco tamen quaedam reperiuntur, quibus explicatio de cibo communi excludi videatur. Nam illud κατὰ οἶκον opponitur τῷ ἐν τῷ ἱερῷ; sed eos cibum sumpsisse non in templo, sed domi, certe peculiari mentione non indigebat; in templo autem eos orasse, at cultum suum peculiarem privatim vel per domos exercuisse, apte commemoratur simulque suppletur id quod in v. 42 dictum erat. Dein de cibo communi statim sermo infertur; cur id adderetur, si iam *frangentes panem* idem indicavit? *sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis* omni scil. gaudio spirituali repleti et animorum candore, integritate, ingenuitate conspicui morumque suavitate; v. 47 *collaudantes*

Deum « non coarctandum videtur ad preces ante et post mensam factas, sed universalius intelligendum : Dei laudes indesinenter praedicabant » (*Beel.*); quae acceptio magis generalis etiam sequenti membro confirmatur : *et habentes gratiam ad omnem plebem;* grati erant omni plebi; omnes illis favebant ob vitae probitatem, modestiam, caritatem quam exhibebant. Eorum vitae sanctitate, institutione et doctrina apostolorum et potenti Spiritus sancti gratia effectum est, ut numerus fidelium in dies augeretur : *Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum* τοὺς σωζομένους Dominus addebat; cf. v. 40; qui itaque salutem messianam amplexi salvabantur ex generatione ista prava. Dominus eos apponit, addit; nam incrementum dat Deus (1 Cor. 3,7) et Deus vocat ad regnum messianum (cf. Ioan. 17,6. 1 Cor. 1,9). Qui addebantur, eadem concordia et animorum consensione utebantur cum aliis fidelibus; nam προσετίθει... ἐπὶ τὸ αὐτό; cf. v. 44.

In hac narratione aliqui critici varia offendicula deprehendunt. Numerum illum trium millium v. 41 valde esse exaggeratum; immo nullatenus posse componi cum v. 46 κατ' οἶκον, qua voce eandem volunt intelligi domum, de qua 1,13 et 2,2 mentio fiat; at domum quae sufficiat congregandis centum viginti, nullatenus capere posse tria millia! Poterant tamen acuti illi perspicere etiam scriptorem huius narrationis non tam crassi fuisse ingenii, ut non intelligeret unam domum non posse capere tria millia. Proin eo ipso explicatio criticorum de una domo explosa est. Nullibi dicitur tria millia in una eademque domo fuisse vel illos nullam aliam habuisse domum ad coetus celebrandos nisi illam 1,13. Si dico : Christifideles in templo orant et domi manducant, num propterea assero omnes in una eademque domo habitare? — Pariter inveniunt quidam contradictionem inter v. 43 et 47 : ibi timor plebis, hic favor et gratia! Sed cur non utrumque? sacra quadam reverentia et verecundia continebantur ne quid molestiae iis inferrent; huic animorum dispositioni mox accessit favor, cum viderent illos nequaquam se separare a communione adorationis in templo, illos excellere vitae probitate, modestia, caritate. Unde eos et reverebantur et bonam iis gratiam habebant. Perperam *Weiss* v. 43 de signis ac miraculis refutari censet narratione subsequenti, uti supra iam expositum est. In eodem errore *Hilg.* versatur. Porro *Weiss* talem sibi fingit bonorum omnium communionem, ut nemo iam aliquid possederit suum; quare dicit hoc quod v. 44. 45 narratur, narrationibus aliis subsequentibus ut falsum demonstrari. Hoc tamen admirationem movet, quod critici isti tot inveniunt quae inter se aperte pugnare contendunt et quod qui librum composuit i. e. secundum eos ex fonte genuino hausit et varia de suo adiunxit, eiusmodi contradictionis et repugnantiae rerum nunquam factus est conscius neque ei in mentem venit se narrare inter se pugnantia vel talia deprehendi posse ab iis qui librum legant.

2. *Synedrium contra apostolos insurgit* 3,1-5,42.

a) **Sanatur claudus 3,1-10.**

3,1. Petrus autem et Ioannes ascen-
debant in templum ad horam orationis
nonam. 2. Et quidam vir qui erat
claudus ex utero matris suæ, baiula-
batur; quem ponebant quotidie ad por-
tam templi quae dicitur Speciosa, ut
peteret eleemosynam ab introeuntibus
in templum. 3. Is quum vidisset Pe-
trum et Ioannem incipientes introire
in templum, rogabat ut eleemosynam
acciperet. 4. Intuens autem in eum
Petrus cum Ioanne, dixit : Respice in
nos. 5. At ille intendebat in eos, spe-
rans se aliquid accepturum ab eis. 6.
Petrus autem dixit : Argentum et au-
rum non est mihi : quod autem ha-
beo, hoc tibi do : In nomine Iesu
Christi Nazareni surge, et ambula. 7.
Et apprehensa manu eius dextera, alle-
vavit eum; et protinus consolidatae sunt
bases eius et plantae. 8. Et exsiliens
stetit, et ambulabat; et intravit cum illis
in templum, ambulans, et exsiliens, et
laudans Deum.

9. Et vidit omnis populus eum am-
bulantem, et laudantem Deum.

10. Cognoscebant autem illum, quod
ipse erat qui ad eleemosynam sedebat
ad Speciosam portam templi; et impleti
sunt stupore et extasi in eo quod conti-
gerat illi.

3,1. Πέτρος δὲ καὶ Ἰωάνης ἀνέβαινον
εἰς τὸ ἱερὸν ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς
τὴν ἐνάτην. 2. καί τις ἀνὴρ χωλὸς ἐκ
κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων ἐβαστάζετο·
ὃν ἐτίθουν καθ' ἡμέραν πρὸς τὴν θύ-
ραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν,
τοῦ αἰτεῖν ἐλεημοσύνην παρὰ τῶν εἰσπο-
ρευομένων εἰς τὸ ἱερόν. 3. ὃς ἰδὼν Πέ-
τρον καὶ Ἰωάνην μέλλοντας εἰσιέναι εἰς
τὸ ἱερὸν, ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν. 4.
ἀτενίσας δὲ Πέτρος εἰς αὐτὸν σὺν τῷ
Ἰωάνῃ, εἶπεν, Βλέψον εἰς ἡμᾶς. 5. ὁ
δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, προσδοκῶν τι παρ'
αὐτῶν λαβεῖν. 6. εἶπεν δὲ Πέτρος,
Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει μοι·
ὃ δὲ ἔχω, τοῦτό σοι δίδωμι· ἐν τῷ ὀνό-
ματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου
(ἔγειραι καὶ) περιπάτει. 7. καὶ πιάσας
αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἤγειρεν αὐτόν·
παραχρῆμα δὲ ἐστερεώθησαν αἱ βάσεις
αὐτοῦ καὶ τὰ σφυδρά, 8. καὶ ἐξαλλόμενος
ἔστη καὶ περιεπάτει, καὶ εἰσῆλθεν σὺν αὐ-
τοῖς εἰς τὸ ἱερὸν, περιπατῶν καὶ ἀλλόμενος
καὶ αἰνῶν τὸν Θεόν.

9. καὶ εἶδεν πᾶς ὁ λαὸς αὐτὸν περιπα-
τοῦντα καὶ αἰνοῦντα τὸν Θεόν·

10. ἐπεγίνωσκον δὲ αὐτὸν ὅτι οὗτος ἦν
ὁ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην καθήμενος ἐπὶ
τῇ Ὡραίᾳ πύλῃ τοῦ ἱεροῦ· καὶ ἐπλήσθησαν
θάμβους καὶ ἐκστάσεως ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι
αὐτῷ.

In v. 1 incipiunt επι το αυτο δε Πετρος E P al pler syr ph Bas Chr Bed; addit D post ιερον δειλινον. In v. 2 και ιδου τις D* syr. In v. 3 D ουτος ατενισας τοις οφθαλμοις αυτου και ιδων. In v. 4 D εμβλεψας et in v. 5 ο δε ατενεισας αυτ. In v. 6 *surge et* ambula εγειραι και A C E G P cop syr ph arm aeth gig et multi Patres; non habent ℵ B D sah. In v. 7 D εσταθη και εστερεωθησαν in v. 8 περιεπατει χαιρομενος et in v. 10 γεγενημενω (pro συμβεβηκοτι).

Si me persecuti sunt, et vos persequentur (Ioan. 15,20). Quam vere Christus id suis praedixisset, mox primi Christifideles experti sunt, et primo quidem ipsi apostoli. Eius persecutionis occasio fuit miraculum in nomine Iesu a Petro patratum et intrepida Petri de Iesu resurrectione concio. Synedristae enim, uti Iesum occiderant, ita eius no-

minis mentionem plane exstirpare unice in votis habebant. Quare pugnam suscipiunt, quam primum Petrus in ipso templo Iesum Servatorem annuntiat. Quomodo itaque Ecclesia ipsis infestationibus creverit gloriosa et victrix, in sequentibus enarratur. Novae quasi huius periodi initium exstitit a sanatione hominis claudi a nativitate; v. 1 *Petrus autem et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam;* uti in narratione evangelica, ita hic quoque duo hi apostoli arcta consuetudine iuncti apparent (cf. *Chr.* vide Luc. 22,8. Ioan. 13,24; 18,15; 20,4; 21,7. 20. Act. 4,13. 19; 8,14. Gal. 2,9). Eminebat templum supra urbem in huius regione orientali (*Patr.*). Hora nona, scil. post solis ortum, erat hora orationis i. e. sacrificii; eo quippe tempore iuge sacrificium vespertinum offerebatur; bis enim quotidie, mane et circa horam nonam sacra faciunt in altari (*Iosephus,* Antiq. 14,4,3), de quo holocausto sempiterno vide Ex. 29,38. Num. 28,3; ἀνέβαινον « imperfectum est quia non ante v. 8. ingrediuntur » (*Bl.*); v. 2 *et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suae,* cf. 14,7. Ioan. 9,1 a nativitate, amplius quadraginta annos natus 4,22, *baiulabatur* ἐβαστάζετο; imperfectum designat actionem eodem tempore cum ἀνέβαινον factam, *quem ponebant quotidie ad portam templi quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum,* τὸ ἱερὸν totum aedificium, muros inquam, porticus, atrium, cetera designat (*Patr.*). Porta *speciosa* communiter censetur porta Nicanoris quae vocatur, porta orientalis, per quam in atrium templi accessus patebat. Eius meminit *Iosephus :* portarum novem quidem auro et argento undique tectae erant, una cum postibus et superliminari; una vero extra templum ex aere Corinthio quae multum argento inclusas et inauratas dignitate superabat (Bell. iud. 5,5,3). Non hanc, sed alteram, per quam ex atrio mulierum in atrium virorum intrabatur, eo nomine vocatam esse *Patr.* censet. Haec utique porta a Iosepho dicitur multo maior et magnificentiore cultu et ornatu decorata, crassioribus scil. auri et argenti laminis fores erant vestitae (l. c.). Sed dubitare licet, num mendicus positus sit in ipso loco orationi destinato; videtur magis convenire, ut ad portam in extimo templi latere sitam portatus sit; ibi enim petere poterat ab *introeuntibus* in templum; qui vero ad portam alteram orientalem consistebat, ille τὸ ἱερὸν iam ingressus erat.

Putat *Chr.* claudum illum fortasse ex toto habitu apostolorum conclusisse eos esse viros insigniter pios; unde v. 3 *is cum vidisset Petrum et Ioannem incipientes introire in templum* μέλλοντας εἰσιέναι, *rogabat ut eleemosynam acciperet;* v. 4 *intuens autem in*

eum Petrus cum Ioanne dixit : respice in nos; uti ex v. 3 patet, totum hoc agitur extra templum; postulat Petrus peculiarem a claudo attentionem et considerationem; eum reddit attentum ad miraculum quod patraturus est, ut is rei veritatem testis idoneus exponere possit (*Patr. Beel.*) v. 5 *at ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis;* ἐπεῖχεν αὐτοῖς scil. τὸν νοῦν, attendit ad eos; cf. Luc. 14,7 et 1 Tim. 4,16 (attende tibi et doctrinae); v. 6 *Petrus autem dixit : argentum et aurum non est mihi;* « hoc ipsorum omnimodam auri inopiam demonstrat, neque enim dicit, ut nos frequenter dicimus : hoc loco aut hoc tempore non habeo, sed prorsus : non habeo, significans omnino se non possidere aurum » (*Oec. Theoph. sim. Chr.*); *quod autem habeo, hoc tibi do : in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula!* ἐν i. e. mandatum habet vim et efficaciam fundatam *in* nomine Iesu; fides scil. in Iesum et invocatio eius, ut patratione miraculi gloriam et potentiam suam manifestet, nomen suum reddat gloriosum ad salutem plurimorum, efficit miraculum. Atque eius nominis virtus statim apparuit v. 7 *et apprehensa manu eius dextera allevavit eum et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae*, αἱ βάσεις, proprie gressus, incessus; dein *pedes*, uti Sap. 13,18; notat *Beda* : « bases nomen graecum est et in ipso graeco sic positum, quod latine [illegible] significat, quo nomine gressus eius confirmatos indicat, sicut etiam latine quidam interpretati sunt » : [illegible] [illegible]

[illegible] v. 8 *et exsiliens* [illegible] in quo baiulabatur (v. 2) cum gaudio exsiliens firmiter pedibus stetit, *et ambulabat et intravit cum illis in templum ambulans et exsiliens* prae gaudio *et laudans Deum*, ita incedebat ut prae laetitia per intervalla subsiliret gaudens de beneficio accepto, pro quo Deo laudes et gratiarum actiones redderet; v. 9 *et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum*, v. 10 *cognoscebant autem* [illegible] [illegible]

[illegible]

Hilg.) ex hoc stupore ostendi esse primum miraculum — ac si res mira non semper admirationem provocaret! Artificium saepe iam visum tamen semper placet; nemo ex laude statim infert : ergo solum prima vice visum est; nam quomodo quis posset illud admirari secundo vel tertio conspectum? Nimis acuti sunt quandoque critici!

b) Oratio Petri 3,11-26.

3,11. Quum teneret autem Petrum et Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; 15. Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis; cuius nos testes sumus. 16. Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen eius; et fides quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra; 20. Ut quum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui praedicatus est vobis Iesum Christum, 21. Quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum.

22. Moyses quidem dixit : Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tan-

3,11. Κρατοῦντος δὲ αὐτοῦ τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰωάνην συνέδραμεν πᾶς ὁ λαὸς πρὸς αὐτοὺς ἐπὶ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος, ἔκθαμβοι. 12. ἰδὼν δὲ ὁ Πέτρος ἀπεκρίνατο πρὸς τὸν λαὸν, Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, τί θαυμάζετε ἐπὶ τούτῳ, ἢ ἡμῖν τί ἀτενίζετε, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσιν τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; 13. ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, ἐδόξασεν τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν· ὃν ὑμεῖς μὲν παρεδώκατε, καὶ ἠρνήσασθε κατὰ πρόσωπον Πειλάτου, κρίναντος ἐκείνου. ἀπολύειν. 14. ὑμεῖς δὲ τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν, 15. τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε· ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, οὗ ἡμεῖς μάρτυρές ἐσμεν. 16. καὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον, ὃν θεωρεῖτε καὶ οἴδατε, ἐστερέωσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ· καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ ἔδωκεν αὐτῷ τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην ἀπέναντι πάντων ὑμῶν.

17. Καὶ νῦν, ἀδελφοί, οἶδα ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε, ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν· 18. ὁ δὲ Θεὸς ἃ προκατήγγειλεν διὰ στόματος πάντων τῶν προφητῶν, παθεῖν τὸν Χριστὸν αὐτοῦ, ἐπλήρωσεν οὕτω. 19. μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε, πρὸς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας, 20. ὅπως ἂν ἔλθωσιν καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου, καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Χριστὸν Ἰησοῦν, 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος τῶν ἁγίων ἀπ' αἰῶνος αὐτοῦ προφητῶν.

22. Μωυσῆς μὲν εἶπεν, ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ· αὐτοῦ ἀκούσεσθε

quam me, ipsum audietis iuxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem : omnis anima quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.

25. Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

κατὰ πάντα ὅσα ἂν λαλήσῃ πρὸς ὑμᾶς. 23. ἔσται δὲ, πᾶσα ψυχὴ, ἥτις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολεθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. 24. καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν, καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.

25. Ὑμεῖς ἐστὲ οἱ υἱοὶ τῶν προφητῶν, καὶ τῆς διαθήκης ἧς ὁ Θεὸς διέθετο πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν, λέγων πρὸς Ἀβραάμ, Καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου εὐλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. 26. ὑμῖν πρῶτον ἀναστήσας ὁ Θεὸς τὸν παῖδα αὐτοῦ ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν (ὑμῶν).

In v. 11 D εκπορευομενου δε του Πετρου και Ιωανου συνεξεπορευετο κρατων αυτους, οι δε θαμβηθεντες εστησαν εν τη στοα. In v. 12 nostra virtute aut *pietate* am fuld demid cop ph aeth Cassiod (Ps. 44). In v. 13 tradidistis εις κρισιν D, εις κριτηριον E; sim ph (mg), in iudicium Ir. In v. 14 D ηβαρυνατε, Ir aggravastis — quam lectionem explicant ex aramaico vel hebr כבר aggravare, כפר negare; D ζην και χαρισθηναι E sim Aug. In v. 17 επραξατε πονηρον D, sim ph (mg), nequam Ir, hoc malum Aug Ambr.; επισταμεθα D. In v. 20 αναψυξεως υμιν E, sim syr ph cop Ir, Tert vobis superveniant; Ir praeparatum Iesum, Tert praedesignatum. In v. 22 ειπεν προς τους πατερας ημων D, υμων E, sim Thphyl Ir sah aeth gig.

Populo sanationem claudi valde admiranti exponit Petrus illam effectam esse per vim ac virtutem nominis Iesu quem Deus glorificaverit, illi autem negaverint et occiderint. Eos quidem ex ignorantia id fecisse; quare eos ad poenitentiam adhortatur, ut deletis peccatis salute potiantur, de qua prophetae annuntiaverint et quae primo ad eos pertineat, utpote filios prophetarum et foederis Dei. Oratio ad animos commovendos valde apta est : eos arguit sceleris gravissimi quod negare non possunt; sed quos terruit, hos statim erigit magna caritate ostensa et ad certam spem veniae ac beatitatis adducit, quae primarie illis est promissa ac proposita.

Homo sanatus prae gaudio et grata in apostolos benevolentia apprehendit tenaciter amborum manus seu vestes clamansque tenere se benefactores suos (*Calm.*); v. 11 *cum teneret autem Petrum et Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis stupentes;* sciebant enim eum claudum fuisse (v. 10); ingressi igitur in templum per portam extimam orientalem pervenerunt ad porticum Salomonis, quae pariter in orientali parte templi sita erat; unde etiam στοὰ ἀνατολική vocatur (Antiq. 20,9,7); vide ad Ioan. 10,23. Eo itaque loco consistunt apostoli cum homine sanato, teste virtutis et

gloriae Iesu, ubi tempore encaeniorum, ultimo mense decembri, Iudaei illum Iesum lapidare volebant quia de sua natura divina testatus est (Ioan. 10,31); v. 12 *videns autem Petrus respondit ad populum;* dicitur *respondere,* non solum si quaestio praecessit, verum etiam, si ad aliquid sive dictum, cogitatum sive factum loquens sermonem refert; unde non est sensus simpliciter : loqui incipere; *viri Israelitae, quid miramini in hoc,* de hac re; notat *Chr.* apostolum hunc sermonem non incepisse, uti priorem 2,14, quia omnium attentio iam maxime erat excitata; immo dicens : cur miramini? i. e. non est ratio cur tanta admiratione rem hanc prosequamini, attentionem omnium summopere in se convertit, *aut nos quid intuemini; quasi nostra virtute aut potestate* ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ propria virtute et pietate (gig) *fecerimus hunc ambulare?* tum esset ratio admirationis; tum haberent cur stupentes fixos oculos in apostolos intenderent. Neque propriae potestati neque merito pietatis religionisque suae sanationem attribui posse affirmat.

Unum solum ut in isto eventu considerent monet v. 13 *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, Deus patrum nostrorum,* sollemni hac appellatione, qua beneficia divina ab antiquissimis temporibus stirpi electae collata commemorantur, iam indicat in hoc quoque eventu exhiberi illis a Deo singularem gratiam ac favorem, *glorificavit Filium suum Iesum* τὸν παῖδα voce utitur qua propheta Messiam designavit tamquam עֶבֶד יהוה LXX παῖς Is. 42,1 (vide Matth. 12,28 : ecce puer meus) Is. 52,13; quo nomine eo aptius Iesum vocat, quia de Iesu patiente mox sermonem infert, et propheta quoque Messiam patientem ea appellatione inducit; si *Filius* Dei dicitur, solum υἱός vox est propria et sollemnis (*Beel. Felt.*), *quem vos quidem tradidistis* iudici romano ad sententiam mortis ferendam *et negastis ante faciem Pilati* illum esse vestrum regem Messiam — non habemus regem nisi Caesarem (*Oec.*) — *iudicante illo dimitti,* quia palam professus est : non invenio in eo causam. Bene monet *Oec.* Petrum in hoc sermone multo maiore libertate loqui et scelus Iudaeorum perstringere acrius quam in priore; « atque sane cum etiam Pilatus gentilis qui neque signa a Christo viderat neque prophetas de Christo audierat, vellet tamen ipsum absolvere, vos ipsi qui et Christum miracula edentem conspexeratis et notitiam habebatis prophetarum, non tamen ab eo vos continuistis » (*Oec.*). Atque repetens adauget scelus v. 14 *vos autem sanctum et iustum negastis*[1] scil. clamantes : non hunc (Ioan. 18,40) *et*

1. D ἐβαρύνατε, Ir aggravastis, volunt esse versionem vocis כבירתם vel כבדתם; negastis כפרתם (cf. Nestle, Philol. s. p. 19; *Bels.*). Petrum aramaice esse locutum patet; orationem eius postea litteris esse consignatam etiam probabile est. At ex illa lectione non se-

petistis virum homicidam donari vobis, v. 15 *auctorem vero vitae interfecistis* eum scil. qui veram vitam largitur eiusque causa est, qui venit ut vitam habeant et abundantius habeant; explicat *Chr.* : auctor vitae est qui a seipso vitam habet; in *cat.* auctor vitae dicitur, quia per eum facti sumus et vivimus et sumus, quia ipse est causa nostri figmenti et creator omnium. De vita naturali et physica vocem esse intelligendam aliqui existimant propter oppositionem ad virum homicidam (*Beel.*). Sed cum loquatur de Messia quem interfecerunt, de illa vita solum cogitari potest, cuius auctor et largitor est Messias i. e. de vita supernaturali.

Verum Deus eum glorificavit : *quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus* et hoc testimonium statim praesenti documento confirmat v. 16 *et in fide nominis eius hunc quem vos vidistis* θεωρεῖτε videtis (gig) *et nostis confirmavit nomen eius*, quia nos credimus in eum tamquam Messiam e mortuis suscitatum, nomen eius invocatum a nobis, virtus huius nominis et mandati hoc nomine enuntiati hunc restituit sanum et firmum. *Nomen* eum confirmavit; nam dixerat Petrus : *in nomine* Iesu ambula v. 6; hoc autem ipse solum dicere poterat *in fide nominis eius*. Cum iam pro Israelitis tota spes salutis in hac fide sit reposita, cum emphasi repetitur: *et fides quae per eum est*, fides quam ipse efficit et largitur, similiter 1 Petr. 1,21 : per ipsum fideles estis in Deo, *dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum;* Iesus hanc nobis fidem dedit et hac fide iussi eum ambulare; unde, uti Christi potentia et virtus est causa miraculi princeps, ita fides Petri erat quasi occasio vel causa instrumentalis qua usus est Christus ad sanitatem illi conferendam. Iam ostenditur efficacia fidei, de qua Christus locutus est (Matth. 17,19. Luc. 17,6).

Expositione sceleris eos perstrinxit, accusationem summopere auxit virtute et gloria Iesu declarata; iam quos perculit, magna caritatis et consolationis exhibitione erigit v. 17 *et nunc,* in hac rerum conditione, *fratres*, eos alloquitur, ut se caritate sincera impelli ostendat eorum-

quitur Lucam prius legisse verbum כבר et scripsisse *εβαρυνατε* et postea deprehendisse esse scriptum כפר et correxisse *ηρνησασθε*. Nam diversitas lectionis etiam alio modo explicari *potest*, Facile enim illud *negastis* alicui emendatori qui historiam passionis recolebat poterat videri *nimis mite* et parum ad rei veritatem; unde verbum substituit *gravius*. Scribit *Beda* : « Quaedam quae in graeco sive aliter seu plus aut minus posita vidimus breviter commemorare curavimus. Quae utrum negligentia interpretis omissa vel aliter dicta, an incuria librariorum sint depravata sive relicta, nondum scire potuimus ». Hoc « *nondum* scire potuimus » etiam critici saepius quam solent dicere debebant, considerantes plerumque ad declarandam variantem lectionem plures offerri exitus. Legit *Augustinus* (de pecc. mer. 28) inhonorastis et negastis. Habes quod modo dixi : visum esse illud *negastis* parum dicere; unde factam esse emendationem.

que animos emolliat, *scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri,* synedristae, quorum quidem ignorantia longe culpabilior erat quam plebis; sed de iis tamen valet illud : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (1 Cor. 2,8); quam ignorantiam tamen valde culpabilem fuisse et in populo et magis etiam in principibus Christus haud semel aperte declaravit (Ioan. 5,42 seq. 7,24; 8,24; 9,41; 10,37; 12,37; 15,22); eam tamen aliquid excusationis admittere et secum ferre, ipse Christus in cruce orans ad Patrem significavit (Luc. 23,34 : non enim sciunt quid faciunt). Illud *sicut et* refertur ad totum incisum, non solum ad *fecistis;* nam certum est etiam synedristas posse dici per ignorantiam quandam fecisse; pariter certum est Petrum omnibus, et plebi et principibus velle spem veniae et salutis proponere. Ad hanc spem omnibus ingerendam valde confert quod Petrus monet, sicut 2,23, sic oportuisse fieri et Christi passionem a prophetis praedictam fuisse (cf. *Chr.*) v. 18 *Deus autem quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit;* fuit itaque passio Christi secundum divinam voluntatem. Bene affert *Chr.* effatum Ioseph : Deus me misit ante vos (Gen. 45,5), quo fratres consolatur ostendens quomodo Deus eorum malitiam in bonum converterit.

Et provocans ad omnes prophetas qui vario modo et verbis et rebus gestis labores Messiae passionemque praedixerant, simul removet scandalum crucis, imo quod Iudaeis offensioni est vel esse potest, in argumentum pro Iesu convertit; nam si non passus fuisset, non esset Messias, quem passurum esse prophetae annuntiarant. Num revera *omnes* prophetae de laboribus et passione Messiae annuntiabant? Iam Didymus in cat. dicit *omnes* intelligi non omnes omnino, sed omnes illos qui passionem annuntiaverint, quae sententia iterum in cat. recitatur. Ceterum bene notandum est, de iis quae prophetae docuerint, non ex solis paucis eorum scriptis esse iudicium ferendum. Iam in primo vaticinio labor et vulnus, quo demum victoria acquiritur, clare exhibetur (Gen. 3,15); cogita de typo agni paschalis, serpentis in deserto (Ioan. 3,14; 19,36), de aerumnis prophetarum, qui in munere suo Messiam prophetam praefigurabant et oraculis suis expiationem peccatorum fieri poenis a Deo inflictis continuo demonstrant.

Salutem itaque per Messiam omnibus offerri una est omnium prophetarum vox; quare infert Petrus v. 19 *poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra;* doleant de culpis admissis, sese sincero corde ad Deum convertant, πρὸς in eum finem, τὸ ἐξαλειφθῆναι, ut oblitterentur, expungantur peccata vestra; cf. 2,38; a poenitentia incipit praedicatio regni Dei; per illam patet via ad Deum et ad

beatitatem v. 20 *ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini*, tempora beatae consolationis, quae a Deo quasi egressa mittentur *et miserit eum qui praedicatus est vobis, Iesum Christum;* tempora itaque refrigerii erunt post secundum Christi adventum. Quale refrigerium futurum sit, vide Apoc. 21,4 : et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum etc. et cf. Is. 65,18; 66,12. Secundum *vulg.* sententia est incompleta; supplent: *ut* cum venerint ... et miserit.. *veniant et vobis a facie Domini* (*Beda*), vel, *etiam vos in refrigerio sitis* (*Beel.*) vel similiter. Sententiam etiam in *vulg.* esse completam *Patr.* censet ita explicans : utpote cum venerint tempora etc., ita et occasio iam sit peccatorum veniam a Deo per Iesum impetrandi; unde refrigerium intelligit de eo quod Christus iam nobis attulit.

Quae tamen explicatio coacta est, si latinum spectas; nam *ut* non sine violentia explicatur utpote; et si graecum consulis, evadit illa interpretatio falsa. Habetur enim ὅπως ἄν, quae particula etiam in *vulg.* vertitur *ut* (Luc. 2,35 ut revelentur; Act. 15,17. Rom. 3,4), et cum coniunctivo iuncta significat iis in locis intentionem. Proinde eadem notio erit hic retinenda. Enuntiatur itaque poenitentiam et conversionem ad Deum necessario praecedere debere ex Dei ordinatione, *ut* venire possint tempora refrigerii et ut secundus Christi adventus locum habeat. Consummatio enim saeculorum non erit, donec evangelium omnibus est annuntiatum (Matth. 24,14) et donec omnis Israel docente apostolo fidem Christi professus salvus fit (Rom. 11,26). Uti in oratione ecclesiastica dicitur, soli Deo notus est numerus electorum in aeterna felicitate locandus; isto numero completo erit consummatio saeculi; unde conclude vere dici : convertimini, ut veniant tempora refrigerii; tendit itaque propagatio regni messiani ad beatum illum finem, quo demum in perfecta gloria manifestetur. Haud absimile est quod habetur Apoc. 6,10.11 : clamant animae interfectorum : usquequo Domine non iudicas? et dicitur eis, ut requiescant, *donec compleantur* conservi eorum et fratres qui interficiendi sunt sicut et illi. Vertunt aliqui ὅπως ἄν quandocumque venerint; id quod aeque contra grammaticam peccat atque contra rei veritatem. Nam ὅπως particula temporalis iungitur indicativo et optativo, non autem coniunctivo et insuper hic habes ὅπως ἄν (cf. Klotz, Devar. II p. 681 seq.); dein evidens est peccata non tum demum expungi ac deleri, quandocumque venerint tempora refrigerii.

Tempora refrigerii porro declarantur : καὶ ἀποστείλῃ et ut mittat τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Iesum vobis praeordinatum, vobis destinatum, qui scil. a Deo iudex constitutus in secundo adventu suis praemium regni messiani tribuet. Messiam ipsis esse destinatum, in eorum com-

modum ac bonum praeparatum, non potuit non esse argumentum magnae consolationis et fiduciae. Nam cum notione Messiae intime iungitur notio pacis, felicitatis summae, gloriae. Spes itaque praeclara iis exhibetur. At simul innuitur per tribulationes ac varias miserias ad beatum illum finem esse tendendum. Nam illa tempora futura dicuntur refrigerium; unde merito inferunt tempus intermedium designari tamquam tempus aestus ac laborum et dolorum (cf. *Chr. Oec. Salm.*) i. e. periodum terrestrem regni messiani ita conformari, ut tempora refrigerii summis votis sint exoptanda. — Aliqui tempus refrigerii et Christi adventum referunt ad iudicium quod Christus per Romanos in urbem et gentem iudaicam infidelem exercuit, quo iudicio Christifideles a vexationibus Iudaeorum quietem et refrigerium nacti sint (cf. *Oec. Theoph. Lap. Calm.*). Verum hoc a proprietate verborum alienum est et refutatur statim in v. 21, quo claré enuntiatur, quando Christus e coelo mittendus sit v. 21. *quem oportet quidem coelum suscipere* i. e. proprius Christi commorationis locus est coelum, neque mittendus est secunda vice in terram; sed manere debet in coelo, *usque in tempora restitutionis omnium;* si haec advenerint, tunc e coelo redibit iterum in terram; unde in hoc ipso *usque in...* habes oppositionem ad illud μέν *quidem;* δεῖ dicitur de necessitate divino decreto constituta et a prophetis praedicta (*Bl.*)..

Verbum *restituere* ἀποκαθιστάναι dicitur de sanatione, restitutione sanationis Matth. 12,13, Marc. 3,5; 8,25, Luc. 6,10; dicitur de Elia qui venturus est et restituet omnia Matth. 17,11. Unde ἀποκατάστασις *omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum* idem est, atque cuncta quae a prophetis promissa sunt tum demum integrum ac perfectum sortiuntur effectum; tum omnia illa in statu ac conditione perfecta restituentur, quae eousque inchoatione quadam et imperfectione habebantur. Servatur notio *restitutionis*, vel translationis in *novum* statum, in qua prior status deterior removetur (cf. ἀπό); quare illud ὧν recte refertur ad πάντων, neque opus est illud referre ad χρόνους (cum *Beel. Felt. Wendt* antea in ed. 5,1880; sed 1888 aliter). Per prophetas olim ab antiquo tempore Deus promiserat se esse Deum foederis, daturum benedictionem, pacem (cf. Gen. 9,26; 12,3; 18,18; 49,10); imo, ut Iudas nos docet in epistola v. 14 iam septimus ab Adam Enoch prophetavit : ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium; porro imago illa summae pacis ac felicitatis quam prophetae de regno messiano exhibent hisce in terris solum imperfecta quadam adumbratione in effectum deducitur. Restat itaque, ut illa omnia ex conditione imperfecta et manca restituantur in statum perfectum; cf. Is. 65,

2. *Synedrium contra apostolos insurgit* 3,1-5,42.

a) Sanatur claudus 3,1-10.

3,1. Petrus autem et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. 2. Et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur; quem ponebant quotidie ad portam templi quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. 3. Is quum vidisset Petrum et Ioannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit : Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi : quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula. 7. Et apprehensa manu eius dextera, allevavit eum; et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae. 8. Et exsiliens stetit, et ambulabat; et intravit cum illis in templum, ambulans, et exsiliens, et laudans Deum.

9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum.

10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi; et impleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi.

3,1. Πέτρος δὲ καὶ Ἰωάνης ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερὸν ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην. 2. καί τις ἀνὴρ χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ ὑπάρχων ἐβαστάζετο· ὃν ἐτίθουν καθ' ἡμέραν πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην Ὡραίαν, τοῦ αἰτεῖν ἐλεημοσύνην παρὰ τῶν εἰσπορευομένων εἰς τὸ ἱερόν. 3. ὃς ἰδὼν Πέτρον καὶ Ἰωάνην μέλλοντας εἰσιέναι εἰς τὸ ἱερὸν, ἠρώτα ἐλεημοσύνην λαβεῖν. 4. ἀτενίσας δὲ Πέτρος εἰς αὐτὸν σὺν τῷ Ἰωάνῃ, εἶπεν, Βλέψον εἰς ἡμᾶς. 5. ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, προσδοκῶν τι παρ' αὐτῶν λαβεῖν. 6. εἶπεν δὲ Πέτρος, Ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐχ ὑπάρχει μοι· ὃ δὲ ἔχω, τοῦτό σοι δίδωμι· ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου (ἔγειραι καὶ) περιπάτει. 7. καὶ πιάσας αὐτὸν τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἤγειρεν αὐτόν· παραχρῆμα δὲ ἐστερεώθησαν αἱ βάσεις αὐτοῦ καὶ τὰ σφυδρά, 8. καὶ ἐξαλλόμενος ἔστη καὶ περιεπάτει, καὶ εἰσῆλθεν σὺν αὐτοῖς εἰς τὸ ἱερὸν, περιπατῶν καὶ ἁλλόμενος καὶ αἰνῶν τὸν Θεόν.

9. καὶ εἶδεν πᾶς ὁ λαὸς αὐτὸν περιπατοῦντα καὶ αἰνοῦντα τὸν Θεόν·

10. ἐπεγίνωσκον δὲ αὐτὸν ὅτι οὗτος ἦν ὁ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην καθήμενος ἐπὶ τῇ Ὡραίᾳ πύλῃ τοῦ ἱεροῦ· καὶ ἐπλήσθησαν θάμβους καὶ ἐκστάσεως ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι αὐτῷ.

In v. 1 incipiunt επι το αυτο δε Πετρος E P al pler syr ph Bas Chr Bed; addit D post ιερον δειλινον. In v. 2 και ιδου τις D* syr. In v. 3 D ουτος ατενισας τοις οφθαλμοις αυτου και ιδων. In v. 4 D εμβλεψας et in v. 5 ο δε ατενεισας αυτ. In v. 6 *surge et* ambula εγειραι και A C E G P cop syr ph arm aeth gig et multi Patres; non habent ℵ B D sah. In v. 7 D εσταθη και εστερεωθησαν in v. 8 περιεπατει χαιρομενος et in v. 10 γεγενημενω (pro συμβεβηκοτι).

Si me persecuti sunt, et vos persequentur (Ioan. 15,20). Quam vere Christus id suis praedixisset, mox primi Christifideles experti sunt, et primo quidem ipsi apostoli. Eius persecutionis occasio fuit miraculum in nomine Iesu a Petro patratum et intrepida Petri de Iesu resurrectione concio. Synedristae enim, uti Iesum occiderant, ita eius no-

minis mentionem plane exstirpare unice in votis habebant. Quare pugnam suscipiunt, quam primum Petrus in ipso templo Iesum Servatorem annuntiat. Quomodo itaque Ecclesia ipsis infestationibus creverit gloriosa et victrix, in sequentibus enarratur. Novae quasi huius periodi initium exstitit a sanatione hominis claudi a nativitate; v. 1 *Petrus autem et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam;* uti in narratione evangelica, ita hic quoque duo hi apostoli arcta consuetudine iuncti apparent (cf. *Chr.* vide Luc. 22,8. Ioan. 13,24; 18,15; 20,4; 21,7. 20. Act. 4,13. 19; 8,14. Gal. 2,9). Eminebat templum supra urbem in huius regione orientali (*Patr.*). Hora nona, scil. post solis ortum, erat hora orationis i. e. sacrificii; eo quippe tempore iuge sacrificium vespertinum offerebatur; bis enim quotidie, mane et circa horam nonam sacra faciunt in altari (*Iosephus,* Antiq. 14,4,3), de quo holocausto sempiterno vide Ex. 29,38. Num. 28,3; ἀνέβαινον « imperfectum est quia non ante v. 8. ingrediuntur » (*Bl.*); v. 2 *et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suae,* cf. 14,7. Ioan. 9,1 a nativitate, amplius quadraginta annos natus 4,22, *baiulabatur* ἐβαστάζετο; imperfectum designat actionem eodem tempore cum ἀνέβαινον factam, *quem ponebant quotidie ad portam templi quae dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum,* τὸ ἱερόν totum aedificium, muros inquam, porticus, atrium, cetera designat (*Patr.*). Porta *speciosa* communiter censetur porta Nicanoris quae vocatur, porta orientalis, per quam in atrium templi accessus patebat. Eius meminit *Iosephus :* portarum novem quidem auro et argento undique tectae erant, una cum postibus et superliminari; una vero extra templum ex aere Corinthio quae multum argento inclusas et inauratas dignitate superabat (Bell. iud. 5,5,3). Non hanc, sed alteram, per quam ex atrio mulierum in atrium virorum intrabatur, eo nomine vocatam esse *Patr.* censet. Haec utique porta a Iosepho dicitur multo maior et magnificentiore cultu et ornatu decorata, crassioribus scil. auri et argenti laminis fores erant vestitae (l. c.). Sed dubitare licet, num mendicus positus sit in ipso loco orationi destinato; videtur magis convenire, ut ad portam in extimo templi latere sitam portatus sit; ibi enim petere poterat ab *introeuntibus* in templum; qui vero ad portam alteram orientalem consistebat, ille τὸ ἱερόν iam ingressus erat.

Putat *Chr.* claudum illum fortasse ex toto habitu apostolorum conclusisse eos esse viros insigniter pios; unde v. 3 *is cum vidisset Petrum et Ioannem incipientes introire in templum* μέλλοντας εἰσιέναι, *rogabat ut eleemosynam acciperet;* v. 4 *intuens autem in*

eum Petrus cum Ioanne dixit : respice in nos; uti ex v. 3 patet, totum hoc agitur extra templum; postulat Petrus peculiarem a claudo attentionem et considerationem; eum reddit attentum ad miraculum quod patraturus est, ut is rei veritatem testis idoneus exponere possit (*Patr. Beel.*) v. 5 *at ille intendebat in eos sperans se aliquid accepturum ab eis;* ἐπεῖχεν αὐτοῖς scil. τὸν νοῦν, attendit ad eos; cf. Luc. 14,7 et 1 Tim. 4,16 (attende tibi et doctrinae); v. 6 *Petrus autem dixit : argentum et aurum non est mihi;* « hoc ipsorum omnimodam auri inopiam demonstrat, neque enim dicit, ut nos frequenter dicimus : hoc loco aut hoc tempore non habeo, sed prorsus : non habeo, significans omnino se non possidere aurum » (*Oec. Theoph.* sim. *Chr.*); *quod autem habeo, hoc tibi do : in nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula!* ἐν i. e. mandatum habet vim et efficaciam fundatam *in* nomine Iesu; fides scil. in Iesum et invocatio eius, ut patratione miraculi gloriam et potentiam suam manifestet, nomen suum reddat gloriosum ad salutem plurimorum, efficit miraculum. Atque eius nominis virtus statim apparuit v. 7 *et apprehensa manu eius dextera allevavit eum et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae,* αἱ βάσεις, propriè gressus, incessus; dein *pedes,* uti Sap. 13,18; notat *Beda :* « bases nomen graecum est et in ipso graeco sic positum, quod latine *fulturas* significat, quo nomine gressus eius confirmatos indicat, sicut etiam latine quidam interpretati sunt »; καὶ τὰ σφυδρά, al. σφυρά et *tali.*

Sentit vir vim ac vigorem pedibus talisque reddi v. 8 *et exsiliens stetit* e loco quo iacebat, vel fortasse e lecto aut ferculo in quo baiulabatur (v. 2) cum gaudio exsiliens firmiter pedibus stetit, *et ambulabat et intravit cum illis in templum ambulans et exsiliens* prae gaudio *et laudans Deum;* ita incedebat ut prae laetitia per intervalla subsiliret gaudens de beneficio accepto, pro quo Deo laudes et gratiarum actiones refert; v. 9 *et vidit omnis populus eum ambulantem et laudantem Deum,* v. 10 *cognoscebant autem illum quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi et impleti sunt stupore et extasi in eo quod contigerat illi;* « ad significandam magnitudinem admirationis duas passiones animi apposuit, stuporem quidem magnitudinem admirationis significantem et ecstasim effectum eius, hoc est fere alienationem a seipsis » (*Cai.*) et *Beda* notat : « alia editio pro ecstasi i. e. excessu mentis *admirationem* non proprie posuit; quia maior admiratio solet nonnunquam mentem ad excessum deducere et ultra consuetum cogitandi modum ad altiora transferre ». Atque gig habet : et repleti sunt stupore et ammiratione in eo quod acciderat ei. — Repetunt critici (*Weiss,*

Hilg.) ex hoc stupore ostendi esse primum miraculum — ac si res mira non semper admirationem provocaret! Artificium saepe iam visum tamen semper placet; nemo ex laude statim infert : ergo solum prima vice visum est; nam quomodo quis posset illud admirari secundo vel tertio conspectum? Nimis acuti sunt quandoque critici!

b) Oratio Petri 3,11-26.

3,11. Quum teneret autem Petrum et Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum : Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et iustum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; 15. Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis; cuius nos testes sumus. 16. Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen eius; et fides quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra; 20. Ut quum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui praedicatus est vobis Iesum Christum, 21. Quem oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum.

22. Moyses quidem dixit : Quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tan-

3,11. Κρατοῦντος δὲ αὐτοῦ τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰωάνην συνέδραμεν πᾶς ὁ λαὸς πρὸς αὐτοὺς ἐπὶ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος, ἔκθαμβοι. 12. ἰδὼν δὲ ὁ Πέτρος ἀπεκρίνατο πρὸς τὸν λαόν, Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, τί θαυμάζετε ἐπὶ τούτῳ, ἢ ἡμῖν τί ἀτενίζετε, ὡς ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ πεποιηκόσιν τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; 13. ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, ἐδόξασεν τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν· ὃν ὑμεῖς μὲν παρεδώκατε, καὶ ἠρνήσασθε κατὰ πρόσωπον Πειλάτου, κρίναντος ἐκείνου. ἀπολύειν. 14. ὑμεῖς δὲ τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν, 15. τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε· ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, οὗ ἡμεῖς μάρτυρές ἐσμεν. 16. καὶ τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, τοῦτον, ὃν θεωρεῖτε καὶ οἴδατε, ἐστερέωσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ· καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ ἔδωκεν αὐτῷ τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην ἀπέναντι πάντων ὑμῶν.

17. Καὶ νῦν, ἀδελφοί, οἶδα ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε, ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν· 18. ὁ δὲ Θεὸς ἃ προκατήγγειλεν διὰ στόματος πάντων τῶν προφητῶν, παθεῖν τὸν Χριστὸν αὐτοῦ, ἐπλήρωσεν οὕτω. 19. μετανοήσατε οὖν καὶ ἐπιστρέψατε, πρὸς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας, 20. ὅπως ἂν ἔλθωσιν καιροὶ ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου, καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Χριστὸν Ἰησοῦν, 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος τῶν ἁγίων ἀπ' αἰῶνος αὐτοῦ προφητῶν.

22. Μωυσῆς μὲν εἶπεν, ὅτι προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ· αὐτοῦ ἀκούσεσθε

quam me, ipsum audietis iuxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem : omnis anima quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.

25. Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua.

κατὰ πάντα ὅσα ἂν λαλήσῃ πρὸς ὑμᾶς. 23. ἔσται δὲ, πᾶσα ψυχὴ, ἥτις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολεθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. 24. καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν, καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.

25. Ὑμεῖς ἐστὲ οἱ υἱοὶ τῶν προφητῶν, καὶ τῆς διαθήκης ἧς ὁ Θεὸς διέθετο πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν, λέγων πρὸς Ἀβραάμ, Καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου εὐλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. 26. ὑμῖν πρῶτον ἀναστήσας ὁ Θεὸς τὸν παῖδα αὐτοῦ ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν (ὑμῶν).

In v. 11 D εκπορευομενου δε του Πετρου και Ιωανου συνεξεπορευετο κρατων αυτους, οι δε θαμβηθεντες εστησαν εν τη στοα. In v. 12 nostra virtute aut *pietate* am fuld demid cop ph aeth Cassiod (Ps. 44). In v. 13 tradidistis εις κρισιν D, εις κριτηριον E; sim ph (mg), in iudicium Ir. In v. 14 D ηβαρυνατε, Ir aggravastis — quam lectionem explicant ex aramaico vel hebr כבר aggravare, כפר negare; D ζην και χαρισθηναι E sim Aug. In v. 17 επραξατε πονηρον D, sim ph (mg), nequam Ir, hoc malum Aug Ambr.; επισταμεθα D. In v. 20 αναψυξεως υμιν E, sim syr ph cop Ir, Tert vobis superveniant; Ir praeparatum Iesum, Tert praedesignatum. In v. 22 ειπεν προς τους πατερας ημων D, υμων E, sim Thphyl Ir sah aeth gig.

Populo sanationem claudi valde admiranti exponit Petrus illam effectam esse per vim ac virtutem nominis Iesu quem Deus glorificaverit, illi autem negaverint et occiderint. Eos quidem ex ignorantia id fecisse; quare eos ad poenitentiam adhortatur, ut deletis peccatis salute potiantur, de qua prophetae annuntiaverint et quae primo ad eos pertineat, utpote filios prophetarum et foederis Dei. Oratio ad animos commovendos valde apta est : eos arguit sceleris gravissimi quod negare non possunt; sed quos terruit, hos statim erigit magna caritate ostensa et ad certam spem veniae ac beatitatis adducit, quae primarie illis est promissa ac proposita.

Homo sanatus prae gaudio et grata in apostolos benevolentia apprehendit tenaciter amborum manus seu vestes clamansque tenere se benefactores suos (*Calm.*); v. 11 *cum teneret autem Petrum et Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis stupentes;* sciebant enim eum claudum fuisse (v. 10); ingressi igitur in templum per portam extimam orientalem pervenerunt ad porticum Salomonis, quae pariter in orientali parte templi sita erat; unde etiam στοὰ ἀνατολική vocatur (Antiq. 20,9,7); vide ad Ioan. 10,23. Eo itaque loco consistunt apostoli cum homine sanato, teste virtutis et

gloriae Iesu, ubi tempore encaeniorum, ultimo mense decembri, Iudaei illum Iesum lapidare volebant quia de sua natura divina testatus est (Ioan. 10,31); v. 12 *videns autem Petrus respondit ad populum;* dicitur *respondere,* non solum si quaestio praecessit, verum etiam, si ad aliquid sive dictum, cogitatum sive factum loquens sermonem refert; unde non est sensus simpliciter : loqui incipere; *viri Israelitae, quid miramini in hoc,* de hac re; notat *Chr.* apostolum hunc sermonem non incepisse, uti priorem 2,14, quia omnium attentio iam maxime erat excitata; immo dicens : cur miramini? i. e. non est ratio cur tanta admiratione rem hanc prosequamini, attentionem omnium summopere in se convertit, *aut nos quid intuemini; quasi nostra virtute aut potestate* ἰδίᾳ δυνάμει ἢ εὐσεβείᾳ propria virtute et pietate (gig) *fecerimus hunc ambulare?* tum esset ratio admirationis; tum haberent cur stupentes fixos oculos in apostolos intenderent. Neque propriae potestati neque merito pietatis religionisque suae sanationem attribui posse affirmat.

Unum solum ut in isto eventu considerent monet v. 13 *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, Deus patrum nostrorum,* sollemni hac appellatione, qua beneficia divina ab antiquissimis temporibus stirpi electae collata commemorantur, iam indicat in hoc quoque eventu exhiberi illis a Deo singularem gratiam ac favorem, *glorificavit Filium suum Iesum* τὸν παῖδα voce utitur qua propheta Messiam designavit tamquam עֶבֶד יהוה LXX παῖς Is. 42,1 (vide Matth. 12,28 : ecce puer meus) Is. 52,13; quo nomine eo aptius Iesum vocat, quia de Iesu patiente mox sermonem infert, et propheta quoque Messiam patientem ea appellatione inducit; si *Filius* Dei dicitur, solum υἱός vox est propria et sollemnis (*Beel. Felt.*), *quem vos quidem tradidistis* iudici romano ad sententiam mortis ferendam *et negastis ante faciem Pilati* illum esse vestrum regem Messiam — non habemus regem nisi Caesarem (*Oec.*) — *iudicante illo dimitti,* quia palam professus est : non invenio in eo causam. Bene monet *Oec.* Petrum in hoc sermone multo maiore libertate loqui et scelus Iudaeorum perstringere acrius quam in priore; « atque sane cum etiam Pilatus gentilis qui neque signa a Christo viderat neque prophetas de Christo audierat, vellet tamen ipsum absolvere, vos ipsi qui et Christum miracula edentem conspexeratis et notitiam habebatis prophetarum, non tamen ab eo vos continuistis » (*Oec.*). Atque repetens adauget scelus v. 14 *vos autem sanctum et iustum negastis*[1] scil. clamantes : non hunc (Ioan. 18,40) *et*

1. D ἐβαρύνατε, Ir aggravastis, volunt esse versionem vocis כבדתם vel כבדתם; negastis כפרתם (cf. Nestle, Philol. s. p. 19; *Bels.*). Petrum aramaice esse locutum patet; orationem eius postea litteris esse consignatam etiam probabile est. At ex illa lectione non se-

petistis virum homicidam donari vobis, v. 15 *auctorem vero vitae interfecistis* eum scil. qui veram vitam largitur eiusque causa est, qui venit ut vitam habeant et abundantius habeant; explicat *Chr.* : auctor vitae est qui a seipso vitam habet; in *cat.* auctor vitae dicitur, quia per eum facti sumus et vivimus et sumus, quia ipse est causa nostri figmenti et creator omnium. De vita naturali et physica vocem esse intelligendam aliqui existimant propter oppositionem ad virum homicidam (*Beel.*). Sed cum loquatur de Messia quem interfecerunt, de illa vita solum cogitari potest, cuius auctor et largitor est Messias i. e. de vita supernaturali.

Verum Deus eum glorificavit : *quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus* et hoc testimonium statim praesenti documento confirmat v. 16 *et in fide nominis eius hunc quem vos vidistis* θεωρεῖτε videtis (gig) *et nostis confirmavit nomen eius*, quia nos credimus in eum tamquam Messiam e mortuis suscitatum, nomen eius invocatum a nobis, virtus huius nominis et mandati hoc nomine enuntiati hunc restituit sanum et firmum. *Nomen* eum confirmavit; nam dixerat Petrus : *in nomine* Iesu ambula v. 6; hoc autem ipse solum dicere poterat *in fide nominis eius*. Cum iam pro Israelitis tota spes salutis in hac fide sit reposita, cum emphasi repetitur: *et fides quae per eum est*, fides quam ipse efficit et largitur, similiter 1 Petr. 1,21 : per ipsum fideles estis in Deo, *dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum;* Iesus hanc nobis fidem dedit et hac fide iussi eum ambulare; unde, uti Christi potentia et virtus est causa miraculi princeps, ita fides Petri erat quasi occasio vel causa instrumentalis qua usus est Christus ad sanitatem illi conferendam. Iam ostenditur efficacia fidei, de qua Christus locutus est (Matth. 17,19. Luc. 17,6).

Expositione sceleris eos perstrinxit, accusationem summopere auxit virtute et gloria Iesu declarata; iam quos perculit, magna caritatis et consolationis exhibitione erigit v. 17 *et nunc*, in hac rerum conditione, *fratres*, eos alloquitur, ut se caritate sincera impelli ostendat eorum-

quitur Lucam prius legisse verbum כבר et scripsisse εβαρυνατε et postea deprehendisse esse scriptum כפר et correxisse ηρνησασθε. Nam diversitas lectionis etiam alio modo explicari *potest*. Facile enim illud *negastis* alicui emendatori qui historiam passionis recolebat poterat videri *nimis mite* et parum ad rei veritatem; unde verbum substituit *gravius*. Scribit *Beda* : « Quaedam quae in graeco sive aliter seu plus aut minus posita vidimus breviter commemorare curavimus. Quae utrum negligentia interpretis omissa vel aliter dicta, an incuria librariorum sint depravata sive relicta, nondum scire potuimus ». Hoc « *nondum* scire potuimus » etiam critici saepius quam solent dicere debebant, considerantes plerumque ad declarandam variantem lectionem plures offerri exitus. Legit *Augustinus* (de pecc. mer. 28) inhonorastis et negastis. Habes quod modo dixi : visum esse illud *negastis* parum dicere; unde factam esse emendationem.

que animos emolliat, *scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri*, synedristae, quorum quidem ignorantia longe culpabilior erat quam plebis; sed de iis tamen valet illud : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent (1 Cor. 2,8); quam ignorantiam tamen valde culpabilem fuisse et in populo et magis etiam in principibus Christus haud semel aperte declaravit (Ioan. 5,42 seq. 7,24; 8,24; 9,41; 10,37; 12,37; 15,22); eam tamen aliquid excusationis admittere et secum ferre, ipse Christus in cruce orans ad Patrem significavit (Luc. 23,34 : non enim sciunt quid faciunt). Illud *sicut et* refertur ad totum incisum, non solum ad *fecistis;* nam certum est etiam synedristas posse dici per ignorantiam quandam fecisse; pariter certum est Petrum omnibus, et plebi et principibus velle spem veniae et salutis proponere. Ad hanc spem omnibus ingerendam valde confert quod Petrus monet, sicut 2,23, sic oportuisse fieri et Christi passionem a prophetis praedictam fuisse (cf. *Chr.*) v. 18 *Deus autem quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit;* fuit itaque passio Christi secundum divinam voluntatem. Bene affert *Chr.* effatum Ioseph : Deus me misit ante vos (Gen. 45,5), quo fratres consolatur ostendens quomodo Deus eorum malitiam in bonum converterit.

Et provocans ad omnes prophetas qui vario modo et verbis et rebus gestis labores Messiae passionemque praedixerant, simul removet scandalum crucis, imo quod Iudaeis offensioni est vel esse potest, in argumentum pro Iesu convertit; nam si non passus fuisset, non esset Messias, quem passurum esse prophetae annuntiarant. Num revera *omnes* prophetae de laboribus et passione Messiae annuntiabant? Iam Didymus in cat. dicit *omnes* intelligi non omnes omnino, sed omnes illos qui passionem annuntiaverint, quae sententia iterum in cat. recitatur. Ceterum bene notandum est, de iis quae prophetae docuerint, non ex solis paucis eorum scriptis esse iudicium ferendum. Iam in primo vaticinio labor et vulnus, quo demum victoria acquiritur, clare exhibetur (Gen. 3,15); cogita de typo agni paschalis, serpentis in deserto (Ioan. 3,14; 19,36), de aerumnis prophetarum, qui in munere suo Messiam prophetam praefigurabant et oraculis suis expiationem peccatorum fieri poenis a Deo inflictis continuo demonstrant.

Salutem itaque per Messiam omnibus offerri una est omnium prophetarum vox; quare infert Petrus v. 19 *poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra;* doleant de culpis admissis, sese sincero corde ad Deum convertant, πρὸς in eum finem, τὸ ἐξαλειφθῆναι, ut oblitterentur, expungantur peccata vestra; cf. 2,38; a poenitentia incipit praedicatio regni Dei; per illam patet via ad Deum et ad

beatitatem v. 20 *ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini,* tempora beatae consolationis, quae a Deo quasi egressa mittentur *et miserit eum qui praedicatus est vobis, Iesum Christum;* tempora itaque refrigerii erunt post secundum Christi adventum. Quale refrigerium futurum sit, vide Apoc. 21,4 : et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum etc. et cf. Is. 65,18; 66,12. Secundum *vulg.* sententia est incompleta; supplent: *ut* cum venerint ... et miserit.. *veniant et vobis a facie Domini* (*Beda*), vel, *etiam vos in refrigerio sitis* (*Beel.*) vel similiter. Sententiam etiam in *vulg.* esse completam *Patr.* censet ita explicans : utpote cum venerint tempora etc., ita et occasio iam sit peccatorum veniam a Deo per Iesum impetrandi; unde refrigerium intelligit de eo quod Christus iam nobis attulit.

Quae tamen explicatio coacta est, si latinum spectas; nam *ut* non sine violentia explicatur utpote; et si graecum consulis, evadit illa interpretatio falsa. Habetur enim ὅπως ἄν, quae particula etiam in *vulg.* vertitur *ut* (Luc. 2,35 ut revelentur; Act. 15,17. Rom. 3,4), et cum coniunctivo iuncta significat iis in locis intentionem. Proinde eadem notio erit hic retinenda. Enuntiatur itaque poenitentiam et conversionem ad Deum necessario praecedere debere ex Dei ordinatione, *ut* venire possint tempora refrigerii et ut secundus Christi adventus locum habeat. Consummatio enim saeculorum non erit, donec evangelium omnibus est annuntiatum (Matth. 24,14) et donec omnis Israel docente apostolo fidem Christi professus salvus fit (Rom. 11,26). Uti in oratione ecclesiastica dicitur, soli Deo notus est numerus electorum in aeterna felicitate locandus; isto numero completo erit consummatio saeculi; unde conclude vere dici : convertimini, ut veniant tempora refrigerii; tendit itaque propagatio regni messiani ad beatum illum finem, quo demum in perfecta gloria manifestetur. Haud absimile est quod habetur Apoc. 6,10.11 : clamant animae interfectorum : usquequo Domine non iudicas? et dicitur eis, ut requiescant, *donec compleantur* conservi eorum et fratres qui interficiendi sunt sicut et illi. Vertunt aliqui ὅπως ἄν quandocumque venerint; id quod aeque contra grammaticam peccat atque contra rei veritatem. Nam ὅπως particula temporalis iungitur indicativo et optativo, non autem coniunctivo et insuper hic habes ὅπως ἄν (cf. Klotz, Devar. II p. 681 seq.); dein evidens est peccata non tum demum expungi ac deleri, quandocumque venerint tempora refrigerii.

Tempora refrigerii porro declarantur : καὶ ἀποστείλῃ et ut mittat τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Iesum vobis praeordinatum, vobis destinatum, qui scil. a Deo iudex constitutus in secundo adventu suis praemium regni messiani tribuet. Messiam ipsis esse destinatum, in eorum com-

modum ac bonum praeparatum, non potuit non esse argumentum magnae consolationis et fiduciae. Nam cum notione Messiae intime iungitur notio pacis, felicitatis summae, gloriae. Spes itaque praeclara iis exhibetur. At simul innuitur per tribulationes ac varias miserias ad beatum illum finem esse tendendum. Nam illa tempora futura dicuntur refrigerium; unde merito inferunt tempus intermedium designari tamquam tempus aestus ac laborum et dolorum (cf. *Chr. Oec. Salm.*) i. e. periodum terrestrem regni messiani ita conformari, ut tempora refrigerii summis votis sint exoptanda. — Aliqui tempus refrigerii et Christi adventum referunt ad iudicium quod Christus per Romanos in urbem et gentem iudaicam infidelem exercuit, quo iudicio Christifideles a vexationibus Iudaeorum quietem et refrigerium nacti sint (cf. *Oec. Theoph. Lap. Calm.*). Verum hoc a proprietate verborum alienum est et refutatur statim in v. 21, quo claré enuntiatur, quando Christus e coelo mittendus sit v. 21. *quem oportet quidem coelum suscipere* i. e. proprius Christi commorationis locus est coelum, neque mittendus est secunda vice in terram; sed manere debet in coelo, *usque in tempora restitutionis omnium;* si haec advenerint, tunc e coelo redibit iterum in terram; unde in hoc ipso *usque in...* habes oppositionem ad illud μέν *quidem;* δεῖ dicitur de necessitate divino decreto constituta et a prophetis praedicta (*Bl.*)..

Verbum *restituere* ἀποκαθιστάναι dicitur de sanatione, restitutione sanationis Matth. 12,13, Marc. 3,5; 8,25, Luc. 6,10; dicitur de Elia qui venturus est et restituet omnia Matth. 17,11. Unde ἀποκατάστασις *omnium, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo prophetarum* idem est, atque cuncta quae a prophetis promissa sunt tum demum integrum ac perfectum sortiuntur effectum; tum omnia illa in statu ac conditione perfecta restituentur, quae eousque inchoatione quadam et imperfectione habebantur. Servatur notio *restitutionis,* vel translationis in *novum* statum, in qua prior status deterior removetur (cf. ἀπο); quare illud ὧν recte refertur ad πάντων, neque opus est illud referre ad χρόνους (cum *Beel. Felt. Wendt* antea in ed. 5,1880; sed 1888 aliter). Per prophetas olim ab antiquo tempore Deus promiserat se esse Deum foederis, daturum benedictionem, pacem (cf. Gen. 9,26; 12,3; 18,18; 49,10); imo, ut Iudas nos docet in epistola v. 14 iam septimus ab Adam Enoch prophetavit : ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium; porro imago illa summae pacis ac felicitatis quam prophetae de regno messiano exhibent hisce in terris solum imperfecta quadam adumbratione in effectum deducitur. Restat itaque, ut illa omnia ex conditione imperfecta et manca restituantur in statum perfectum; cf. Is. 65,

17 : ecce enim ego creo coelos novos et terram novam; 2 Petr. 3,13.

Quale itaque bonum exspectandum sit a poenitentia et conversione, eos docet in v. 19-21, quibus simul rationes efficaces suppeditat. Pergit eos urgere, ut fidem Christi amplectantur minis quoque propositis, si renuerint v. 22 *Moyses quidem dixit : quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me; ipsum audietis iuxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis;* v. 23 *erit autem : omnis anima quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe;* cf. Deut. 18,15 seq.; quae si valent de omni propheta quem Deus missurus est, a fortiore valent de summo propheta, de Messia qui populo erat promissus et qui maxime omnium erat os Dei et auctoritate divina loquebatur. Uti Deus olim multifariam multisque modis locutus est in prophetis, ita postea locutus est in Filio (Hebr. 1,1), inde quasi ostendens agmen prophetarum ducere ad Christum, culmen et caput prophetarum, per quem locutio Dei ad nos absolvatur. Quo sensu verba illa Deut. 18,15 seq. vere sint messiana, vide apud *Cornely,* Introd. II 2 (2. ed.) p. 275 seq. Verba recitantur a Petro ad sensum accurate; pro *ego ultor exsistam* illam ponit poenam quae toties in vet. test. proponitur (Gen. 17,14. Lev. 7,20. 21. Num 19,13. 20 etc.).: exterminabitur de plebe, a populo Dei, a salute messiana excludetur; uti in vet. test. formula illa declaratur poena mortis, ita hic mors altera, perditio aeterna designatur. Quanta enim cura ac sollicitudine debeant adhortationem hanc suscipere et proinde, quantopere sese reddant obnoxios ultioni divinae, si neglexerint, ulterius inculcat Petrus ex eo quod Deus longa prophetarum serie hanc salutem messianam, quae nunc iis offeratur, annuntiandam ac praeparandam curavit v. 24 *et omnes prophetae a Samuel,* qui quasi princeps ac caput erat cunei prophetarum (1 Reg. 19,20) *et deinceps qui locuti sunt* τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν — saepe construunt ὅσοι τῶν καθεξῆς ἐλάλησαν — sed melius refertur ad ἀπό; « esse debebat καὶ καθ. sine τῶν, ne οἱ καθ. simul cum Samuele initium significarent; sed est negligentia excusabilis » (*Bl.*) *annuntiaverunt dies istos,* καὶ κατήγγειλαν etiam annuntiarunt i. e. non solum generatim prophetarunt, verum etiam *hos dies* i. e. salutem messianam quae nunc vobis offertur praedicabant.

Quantam igitur culpam contraherent, si huius salutis negligentes se praeberent, quae primo et iure quodam praecipuo ad eos pertinet; nam v. 25 *vos estis filii prophetarum et testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros;* dicuntur *filii* more hebraico, quia oracula prophetarum et foedus Dei ad eos pertinet et quia inde quasi

spiritualiter nati indolem illorum et quasi mentem in se exprimere debent. Gravissima est adhortatio et apta peroratio, quae ipsa anaphora *vos, vobis* v. 26 vim habet et vigorem; *dicens ad Abraham : et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae;* cf. Gen. 22,18; 26,4; quod semen postea clarius determinatur v. g. Ps. 71,17 et benedicentur in ipso (in rege messiano, de quo agitur) omnes tribus terrae. Hanc iam benedictionem iis mittit Deus, iis primum prae reliquis, v. 26 *vobis primum Deus suscitans Filium suum,* postquam suscitavit ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ, vide ad v. 13, *misit eum benedicentem vobis;* nam Iudaeo primum, ut apostolus loquitur, evangelium est virtus Dei in salutem; innuit Petrus iam vocationem gentium (ex verbis Christi 1,8. Luc. 24,48); *suscitans* non dicitur de resurrectione Christi, sed eo sensu quem habet verbum in v. 22. Deus enim, uti olim prophetas suscitavit, ita Iudaeis suscitarat et miserat Iesum eumque *benedicentem;* cf. v. 25; quam benedictionem ab eo semper dari ac permanere ipsa verbi forma exprimitur; « non dicit servantem, sed quod maius est, benedicentem, ostendens crucifixum benedicere iis qui crucifixerunt » (*Chr.*). Sed quando et qua conditione haec illis contingat benedictio, adiungit ἐν τῷ ἀποστρέφειν, ea scil. conditione, *ut convertat se unusquisque a nequitia sua;* bene versio syriaca : *si* convertamini, et philox. *quando* conversus fuerit quisque. Redit itaque sermo ad v. 19, ad adhortationem et doctrinam pro vita et usu immediato. « Demulcet autem apostolus animos Iudaeorum, quo ad credendum faciat promptiores, dicendo quod totius mundi Sanator eos primum visitaturus et benedicturus elegerit » (*Beda*).

In qua oratione aliqui critici certissima signa interpolationis deprehendunt. Ita *Weiss, Hilg.* contendunt : illud ὑμεῖς δὲ 3,14 negat ὑμεῖς μὲν 3,13 quod praecedit, quae itaque sententia delenda est. At non advertunt illud μὲν solitarium habere oppositionem suam in membro adiecto : iudicante illo dimitti. Et hoc membro posito recte adiungitur v. 14 vos autem etc. Dein pertinet ad emphasin orationis, ut culpa eorum efferatur. Unde plane arbitrarium est illam sententiam tamquam alienam expungere. Porro quod *Hilg.* obiicit in v. 21 contineri absurdum illud : effata prophetarum esse restituenda, supra iam refutatum est. Dein offenditur idem criticus v. 25 quod testamentum, foedus dicatur dispositum ad patres nostros, neque intelligit quomodo hoc foedus antiquius sit illo foedere mosaico. Verum advertendum est, quae Deus Abraham promisit, non ei soli esse promissa, sed in eo posteris et eadem promissa esse repetita Isaac et Iacob; quare illud : in semine tuo etc. revera continet et exprimit foedus Dei initum cum Abraham et in eo cum tota stirpe; nam « patrem multarum gentium constitui te et ponam te in gentibus » (Gen. 17,5) et « statuam pactum meum inter me et te et inter semen tuum post te in generationibus tuis » (Gen. 17,7); cf. 17,10 sq. Ex. 6,4 : pepigi foedus cum eis (Abraham, Isaac, Iacob) et Ex. 6,5 recordatus sum pacti mei, et quoties dicitur in Deut. : Deus iuravit patribus nostris?

ς) Apostoli sistuntur synedrio 4,1-12.

4,1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, et magistratus templi, et sadducaei, 2. Dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Iesu resurrectionem ex mortuis. 3. Et iniecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum : erat enim iam vespera. 4. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt; et factus est numerus virorum quinque millia.

5. Factum est autem in crastinum ut congregarentur principes eorum, et seniores, et scribae in Ierusalem; 6. Et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Ioannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. 7. Et statuentes eos in medio, interrogabant : In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos : Principes populi et seniores audite : 9. Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, 10. Notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. 11. Hic est lapis qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli; 12. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

4,1. Λαλούντων δὲ αὐτῶν πρὸς τὸν λαὸν, ἐπέστησαν αὐτοῖς οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ καὶ οἱ σαδδουκαῖοι, 2. διαπονούμενοι διὰ τὸ διδάσκειν αὐτοὺς τὸν λαὸν, καὶ καταγγέλλειν ἐν τῷ Ἰησοῦ τὴν ἀνάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν· 3. καὶ ἐπέβαλον αὐτοῖς τὰς χεῖρας, καὶ ἔθεντο εἰς τήρησιν εἰς τὴν αὔριον· ἦν γὰρ ἑσπέρα ἤδη. 4. πολλοὶ δὲ τῶν ἀκουσάντων τὸν λόγον ἐπίστευσαν· καὶ ἐγενήθη ἀριθμὸς τῶν ἀνδρῶν ὡς χιλιάδες πέντε.

5. Ἐγένετο δὲ ἐπὶ τὴν αὔριον συναχθῆναι αὐτῶν τοὺς ἄρχοντας καὶ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ τοὺς γραμματεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, 6. καὶ Ἄννας ὁ ἀρχιερεὺς καὶ Καϊάφας καὶ Ἰωνάθας καὶ Ἀλέξανδρος, καὶ ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ. 7. καὶ στήσαντες αὐτοὺς ἐν τῷ μέσῳ, ἐπυνθάνοντο, Ἐν ποίᾳ δυνάμει ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι ἐποιήσατε τοῦτο ὑμεῖς; 8. Τότε Πέτρος, πλησθεὶς Πνεύματος Ἁγίου, εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ καὶ πρεσβύτεροι, 9. εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, ἐν τίνι οὗτος σέσωσται, 10. γνωστὸν ἔστω πᾶσιν ὑμῖν καὶ παντὶ τῷ λαῷ Ἰσραὴλ, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, ἐν τούτῳ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής. 11. οὗτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδόμων, ὁ γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας. 12. καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία· οὐδὲ γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ὑμᾶς.

In v. 1 αρχιερεις B C arm aeth; al ιερεις. In v. 2 D αναγγελειν τον ιν̅ εν τη αναστασει. **In v. 6 B D ιωναθας, d ioathas; in minusc** ιερατικου; item e gig vulg. **In v. 8 D E P al pler syr (utr) arm Chr Ir Cyp** add του ισραηλ; item gig; add **ακουσατε E alq minusc syr aeth Cyp; non add am fu** demid. In v. 9 D E syr (utr) Ir Cyp add αφ υμων; **gig a vobis.** In v. 10 D E ph (mg) Cyp add (και) εν αλλω ουδενι, item Bed ex graeco. **In v. 12 D ανθρωποις; solum B** υμας; **al** ημας.

Quod Christus apostolis de persecutionibus praedixerat, iam experiuntur 4,1 *loquentibus autem illis ad populum supervenerunt sacerdotes et magistratus templi et sadducaei* ἐπέστησαν αὐτοῖς; verbum

significat repentinum et minime exspectatum illorum adventum (*Salm.*), subito et ex improviso eis adstiterunt *sacerdotes*, illi nimirum quibus per illam hebdomadam erat templi sacrorumque ministerium et custodia, quae munia viginti quattuor sacerdotum classes singulae singulis hebdomadis obibant (*Patr.*). Nominantur autem ἀρχιερεῖς et qui olim pontificatum gesserant et qui erant ex familiis ex quibus pontifices eligebantur vel etiam (ut aliis videtur) principes viginti quattuor illarum classium sacerdotum (vide quae dixi in Comment. Matth. I. p. 88) *et magistratus templi* ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, praetor templi, ut teste *Beda* alia editio habet, vel praepositus; hebr. princeps domus Iahve נגיד בבית י' cf. 1 Chron. 9,11; 2 Chr. 35,8. Ier. 20,1; cuius erat praeesse excubiis templi, levitis eas excubias agentibus; ad munus eius pertinebat ordini quoque in templo invigilare; nominat Iosephus quoque cum Anania pontifice τὸν στρατηγὸν Ἄνανον (Antiq. 20,6,2), *et sadducaei;* hi fortasse auctores erant, ut illi supervenirent. Nam hi videntur describi instigatores, quia additur v. 2 *dolentes quod docerent populum et annuntiarent in Iesu resurrectionem ex mortuis;* de sadducaeis vide ad Matth. 3,7; dicit *Iosephus* paucos quidem, sed πρώτους τοῖς ἀξιώμασι illorum opinioni suffragari (Antiq. 18,1,4). Dum Petrus Iesum praedicat suscitatum ex mortuis, in uno hoc exemplo i. e. in Iesu persona, docet resurrectionem. Argumentum sermonis esse potius exspectaremus, uti fere habetur in codice D : annuntiare Iesum in resurrectione, i. e. resurrexisse. Solus quidem Petrus dicitur loqui; at Ioannem quoque docuisse, patet ex v. 4.

Notat *Chr.* : « tu mihi perpende, quomodo qui quaesierant proditorem ad Christum tradendum, hic ipsi manus iniiciunt ferociores facti et impudentiores post crucem » v. 3 *et iniecerunt in eos manus et posuerunt eos in custodiam in crastinum; erat enim vespera;* nam hora nona post solis ortum ascendebant in templum; populi concursus, oratio Petri, quae certo multo prolixior erat quam paucis illis 3,12 refertur, tempus occupabat, ita ut iam immineret vespera nec esset tempus sufficiens ad synedristas convocandos et iudicium instituendum. Quem vero fructum praeclarum tulerit miraculum et institutio apostolorum de Iesu, patet v. 4 *multi autem eorum qui audierant verbum crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia;* ea occasione quinque millia credidisse aliqui explicant (cf. *Salm. Lap. Har. Calm.*); at verbis potius indicatur id effectum esse, ut nunc numerus credentium esset quinque millia; neque enim dicitur προσετέθησαν, ut supra 2,41; « duo namque Lucas narrat et multos credidisse et factum esse numerum virorum quinque millia,

atque ita narrat, ut alterum altero secernat. At si is numerus coetui Christianorum, qui iam erat, tunc accrevisset, non eo modo Lucas, opinor, rem narrasset; sed ita simplicius, certius et clarius : eorum autem qui audierant verbum crediderunt virorum quinque millia, nihilque praeterea addidisset » (*Patr.* similiter *Beel. Felt.*). Non numerari mulieres aliqui censent neque pueros (*Beel. Patr. Felt.*); alii putant ἄνδρες dici, uti ψυχαί 2,41 vel uti Matth. 14,35 sensu generaliori.

Res iam eo devenit, ut a summo Iudaeorum magistratu ignorari aut negligi ulterius non potuerit. Palam enim in templo annuntiabatur Iesum quem synedristae crucifigendum curaverant resurrexisse, crimen eorum denuntiabatur, auctor salutis unus praedicabatur Iesus et qui ei se addicebant in dies et numero et auctoritate crescebant; v. 5 *factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum* scil. Iudaeorum, *et seniores et scribae*, totum itaque synedrium, quod constituebatur ex magistratu religioso, principibus sacerdotum, magistratu civili, senioribus, et doctoribus legis; ἄρχοντες generali appellatione dicuntur qui auctoritate in plebem valent; quandoque putant ἄρχοντες esse eosdem ac principes sacerdotum, qui alias nominari solent, si de synedrio agitur; cf. Matth. 16,21; 27,41. Marc. 11,27; 14,43 etc (*Felt. Wendt, Bl.*) *in Ierusalem*, εἰς Ἱερ., rure accersitos esse in urbem aliqui censent haud improbabiliter; eo enim anni tempore vitam rure agere ob regionis amoenitatem et messem sane erat iucundum et saepe utile. Aliqui insigniores ex principibus nominantur v. 6 *et Annas princeps sacerdotum et Caiphas,* qui in condemnatione Iesu partes egerant praecipuas (Ioan. 18,13; 11,49. Matth. 26,3. 57 seq.); Annas socer erat Caiphae qui erat pontifex (ab anno 18-36 p. Ch.); verum Annas plurimum auctoritate valebat et Caiphas ex eius consilio et arbitrio munus administrabat; vide quae dixi in Comment. Luc. p. 156; Annam in toto Aaronis genere, in omnibus sacerdotum familiis principatum gessisse, ideoque eo titulo insigniri *Patr.* censet; *et Ioannes et Alexander et quotquot erant de genere sacerdotali* i. e. pontificali scil. ex iis qui ἀρχιερεῖς nominabantur. Secundum talmudistas eo tempore i. e. annis quadraginta ante urbis excidium celeberrimus erat Iochanan ben Zaccai (cf. *Lightfoot* ad h. l.); verum incertum est, sitne is quem hic Lucas nominat. Ibi non est spernenda lectio in codd. B, D Ἰωνάθας; nam Ἰωνάθης filius Annae pontificis nominatur apud Iosephum Antiq. 18,4,3. Pariter incertum quis fuerit Alexander; nominatur quidem Alexander Lysimachus, frater Philonis, alexandrinus, Alexandrinorum alabarches, omnium (teste Iosepho) in ea urbe suo tempore et genere et divitiis primus, pietate quoque conspicuus; « ni-

hil est quod vetet credere eum per eos dies fuisse Hierosolymae ac pro dignitate et auctoritate qua pollebat ac pro eius erga templum meritis admissum in synedrium » (*Patr.*; de eo vide *Iosephum*, Antiq. 19,5,1; 18,8,1. 3; 20,5. 2).

Sollemni tot virorum nobilium consessu homines simplices posse confundi et a proposito deterreri synedristae exspectabant; v. 7 *et statuentes eos in medio*, ut ipso conspectu augustissimi concilii metus iis offerretur et perturbarentur omnium oculis in se directis, *interrogabant : in qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos?* quaerunt de sanatione; haec enim nota erat nec poterat negari et ab ea occasionem ceperant apostoli praedicandi Iesum et denuntiandi crimen synedristarum. In quo nomine sanationem effecissent, synedristae ignorare non poterant. Quaerunt tamen sperantes fore ut vel non auderent Iesu nomen invisum pronuntiare vel exterriti inepte rationem redderent; quod si fieret, facile res eo modo potuit plebi exhiberi, ut nullatenus in Iesu gloriam memoriamve sanationis fama redundaret. « Nunc recordare verborum Christi : cum autem tradent vos in synagogis, ne solliciti sitis, quid aut quomodo loquamini; Spiritus enim Patris vestri est qui loquitur in vobis » (*Chr.* cf. Luc. 12,11) v. 8 *tunc repletus Spiritu sancto Petrus dixit ad eos;* iam enim plane alius est Petrus, summa libertate, fortitudine, sapientia ex dono Spiritus loquitur : *principes populi et seniores, audite,* eos cum honore nominat (*Oec.*), v. 9 *si nos hodie diiudicamur* ἀνακρινόμεθα, usu forensi : examinamur, interrogamur, *in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est,* ἐπὶ εὐεργεσίᾳ, in ius vocari, a iudicibus quaestionem institui propter beneficium homini infirmo collatum, rem esse satis iniquam Petrus innuit; ἐν τίνι qua re vir iste sit sanatus, si de hoc quaestio iudicialis instituitur, v. 10 *notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel,* « strenue illos a principio perstringit et carpit, quod de beneficio in ius vocent, ac si diceret : utique oportebat nos ea de re coronari atque ut beneficos promulgari; nunc autem in ius vocamur, quia bene fecimus homini infirmo, non potenti, non nobili, quamquam et in hoc quis invidisset » (*Chr.*)? *quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni,* hoc nomine pronuntiato et Iesu Nazareno invocato, *quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus;* verba sunt plena fide, fortitudine, acri reprehensione iudicum. Quaestioni ita respondet, ut una et removeat scandalum crucis praedicans Iesum crucifixum a mortuis esse suscitatum et eundem Messiam esse doceat, simul probans divino esse testimonio firmatum quod affirmet; nam ad huius Iesu invocationem patratum

esse miraculum (cf. *Beel.*); cum emphasi additur in D etc. : in alio autem nullo (*Cyp.*).

Atque eiusdem Iesu effatum, quo iam alias duces populi perstrinxerat (Matth. 21,42. Marc. 12,10. Luc. 22,17) illis in memoriam revocat v. 11 *hic est lapis qui reprobatus est a vobis aedificantibus*, vos debuistis domum Dei aedificare; at eum in quo tota Dei structura innititur, reiecistis; at hic ipse est *qui factus est in caput anguli*, lapis angularis, qui fecit utraque unum (Eph. 2,14), qui est fundamentum et fultura domus Dei, adeoque metaphora relicta caput, princeps, rex populi Dei et regni Dei. Verba deprompta sunt ex Ps. 117, quo Messiam designari Iudaei agnoscebant (vide Comment. Matth. II p. 237); eo etiam utitur Petrus in priore sua epistola 2,4. Et quia Iesus factus est lapis angularis, necessario consequitur v. 12 *et non est in alio aliquo salus* i. e. tota ratio et causa salutis, pacis, beatitatis nostrae reposita est et conclusa in eo solo; *nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus*, magis emphatice graece : neque enim aliud nomen exsistit sub coelo τὸ διδόμενον ἐν ἀνθρώποις quod inter homines datur, quod generi humano conceditur, *in quo oporteat nos salvos fieri* δεῖ ex divina ordinatione et consilio; nomen Iesu i. e. eius persona, ipse et quod de se manifestavit. Ipse est unus mediator Dei et hominum; ipse propitiatio pro peccatis nostris (cf. 1 Tim. 2,6. 1 Ioan. 2,2). Hac generali affirmatione docet Petrus etiam tempore veteris foederis non potuisse haberi salutem nisi a Messia, fide in eum explicita seu implicita, et revera propter Christi merita praevisa in vetere foedere omnis dabatur gratia (cf. Ioan. 1,17). — Bene notat *Salm.* de hac Petri oratione : « vide quam nihil seditiose faciat, sed fatetur principatum eorum, sicut oportebat, donec palam pateret illius politiae reprobatio; nihil dicit contumeliosum etiamsi in libertate loquatur. Neque statim dicit in nomine Iesu miraculum editum, sed paulatim disponit eos ad audiendam veritatem, nec declinat in levitatem adulationis, sed detegit eorum atrocissimum delictum crucifixionis Christi ». At illis ipsis quoque spem salutis offert, quasi dicens : « videte an adhuc eum reprobare velitis; hoc enim certum est, vos aliunde salutem quam per ipsum habere non posse; hoc ergo consulite, quomodo maxime vobis eum promereamini ».

d) Synedristae prohibent praedicari Iesum 4,13-22.

4,13. Videntes autem Petri constantiam et Ioannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotae, admira-

4,13. Θεωροῦντες δὲ τὴν τοῦ Πέτρου παρρησίαν καὶ Ἰωάνου, καὶ καταλαβόμενοι ὅτι ἄνθρωποι ἀγράμματοί εἰσιν καὶ ἰδιῶται,

bantur, et cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant. 14. Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere; et conferebant ad invicem, 16. Dicentes : Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem : manifestum est, et non possumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. 19. Petrus vero et Ioannes respondentes dixerunt ad eos : Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate : 20. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui.

21. At illi comminantes dimiserunt eos, non invenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

ἐθαύμαζον, ἐπεγίνωσκόν τε αὐτοὺς ὅτι σὺν τῷ Ἰησοῦ ἦσαν· 14. τόν τε ἄνθρωπον βλέποντες σὺν αὐτοῖς ἑστῶτα τὸν τεθεραπευμένον, οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν. 15. κελεύσαντες δὲ αὐτοὺς ἔξω τοῦ συνεδρίου ἀπελθεῖν, συνέβαλλον πρὸς ἀλλήλους, 16. λέγοντες, Τί ποιήσωμεν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις; ὅτι μὲν γὰρ γνωστὸν σημεῖον γέγονεν δι' αὐτῶν πᾶσιν τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ φανερὸν, καὶ οὐ δυνάμεθα ἀρνεῖσθαι. 17. ἀλλ' ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον διανεμηθῇ εἰς τὸν λαὸν, ἀπειλησώμεθα αὐτοῖς μηκέτι λαλεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ μηδενὶ ἀνθρώπων.

18. καὶ καλέσαντες αὐτοὺς, παρήγγειλαν καθόλου μὴ φθέγγεσθαι μηδὲ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ. 19. ὁ δὲ Πέτρος καὶ Ἰωάνης ἀποκριθέντες εἶπαν πρὸς αὐτοὺς, Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε. 20. οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἴδαμεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν.

21. οἱ δὲ προσαπειλησάμενοι ἀπέλυσαν αὐτοὺς, μηδὲν εὑρίσκοντες τὸ πῶς κολάσωνται αὐτοὺς, διὰ τὸν λαὸν, ὅτι πάντες ἐδόξαζον τὸν Θεὸν ἐπὶ τῷ γεγονότι. 22. ἐτῶν γὰρ ἦν πλειόνων τεσσεράκοντα ὁ ἄνθρωπος ἐφ' ὃν γεγόνει τὸ σημεῖον τοῦτο τῆς ἰάσεως.

In v. 13 D gig om και ιδιωται. In v. 16 ποιησομεν D P al plu Bas Chr Thph; D φανεροτερον εστιν. In v. 18 D συνκατατιθεμενων δε αυτων τη γνωμη φωνησαντες αυτους, gig consentientibus autem omnibus accercientes eos praeceperunt illis. In v. 21 gig omnes enim honorificabant Deum in facto.

Res aliter evenit ac synedristae volebant. Apostoli nullo modo exterriti sunt vel perturbati neque ullam praebuerunt ansam, qua nomen Iesu posset obscurari. Potius ita optime suas egerunt partes, ut illi et admirarentur et ipsi ancipites haererent; v. 13 *videntes autem Petri constantiam et Ioannis* παρρησίαν fiduciam dicendique libertatem; quamvis Ioannes non loqueretur, tamen eadem animi sententia et fortitudo ex vultu, habitu cognosci potuit, *comperto quod homines essent sine litteris* qui scil. in scholis rabbinorum minime vacassent legis studio *et idiotae,* imperiti (*Bed.*); qui caret munere publico, dignitate, et qui in aliqua re, arte, scientia non est versatus vocatur comparatione instituta cum magistratu, homine docto, artis perito etc. idiota; quare etiam homo plebeius eo nomine designari potest. Et haec notio

hoc loco videtur convenire; habetur enim oppositio ad legis doctores et ad magistratum religiosum et civilem in hac utraque designatione, *admirabantur,* nam talem orationem, defensionem, accusationem, adhortationem minime exspectabant et ab homine indocto, rudi, plebeio talia dici et tanta libertate coram augustissimo consessu perorari, quis non miraretur? *et cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant;* synedristae, saltem multi vel plerique, non adfuerunt, cum apostoli in custodiam tradebantur; quare nunc demum discunt videntes apostolos eos antea fuisse cum Iesu. Quare quod D codex habet τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἐπεγίνωσκον ὅτι etc. non est abs re. Sanationem effectam esse certo constabat; eius enim testis adstabat v. 14 *hominem quoque videntes stantem cum eis*, qui fortasse simul cum eis tamquam socius tumultus in carcerem fuerat abductus (*Bl.*); hominis autem constantiam laudat *Chr.*, quod in ipso iudicii loco eos non reliquerit; *nihil poterant contradicere;* quod factum erat non poterant negare. Quare etiam nihil excipere poterant contra id quod Petrus dixerat argute eos verberans, cur ob beneficium praestitum in iudicium raperentur (*Salm.*). Verum quam maxime molestum iis erat quod nomine Iesu sanatio erat facta.

Quid statim responderent aut quo se verterent non habebant. Quare inter se deliberare coeperunt v. 15 *iusserunt autem eos foras extra concilium secedere et conferebant ad invicem* v. 16 *dicentes : quid faciemus*, ποιήσωμεν faciamus, vox est haesitantium quas partes eligere expediat et quomodo rem valde molestam componant, *hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem, manifestum est et non possumus negare;* en eodem modo loquuntur de discipulis, quo antea de Iesu : quid facimus quia hic homo multa signa facit (Ioan. 11,47). Negassent libenter, si potuissent. Sed propter evidens miraculum quod omnibus iam notum erat non poterant audere apostolis poenam decernere propter nomen Iesu praedicatum. Unde persuasione minisque utendum esse rati sunt v. 17 *sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum;* quam odiosum sit nomen declarant abstinentes addere quale vel cuius sit nomen. Dummodo nomen Iesu silentio prematur, satis putant provisum esse. Cum rationibus destituantur quibus apostolos compescant, ad minas convertuntur (*Salm.*); v. 18 *et vocantes eos denuntiaverunt*, παρήγγειλαν imperarunt, *ne omnino loquerentur* φθέγγεσθαι, ne ullum quidem sonum ederent, « ne muttire quidem, multoque fortius quam λαλεῖν, cum φθ. ad sonum magis quam ad verba referatur » (*Bl.*), *neque docerent in nomine Iesu*, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, ita scil. ut persona Iesu et quod

de eo ipsi sciant sit fundamentum, cui ratio docendi innitatur, ut quasi super hoc fundamentum doctrinae aedificium construatur.

Apostoli autem liberum dant et intrepidum responsum, quo illos modeste et prudenter suae admonuerunt iniustitiae (*Salm.*) v. 19. *Petrus vero et Ioannes respondentes dixerunt ad eos : si iustum est in conspectu Dei*, sitne iustum coram Deo, iudice Deo, εἰ adhibetur interrogativum, eodemque modo *si* etiam in lingua vulgari, *vos potius audire quam Deum, iudicate*; « tanta est veritatis confidentia, ut Petrus etiam statuat hostes ipsos iudices; nam saltem pudore victi non poterunt negare hanc veritatem » (*Salm.*). Iam a *Christo* acceperant mandatum praedicandi in nomine eius (Luc. 24,47. Act. 1,8); unde Petrus dicens Deo esse obediendum Christum aperte Deum nominat; hanc necessitatem sibi impositam affirmant; quare licite se tacere posse negant v. 20 *non possumus quae vidimus et audivimus non loqui*, quae in Iesu testes oculati perspeximus, quae ab eo didicimus et iussi sumus praedicare, haec loquendi necessitas nobis incumbit; nam vae mihi, si non evangelizavero (1 Cor. 9,16). Synedristae non habent quid reponant; neque audent eos punire ob libertatem loquendi; timent populum qui miraculum admiratur; unde repetunt suam iniunctionem minis additis, qua ipsa comminatione ostendunt se nescire quo se vertant nec posse impedire quominus nomen Iesu reddatur gloriosum v. 21 *at illi comminantes* προσαπειλησάμενοι minis etiam severioribus intentatis *dimiserunt eos, non invenientes quomodo punirent eos*, τὸ πῶς cf. 22,30; Luc. 1,62; 9,46; 19,48; « hic usus fere Lucae proprius est, ut articulus anteponatur enuntiato interrogationis obliquae » (*Bl.*); nullatenus invenire poterant aliquem praetextum eos puniendi seu causam, *propter populum quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat*, ἐδόξαζον τὸν Θεὸν Deum glorificabant in eo quod factum fuerat. Si ergo ullo praetextu apostolos punivissent, timendum erat ne tumultus fieret. Lectio *vulg.* certe est corrupta. Iam *Beda* notat : « melius habetur in graeco : omnes enim glorificabant Deum in eo quod factum fuerat; et quod in nostris codicibus additum est : in eo quod acciderat, in graeco non habetur », neque id habet *Dion.*; et gig. honorificabant Deum in facto. Denuo apparet perversitas ducum ac principum eadem quam contra Iesum eiusque signa exhibuerant. Apud magnam autem plebis partem obtinetur finis signi, scil. ut Dei gloria illustretur et homines ad cognitionem veritatis adducantur (*Salm.*). Erat quippe signum illud valde insigne tum ob diuturnitatem infirmitatis tum quia vir ille mendicus omnibus ex multo tempore erat notissimus; quotidie enim ponebatur ad portam templi (3,2) v. 22 *annorum enim erat amplius quadraginta*

homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis; erat autem claudus a nativitate (3,2).

Statuit *Weiss* a redactore scenam v. 15-20 esse exornatam. Vult enim non sequenti die habitum esse consessum synedrii, verum totam scenam actam esse in eo loco ubi Petrus ad populum verba fecerat eodemque die. Id concludendum esse censet ex eo quod sanatus sit praesens (v. 9. 10. 14. 22), quod tota plebs praesens supponatur v. 10 et Petrus dicat *hodie* v. 9. Verum plebem esse praesentem ex v. 10 nullo modo sequitur, imo ex allocutione v. 8 clare patet eam non cogitari praesentem; alio enim modo Petrus plebem alloquitur 2,14 et 3,12. Illud *hodie* v. 9 non refertur ad sanationem, sed ad interrogationem iuridicam in qua sanatum adesse propter inquisitionem oportuit. Praeterea 4,3 erat enim iam vespera, clare indicatur scenam transferri in diem sequentem.

Idem vult in primitiva narratione mentionem Ioannis non esse factam; sed hanc eius opinionem alius criticus, *Feine* refutat (p. 173). Varia offendicula *Feine* quoque deprehendit; 4,2 non consentire cum 4,9. Sed pro magistratu templi et sadducaeis erat ratio sufficiens in apostolos manus iniiciendi, quod docerent et Iesum praedicarent; in hac praedicatione Iesu resurgentis ex re modo gesta etiam continetur id quod in v. 9 effertur et quod synedrio potissimum erat offensioni. Arbitrarie statuit *Feine* 4,15-17 non pertinere ad textum primigenium, sed perperam praeoccupari ex 5,34 sq.; item 4,19 desumi et 5,29; falso enim supponit apostolos demum post orationem 4,24-30 accepisse a Deo signum evangelium esse palam et libere praedicandum. Hoc iam ex verbis Christi didicerant. Mira sunt criticorum ingenia; assumit *Feine* synedrium actionem contra apostolos instituisse, et tamen quae de actione referuntur v. 15-17. 19 aliunde esse deprompta vult. Si contra eos egerunt, certe prohibuerunt, minas addiderunt, (quae minae in v. 29 quoque supponuntur), sicut in narratione exponitur; num apostoli censendi sunt tacuisse? Alii critici, ut *Sorof*, *Holtzmann*, alia proponunt; res esse fictas, adesse mythum etc., quae prosequi piget.

e) Preces fidelium eorumque conditio 4,23-37.

4,23. Dimissi autem venerunt ad suos, et annuntiaverunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. 24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt. 25. Qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? 26. Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius? 27. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus

4,23. Ἀπολυθέντες δὲ ἦλθον πρὸς τοὺς ἰδίους, καὶ ἀπήγγειλαν ὅσα πρὸς αὐτοὺς οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι εἶπαν. 24. οἱ δὲ ἀκούσαντες ὁμοθυμαδὸν ἦραν φωνὴν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ εἶπαν, Δέσποτα, σὺ ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, 25. ὁ τοῦ πατρὸς ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαυεὶδ παιδός σου εἰπὼν, Ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; 26. παρέστησαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τοῦ Κυρίου, καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. 27. συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας ἐν τῇ πόλει ταύτῃ ἐπὶ τὸν ἅγιον παῖδα σου, Ἰησοῦν, ὃν ἔχρισας, Ἡρῴδης τε καὶ Πόντιος Πειλᾶτος, σὺν ἔθνεσιν καὶ λαοῖς

et populis Israel, 28. Facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.

29. Et nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, 30. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Iesu. 31. Et quum orassent, motus est locus in quo erant congregati; et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri; et gratia magna erat in omnibus illis. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant. 35. Et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

36. Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab apostolis (quod est interpretatum filius consolationis), levites, Cyprius genere, 37. Quum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium et posuit ante pedes apostolorum.

Ἰσραήλ, 28. ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή προώρισεν γενέσθαι. 29. καὶ τὰ νῦν, Κύριε, ἔπιδε ἐπὶ τὰς ἀπειλὰς αὐτῶν, καὶ δὸς τοῖς δούλοις σου μετὰ παρρησίας πάσης λαλεῖν τὸν λόγον σου, 30. ἐν τῷ τὴν χεῖρα ἐκτείνειν σε εἰς ἴασιν, καὶ σημεῖα καὶ τέρατα γίνεσθαι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἁγίου παιδός σου Ἰησοῦ. 31. Καὶ δεηθέντων αὐτῶν ἐσαλεύθη ὁ τόπος ἐν ᾧ ἦσαν συνηγμένοι, καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες τοῦ Ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἐλάλουν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ μετὰ παρρησίας.

32. Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν καρδία καὶ ψυχὴ μία· καὶ οὐδὲ εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς πάντα κοινά. 33. καὶ δυνάμει μεγάλῃ ἀπεδίδουν τὸ μαρτύριον οἱ ἀπόστολοι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ τῆς ἀναστάσεως, χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς. 34. οὐδὲ γὰρ ἐνδεής ἦν τις ἐν αὐτοῖς· ὅσοι γὰρ κτήτορες χωρίων ἢ οἰκιῶν ὑπῆρχον, πωλοῦντες ἔφερον τὰς τιμὰς τῶν πιπρασκομένων, 35. καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων· διεδίδετο δὲ ἑκάστῳ καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν.

36. Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, (ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενον, Υἱὸς παρακλήσεως,) Λευείτης, Κύπριος τῷ γένει, 37. ὑπάρχοντος αὐτῷ ἀγροῦ, πωλήσας ἤνεγκεν τὸ χρῆμα, καὶ ἔθηκεν παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων.

In v. 24 add D και επιγνοντες την του θεου ενεργειαν; pariter συ ο θεος D E P al pler sah syr ph arm aeth Ir Lcif Thphyl. In v. 25 textus qui praebetur in ℵ A B E aliq minusc laborat incepta verborum collocatione; iustus verborum ordo habetur in vulg Ir Lcif sah aeth; D ος δια πνευματος αγιου δια του στοματος λαλησας δαυειδ παιδος σου, ph qui per os David patris nostri servi tui per Sp. s. dixisti. In v. 32 add και ουκ ην διακρισις (E χωρισμος) εν αυτοις ουδεμια D E; nec fuit inter illos discrimen ullum Cyp Zeno; non erat separatio in eis ulla e Ambr. In v. 36 ιωσης P aliq minusc sah ph Thphyl.

Notat *Calm.* convenisse apostolos fratresque et orantes exitum primae huius vexationis esse oppertos; id quod omnino probabile est; neque enim ignorabant illos esse in custodiam datos norantque quam male animati essent synedristae. Verum mox laetum acceperunt nuntium; v. 23 *dimissi autem venerunt ad suos* i. e. coapostolos (*Chr.* ut videtur, *Beel. Felt. Bl.*) et condiscipulos (*Dion.*); hi intelligendi erunt ob v. 29. 30; illi enim loquuntur quibus praedi-

catio incumbit; *et annuntiaverunt eis, quanta* ὅσα *ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent* i. e. synedristae; « et perpende quomodo rursum ad verum auxilium confugiant, ad subsidium invictum ac rursum unanimiter et cum studio » (*Chr.*) v. 24 *qui cum audissent,* quas scil. minas illi intentassent; cf. v. 29, *unanimiter levaverunt vocem ad Deum;* putant aliqui recitari formam precandi sollemnem atque usitatam tempore apostolico; sed ex v. 29. 30 patet orationem ortam esse ex rebus modo gestis; alii opinantur eos inspiratione quadam communi in easdem subito prorupisse voces (*Salm. Lap. Beel.*); sed praestat quod *Patr.* habet : « necesse non est assentiamur putantibus haec ita intelligi oportere, ac si, quotquot praesentes aderant totam precationem quae sequitur iisdem conceptam verbis omnes una simul habuerint, neque id significat vox ὁμοθυμαδὸν *unanimiter,* sed omnes iisdem animi sensibus actos Deum precatos esse, quarum precum summam Lucas literis consignavit ». Atque de singulari Spiritus s. in eos operatione mentio non fit nisi oratione facta v. 31; proinde hic inspirationem qua omnes locuti sint assumere opus non est (*Felt.*).

Celebrant Dei potentiam et praescientiam, oracula esse impleta secundum Dei consilium; unde efflagitant, ut sibi quoque adsistat ad ea implenda quae ipsis sunt demandata; *et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt* cf. Is. 37,16 simili modo a Dei potentia orditur Ezechias rex orare; laudant Dei potentiam, quae manifestata est in sanatione et eo quod apostoli ab imminente periculo incolumes abierunt. Uti in Christum principes populi furorem suum exercuerunt, sed conatu irrito, ita nunc idem attentarunt contra opus eius et gloriae eius manifestationem; quare apte commemorant oraculum illud in Ps. 2 traditum; v. 25 *qui Spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti;* textus hic plurimorum testium auctoritate quidem fulcitur, attamen dubium non leve movet; nusquam enim dicitur Deum loqui διὰ πνεύματος ἁγίου, Deum loqui per Spiritum sanctum; sed ratio constans qua inspiratio s. litterarum declaratur est, ut Deus loquatur per homines (3,18. Luc. 1,70. Hebr. 1,1) vel Spiritus sanctus (1,16; cf. Matth. 22,43. 2 Petr. 1,21). Dictio haec : Deum loqui per Spiritum sanctum per os David, uti plane singularis et inaudita, ita valde turgida est; quare textus ille praeferendus est quem *Chr. Oec. Theoph.* et P et longe plures minusculi codices habent ὁ διὰ στόματος Δαυὶδ παιδός σου εἰπών. Bene dicit *Beelen :* verba διὰ πν. αγ. mihi videntur redolere glossam; παῖς עֶבֶד *puer* i. e. servus Domini, titulus est honoris qui inditur Abraham (Ps. 104,6.

42), Iosue (Ios. 24,29. Iud. 2,8), Iob 1,8; 2,3, David (Ps. 17,1; 36,1; 88,4. 21) etc.; dicitur pater noster, uti 2,29 patriarcha, sensu eodem; munus eius propheticum ipsi genti eius est honori et gloriae; *quare fremuerunt* ἐφρύαξαν ferociunt, ferociter tumultuantur *gentes, et populi meditati sunt inania?* quae nullum habere possunt exitum et successum, proin irrita studia et conatus; miratur propheta vesaniam impiorum (*Beda*); v. 26 *astiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversum Christum eius?* « ac si foedera a Deo exigerent, prophetiam in medium afferunt seipsos simul consolantes quod omnia frustra meditentur inimici » (*Chr. Oec. Theoph.*). Victoria enim et gloria Messiae et regni eius et clades ruinaque inimicorum eius in Ps. 2,4 seq. describitur. Unde laetos capiunt animos; nam sicut priorem psalmi partem vident impletam, ita alteram quoque de gloria et regno et triumpho impletum iri confidunt.

Quare ad hanc confidentiam firmandam explicite sibi proponunt quam accurate priora psalmi verba congruant in Christum; quem nexum psychologicum et affectum si consideraveris, intelliges inepte expunctos hos versus velle *Hilg.* quippe qui optimam precationem interrumperent et turbarent! Neutiquam! imo petitionem v. 29. 30 optime praeparant v. 27 *convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum* παῖδα, 3,13, *Iesum quem unxisti,* regem constituisti; cf. Is. 61,1 Dominus unxit me; humana eius natura uncta est Spiritu sancto (Is. 11,2), uncta divinitate, et in gloria uncta oleo exsultationis et laetitiae (Ps. 45,8), *Herodes et Pontius Pilatus,* qui primi sunt ex regibus et principibus qui contra Christum consilia agitabant, *cum gentibus,* militibus alienigenis, *et populis Israel,* tribubus Israel; eo enim modo Iesus ipse passionem praedixit: filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus... et tradent eum gentibus (Marc. 10,33. Matth. 20,18. 19). Convenerunt autem v. 28 *facere,* ut facerent, *quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri,* quae Dei potentia rerum ordinatrix et effectrix i. e. manus et eius voluntas fieri antea decreverat, προώρισεν; passio et mors erat praedefinita (cf. 2,23). Bene notant dici : decreverunt *fieri* (non, ut illi facerent), fieri scil. illis volentibus et paratis sua prava voluntate ad inferendam mortem (*Salm. Lap. Beel.*). Nam « multum diversum multumque contrarium est id quod in Iudaeorum malignitate praecognitum et quod in Christi est passione dispositum;... non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo quod faciendum esset coegit ut fieret » (*S. Leo,* serm. 16 de pass. *M.* 54,369).

Hac itaque prima vaticinii impletione animantur ad bonam spem fore ut in posterum quoque omnes adversariorum conatus reddantur inanes, irriti, prout in ipso vaticinii modo plane generali praedicitur. Unde opem divinam efflagitant, ut digni habeantur qui victoriam illam suo ministerio adducant v. 29 *et nunc* καὶ τὰ νῦν (cf. 5,38; 17,30; 20,32; 27,22; saepe apud profanos; cf. *Wetst.*), quod praesentem conditionem attinet, *Domine*, *respice in minas eorum et da servis tuis cum omni fiducia* et libertate παρρησίας *loqui verbum tuum;* « vides philosophiam? et quomodo his non imprecentur mala? non dixerunt : dirumpe illos, deiice illos » (*Chr.*); eorum precatio non est ad repellendas molestias, sed pro evangelicae praedicationis successu (*Oec.*); petunt pro se robur, constantiam, fortitudinem, ut medias inter infestationes cum omni alacritate commisso sibi munere fungantur. Simul id efflagitant ut Dominus conatibus suis aspiret signis illis quae fore promisit v. 30 *in eo quod manum tuam extendas* ἐν τῷ ἐκτείνειν dum tu extendas, eam scil. conditionem fieri petunt; ἐν cf. 3,26; *ad sanitates et signa et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui* παιδός cf. 3,13; 4,27 *Iesu;* extendere manum solet dici de magna quadam divinae potentiae manifestatione; cf. Ex. 3,20; 7,5. Deut. 4,34; 5,15; 7,19 etc.

Haec manifestatio fit in eum finem, ut aegroti sanentur et fiant signa ad invocationem nominis Iesu; ob oculos itaque habent quod modo factum est et petunt, ut Deus eodem modo ulteriorem evangelii praedicationem adiuvet et promoveat. Et Deus quidem « annuit eorum petitioni et palam fecit locum concutiendo se illorum precibus adesse » (*Chr.*) v. 31 *et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati;* ita enim Deus, uti norunt ex vetere testamento, suam praesentiam ad opem ferendam, ad vindictam capiendam, ad terrorem hostibus incutiendum, ad magnificentiam suam ostendendam solet annuntiare; cf. Ex. 19,18. Ps. 74,4; 103,32; 113,6. Mich. 1,4. Hab. 3,6. Eccli. 16,18 etc. Confirmantur itaque signo sensibili, uti 2,2; 16,26; et simul in animis ipsis experiuntur novum roboris ac fiduciae et alacritatis augmentum : *et repleti sunt omnes Spiritu sancto et loquebantur verbum Dei cum fiducia;* quasi « iterum accensi sunt Spiritu sancto, iterum exarsit in eis charisma » (*Chr.*); nam « istiusmodi locutionibus certa quaedam ac singularis designatur opera Spiritus sancti auxiliique atque opis ab ipso praebitae, ubi opus est ad aliquid exsequendum, accessio » (*Patr.*); proin non obstat 2,4.

Hisce adiungitur quaenam eo tempore generatim fuerit fidelium conditio v. 32 *multitudinis autem credentium* (πλῆθος de coetu fide-

lium cf. 15,12. 30) *erat cor unum et anima una;* « vide fructum adventus Spiritus sancti, qui est pax et concordia; pro hac unitate precatus erat Christus Patrem, ut sint unum sicut et nos (Ioan. 17,11); promiserat etiam per Ieremiam Deus : dabo eis cor unum et viam unam » (Ier. 32,39; *Salm.*) erant itaque tales quales apostolus fideles esse cupit : σύμψυχοι, ἰσόψυχοι *unanimes* (Phil. 2,2. 20). Quae caritas et concordia mutuam quoque efficiebat communicationem bonorum : *nec quisquam* οὐδὲ εἷς ne unus quidem, *eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, ditiores itaque libentissme egentioribus tribuebant; opes suas non tam suas quam omnium rem ac possessiones considerantes (cf. 2,44-47). Et dum gratia Dei ita apud fideles manifesta erat, non minus conspicua eminebat apud apostolos v. 33 *et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*, ἀπεδίδουν qua dictione eos significat quibus aliquid concreditum est et qui debitum reddunt (*Chr. Oec. Theoph.*).

Quod efflagitaverant in v. 29, id consecuti sunt; « non verbo tantum, sed etiam virtute testimonium resurrectionis exhibuerunt, ut et Paulus ait : et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis » (1 Cor. 2,4; *Chr.*). Ita igitur et apud fideles et apud apostolos favor divinus erat manifestus; *et gratia magna erat in omnibus illis* ἐπὶ πάντας (cf. Luc. 2,40), super omnes favor divinus quasi profundebatur, extendebatur, requiescebat. Et aliud huius gratiae et favoris Dei documentum est v. 34 *neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant* v. 35. *et ponebant ante pedes apostolorum; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat;* adeo itaque gratia Dei et impulsu Spiritus sancti regebantur, ut libenter venderent ditiores possessiones suas; eorum pretio efficiebatur, ne quisquam egenus esset inter illos; ἔφερον, ἐτίθουν, ipso imperfecto exprimitur, saepe hoc factum esse; quoties enim opus erat ad supplendum fiscum communem pauperibus destinatum; itaque nunquam deerat quod daretur (*Bl.*); ante pedes ponere i. e. magna cum reverentia (*Chr.*) eorum curae ac dispositioni tradere, committere (cf. 7,57). Non omnes omnia vendidisse, ipsa rerum conditione necessario consequitur; neque eos ad id coactos esse, habes 5,4; et 12,12 Maria mater Marci domum habet propriam.

De v. 33 aliqua controvertuntur. Sunt enim qui *gratiam* ad solos apostolos referant (*Cai. Beel. Patr. Felt.*); sed cum adeo explicite dicatur ἐπὶ

πάντας αὐτούς, profecto non ad apostolos solos sententia potest referri. Cur enim diceretur *omnes* apostolos fuisse in gratia, cum modo dictum sit omnes repletos esse Spiritu sancto? Dein planum est ad illam de solis apostolis acceptionem neutiquam posse aptari quod sequitur v. 34 οὐδὲ γὰρ neque *enim*. Alii volunt non de Dei gratia, sed de gratia populi esse sermonem, uti 2,47 (*Cai. Wendt*), vel dici : fideles omnes in mutua conversatione magnam gratiam, benevolentiam, beneficentiam ostendebant (*Lap.*); sed praestat cum plerisque de gratia Dei explicare, quae explicatio optime in contextum convenit; neque additur, ut 2,47 ad omnem plebem. Illa duo : *erat gratia, neque enim* etc. etiam *Chr.* inter se iungit : « vide quanta sit Spiritus virtus; haec est enim bonorum causa, quam secundo commemorat adhortans omnes ad pecuniarum contemptum ». Atque gratiam Dei intelligunt *Salm. Calm.* (inter alia) *Beel. Patr. Felt. Bl. Hilg.* aliique. — Alii invenerunt difficultatem in connexione v. 34 *neque enim;* volunt illud γὰρ referre ad v. 32 et dicunt interrumpi per v. 33 descriptionem conditionis fidelium (*Beel. Felt.*); imo *Patr.* scribere non dubitat de v. 33 : « facile sentias ut hic versus descriptionem morum interrumpat comprehensam versibus 32. 34. 35, utque alia sit huius atque illorum materies. Ad haec quemadmodum versum 33 cum versu 31 ipsa materies arcte connectit, ita et versum 34 cum versu 32, neque modo materies, sed et orationis contextus. Quare non dubito versum 33 de loco suo incuria librariorum demotum esse reponendumque inter versus 31 et 32 ». At id minime opus est. Nam, uti explicatione data ostenditur, versus 33 suo loco recte ponitur habetque explicationem facilem.

Non omnes omnia vendidisse colligi quoque potest ex exemplo quod singulari ratione de Barnaba refertur. Cur autem Lucas supra denuo commemorarit quod iam antea 2,44. 45 narraverat et hoc exemplum referat, iam *Chr.* notat, id fieri etiam propter narrationem de Anania et Saphira. Ita enim sibi transitum munit exponens prius quae recte et bene ab aliis gesta erant (cf. *Oec. Salm. Felt. Bl.*); quare etiam non erat reformidanda quaedam repetitio, neque ea proprie dicenda est repetitio, quia propter magnum numerum fidelium qui nuperrime accesserat (v. 4), consultum erat referre hos quoque eadem mente cum prioribus esse imbutos. Cur autem Barnabae mentio fiat specialis, etiam eo explicandum erit, quia in subsequentibus partes agit satis celebres v. 36 *Ioseph autem*, dicebatur apud Iudaeos utrumque יוסף et cum aphaeresi יוסי, unde altera lectio Ἰωσῆς (cf. *Lightfoot* ad Act. 1,23), *qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum filius consolationis* παρακλήσεως; est παράκλησις 1 Cor. 14,3 *exhortatio* (*vulg.*) genus sermonis quod ad prophetiam refertur, quo orationis genere Barnabas praeditus exhibetur 11,23; nomen apte derivatur בר נְבוּאָה filius prophetiae, i. e. qui propheti-

cum loquendi modum habet; de voce נבואה vide *Buxtorf*, Lex. chald. p. 1287; alii qui putant eam vocem in dialecto aramaica non reperiri (?) coniectant nomen esse בר נוחא[1]; *levites, Cyprius genere*, e Cypro insula maris mediterranei oriundus; erat igitur Hellenista, v. 37 *cum haberet agrum, vendidit eum et attulit pretium et posuit ante pedes apostolorum;* cum id singulari modo referatur, iterum patet venditionem cuique fuisse liberam neque ab apostolis iniunctam. Laudi vertitur ei, quod etiam postmodum in evangelii praedicatione victum sibi labore manuum comparavit (1 Cor. 9,6). Iam antiquo tempore etiam levitae, sacerdotes, emptione vel hereditate possessiones, agrum acquirere poterant (cf. Ier. 32,7 seq.), quamvis iis ab initio certa pars terrae non esset assignata (Num. 18,20); tribuebantur iis urbes ad habitandum et suburbana, campi, pro gregibus (Num. 35,3 seq.) et varia de decimis, primitiis, sacrificiis (Num. 18,21 seq. Deut. 18,1; 26,12).

f) **Hypocrisis punitur 5,1-11.**

5,1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua vendidit agrum. 2. Et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua; et afferens partem quamdam, ad pedes apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? 4. Nonne manens tibi manebat? et venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias haec verba, cecidit et exspiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. 6. Surgentes autem iuvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt.

7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam, tanti. 9. Petrus autem ad eam : Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui

5,1. Ἀνὴρ δέ τις Ἀνανίας ὀνόματι, σὺν Σαπφείρῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, ἐπώλησεν κτῆμα, 2. καὶ ἐνοσφίσατο ἀπὸ τῆς τιμῆς, συνειδυίης καὶ τῆς γυναικὸς, καὶ ἐνέγκας μέρος τι παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἀποστόλων ἔθηκεν. 3. εἶπεν δὲ ὁ Πέτρος, Ἀνανία, διατί ἐπλήρωσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, καὶ νοσφίσασθαι ἀπὸ τῆς τιμῆς τοῦ χωρίου; 4. οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενεν καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχεν; τί ὅτι ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου τὸ πρᾶγμα τοῦτο; οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ. 5. ἀκούων δὲ Ἀνανίας τοὺς λόγους τούτους πεσὼν ἐξέψυξεν· καὶ ἐγένετο φόβος μέγας ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας. 6. ἀναστάντες δὲ οἱ νεώτεροι συνέστειλαν αὐτὸν, καὶ ἐξενέγκαντες ἔθαψαν.

7. Ἐγένετο δὲ ὡς ὡρῶν τριῶν διάστημα, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ μὴ εἰδυῖα τὸ γεγονὸς εἰσῆλθεν. 8. ἀπεκρίθη δὲ πρὸς αὐτὴν Πέτρος, Εἰπέ μοι, εἰ τοσούτου τὸ χωρίον ἀπέδοσθε; ἡ δὲ εἶπεν, Ναὶ, τοσούτου. 9. ὁ δὲ Πέτρος πρὸς αὐτὴν, Τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν πειράσαι τὸ πνεῦμα Κυρίου; ἰδοὺ οἱ

1. Plura de etymologica explicatione affert *Nestle*, Philol. s. p. 19; ipse derivat a syriaco בעא = παρακαλεῖν.

sepelierunt virum tuum ad ostium, et efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes eius, et exspiravit. Intrantes autem iuvenes invenerunt illam mortuam; et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universa ecclesia, et in omnes qui audierunt haec.

πόδες τῶν θαψάντων τὸν ἄνδρα σου ἐπὶ τῇ θύρᾳ, καὶ ἐξοίσουσίν σε. 10. ἔπεσεν δὲ παραχρῆμα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἐξέψυξεν· εἰσελθόντες δὲ οἱ νεανίσκοι εὗρον αὐτὴν νεκράν, καὶ ἐξενέγκαντες ἔθαψαν πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς. 11. καὶ ἐγένετο φόβος μέγας ἐφ' ὅλην τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας ταῦτα.

In v. 1 E εν αυτω δε τω καιρω ανηρ τις; DE σαφφιρα. In v. 2 gig subtraxit, et in v. 3 replevit; επειρασεν Did Epiph Ath Fulg. In v. 4 D το πονηρον τουτο; v. 5 παραχρημα πεσων; v. 8 επερωτησω σε ει αρα v. 10 και συνστειλαντες εξηνεγκαν και εθαψ.

Inter apostolos unus fuerat proditor; fore ut zizania seminarentur in medio tritici praedixit Christus (Matth. 13,25). Quare non mirum est quod etiam inter primos fideles mox scelus deprehendatur; v. 1 *vir autem quidam*, Barnabae liberalitati ingenuae opponitur (δέ) fucata Ananiae eiusque uxoris (*Beel.*), *nomine Ananias*, חֲנַנְיָה nomen satis usitatum cf. Ier. 28,1; 37,13. Dan. 1,6. 1 Par. 3,19 etc., vel etiam fortasse עֲנָנְיָה Neh. 3,23 *LXX*, *cum Saphira* שְׁפִירָא formosa, pulchra (*Buxtorf*, Lex. chald. p. 2503), *uxore sua vendidit agrum* κτῆμα, possessionem i. e. v. 3.8 χωρίον agrum, fundum vel praedium (uti habet gig v. 8) v. 2 *et fraudavit* ἐνοσφίσατο, sibi seposuit, clam subduxit (cf. Tit. 2,10), subtraxit (gig) *de pretio agri conscia uxore sua et afferens partem quandam ad pedes apostolorum posuit*, professus scil. vel verbo vel alio modo se integrum pretium dare et consecrare Deo in bonum commune; « quo animo hoc illi fecerint non satis constat; an avaritia et cupiditate retinendi sua, an hypocrisi, ut possent cum aliis sanctis connumerari, an incredulitate quod timerent egestate se enecandos, si omnia abdicassent » (*Salm.*). Fraudulentam illam et mendacem affirmationem, qua Ananias fingebat se eadem liberalitate qua alios laudari sciebat obtulisse totum pretium, Petrus a Spiritu sancto edoctus cognovit v. 3 *dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit satanas cor tuum*, tentatione scil. efficaci per consensum cordis, ut *Est.* ait; non enim increpandus erat Ananias, quod tentasset eum satanas, cum id non esset in eius potestate, sed quod consensisset, id quod graeca lectio significat ἐπλήρωσεν *implevit;* neque enim satanas cor eius implere potuisset, nisi ille per consensum cor suum aperuisset pravae suggestioni (*Est.*); proin implere i. e. occupare cor (cf. Ioan. 16,6), *mentiri te Spiritui sancto*, ψεύσασθαι τὸ... fallere Spiritum s. mendacio; « est enim verisimile quod quando ad pedes apostolorum adferebant quod tunc votum emitterent et per illud sua Deo consecrarent » (*Salm.*), vel quod sola oblatio illa continebat in se tacitum

votum nihil sibi reservandi et omnia in communem Ecclesiae usum conferendi (*Calm.*); *et fraudare de pretio agri,* in illa significatione oblationis hoc utique erat quasi conatus fallendi Spiritum sanctum.

Quam perverse et stulte egerit ei exprobrat v. 4 *nonne manens tibi manebat*, manens i. e. ager ille non venditus tuus erat; nemo te coegit ut illum venderes, *et venumdatum* πραθέν i. e. pretium venumdati *in tua erat potestate?* « hoc est, an necessitas et violentia quaedam erat? num vos invitos trahimus » (*Chr.*)? Inde merito concludit *Cai.* libera caritate fidelibus fuisse omnia communia. Ait itaque : si igitur rem vel pecuniam retinere desiderasti, quare id non aperte fecisti? quare ipsa oblatione finxisti te totum a te abdicare et totum transscribere Deo et Ecclesiae? Hanc oblationem et consecrationem Deo factam saepe vocant votum; ita v. g. *Hieronymus :* post votum abstulerunt, quasi sua et non eius cui semel ea voverunt, partem sibi iam alienae substantiae reservantes (ep. 130; *M.* 22,1118) et *Augustinus :* dum ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis; sacrilegii quod Deum in pollicitatione fefellerit, fraudis quod integris muneribus portionem quandam putaverit subtrahendam (serm. 148 n. 2; *M.* 38,799) et *Gregorius :* Ananias pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit (epist. lib. 1,34; *M.* 77,488) et similiter *Barh. Salm. Lap. Patr.; quare posuisti in corde hanc rem* τί ὅτι elliptice pro τί γέγονεν ὅτι (*Bl.*); cf. Ioan. 14,22; increpantis est vox : quare induxisti in animum, tale consilium cepisti? שׂוּם על לב ponere super cor, hebraismus est; *non es mentitus hominibus, sed Deo;* inde iterum patet oblationem illam ut rem sacram, ut Deo factam considerari; quare mendacium et fraudem non in homines, sed in Deum, in Spiritum sanctum committi affirmatur. Ex quo loco Patres divinitatem Spiritus sancti probare vide apud Petavium (de Trinit. II, 13,1).

Hoc itaque, ut ait *Chr.*, in crimen vocatur quod cum illas pecunias sacras fecisset, de illis subripuit; unde poena ei divinitus infligitur v. 5 *audiens autem Ananias haec verba cecidit et exspiravit;* quo iudicio divino animi omnium salutari terrore affecti sunt : *et factus est timor magnus super omnes qui audierunt* i. e. non solum super eos qui tum in coetu religioso aderant. Simul apostolorum auctoritas plurimum commendabatur fidelibus; eos enim a Spiritu sancto doceri eorumque reprehensionem a Deo ratam haberi in comperto erat; v. 6 *surgentes autem iuvenes* οἱ νεώτεροι, iuniores ceteris praesentibus (*Patr.*), ex natura rei tale ministerium ad eos pertinebat; putant tales fuisse quibus in publicis ecclesiae conventibus definitum aliquod offi-

cium incumberet (*Beel.* aliique quos recensent *Felt. Wendt*); verum νεώτεροι non erat titulus alicuius muneris, et in v. 10 vocantur νεανίσκοι, *amoverunt eum* συνέστειλαν, quam vocem alii explicant : vestimentis obtexerunt, obvolverunt (*Beel. Bl. Felt.*), alii contraxerunt eum i. e. membra rigide extensa contraxerunt, quasi complicuerunt, quo facilius efferretur (*Wendt*) *et efferentes sepelierunt;* propter mortem in qua poena divinitus inflicta apparuit manifesto quam maxime funus est maturatum, id quod etiam propter periculum immunditiei multiplicis leviticae (Num. 19,11) consultum erat.

In uxore conscia (v. 2) impletur praeterea illud : os quod mentitur occidit animam (Sap. 1,11) et : perdes omnes qui loquuntur mendacium (Ps. 5,7) v. 7 *factum est autem quasi horarum trium spatium et uxor ipsius nesciens quod factum fuerat introivit;* ei data est potestas resipiscendi (*Oec.*); virum tantum increpavit, qui sane auctor et dux peccati fuerat (*Chr.*); ab eo confessionem non exegit; eam exigit ab uxore, ut daret ei locum poenitentiae quippe quae a viro fuisset persuasa et tracta (*Salm.*) v. 8 *dixit autem ei Petrus : dic mihi, mulier, si tanti agrum vendidistis?* εἰ, *si,* in interrogatione indirecta; cf. 4,19; « hanc volebat servare (σῶσαι), ideoque fortasse dat ei tempus defensionis (ἀπολογίας) et facultatem poenitentiae, ἐξουσίαν μετανοίας.» *Chr.*). Pretium nominavit, vel ut etiam cogitari potest, pecuniam allatam digito demonstravit; *at illa dixit : etiam tanti;* v. 9 *Petrus autem ad eam : quid utique* τί ὅτι cf. v. 4. *convenit vobis tentare Spiritum Domini?* velle experiri, cunctane cognoscat, vel experimentum eius sumere, num fraudem puniat, num apostolos edoceat, dirigat.

Mulier concessam sibi opportunitatem datamque in ipsa illa interrogatione admonitionem resipiscendi negligit et obfirmatum in fraude animum ostendit; unde par ei poena infligitur *ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium* οἱ πόδες, forte tum audiebantur gressus redeuntium ; ceterum cf. Is. 52,7; 58,13; 59,7. Luc. 1,79. Rom. 3,15, *et efferent te;* v. 10 *confestim cecidit ante pedes eius et exspiravit. Intrantes autem iuvenes invenerunt illam mortuam et extulerunt et sepelierunt ad virum suum;* voluerunt experiri Spiritum sanctum, ut ait *Athanasius* (cat.), consecuti sunt experimentum quod volebant, et *Theoph.* adnotat : Petrus mendacium arguit, at Spiritus qui vitae necisque potestatem habet eos qui in ipsum peccaverant interfecit, et idem quoque de Saphira dici debet; non Petrus eam interfecit, sed quoniam amborum fuerat delictum, iudex aequaliter utrumque condemnavit. Et similiter scribit *Hieronymus :* apostolus nequaquam eis imprecatur mortem, ut stultus Porphyrius calumnia-

tur, sed Dei iudicium prophetico spiritu annuntiat, ut poena duorum sit doctrina multorum (ep. 130 l. c.).

Per illorum poenam temporalem Deus sciri voluit disciplinam, ut Augustinus ait (serm. 148; M. 38,799) et ultio eorum cessit in lucrum aliorum (*Oec.*) v. 11 *et factus est timor magnus in universa ecclesia et in omnes qui audierunt haec,* proin in eos quoque qui nondum ecclesiae nomen dederant. Erat itaque illa poena inflicta non crudelitate sententiae sed correptionis exemplo (*Hier.* l. c.) et *Augustinus* l. c. addit : « credendum est autem quod post hanc vitam eis pepercerit Deus; magna est enim eius misericordia ». Atque bene advertunt initia legum in primis transgressoribus fuisse vindictis semper commendata; nam in lege vetere primus violator sabbati fuit lapidatus, primi violatores altaris, filii Aaron fuerunt exstincti; ita in nova lege primi hi transgressores (*Cai.*). Tunc enim, scribit *Isidorus* pelusiota (epist. I, 181; M. 78,300, et in *cat.*), cum evangelii semina iacere coepissent apostoli statimque exoriri zizania conspexissent, prudenter ea protinus evulserunt, qua ratione multorum peccata praecavebantur (sim. *Oec.*). Opportunum quippe fuit illa aetate nascentis Ecclesiae, quemadmodum miracula quae Christianorum fidem confirmarent, ita et severiora et terribiliora divinae iustitiae specimina frequentius exhiberi, quae illos a peccatis admittendis absterrerent (*Patr.*). Ita obviam itur periculo *interno;* id quod necesse fuit etiam ob periculum quod ab externo imminebat.

g) Apostoli divinitus liberantur e carcere 5,12-25.

5,12. Per manus autem apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. 13. Caeterorum autem nemo audebat se coniungere illis; sed magnificabat eos populus. 14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum; 15. Ita ut in plateas eiicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. 16. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Ierusalem, afferentes aegros, et vexatos a spiritibus immundis qui curabantur omnes.

17. Exsurgens autem princeps sacer-

5,12. Διὰ δὲ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων ἐγίνετο σημεῖα καὶ τέρατα πολλὰ ἐν τῷ λαῷ καὶ ἦσαν ὁμοθυμαδὸν πάντες ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος· 13. τῶν δὲ λοιπῶν οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς, ἀλλ' ἐμεγάλυνεν αὐτοὺς ὁ λαός· 14. μᾶλλον δὲ προσετίθεντο πιστεύοντες τῷ Κυρίῳ, πλήθη ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν· 15. ὥστε καὶ εἰς τὰς πλατείας ἐκφέρειν τοὺς ἀσθενεῖς καὶ τιθέναι ἐπὶ κλιναρίων καὶ κραβάττων, ἵνα ἐρχομένου Πέτρου κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσει τινὶ αὐτῶν. 16. συνήρχετο δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῶν πέριξ πόλεων Ἱερουσαλὴμ, φέροντες ἀσθενεῖς καὶ ὀχλουμένους ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, οἵτινες ἐθεραπεύοντο ἅπαντες.

17. Ἀναστὰς δὲ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ πάντες οἱ σὺν αὐτῷ, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδου-

dotum, et omnes qui cum illo erant (quae est haeresis sadducaeorum), repleti sunt zelo; 18. Et iniecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in custódia publica. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, et educens eos dixit : 20. Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitae huius. 21. Qui quum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israel; et miserunt ad carcerem, ut adducerentur. 22. Quum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt, 23. Dicentes : Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante ianuas; aperientes autem, neminem intus invenimus. 24. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis : Quia ecce viri quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes et docéntes populum.

καίων, ἐπλήσθησαν ζήλου, 18. καὶ ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ἀποστόλους, καὶ ἔθεντο αὐτοὺς ἐν τηρήσει δημοσίᾳ. 19. ἄγγελος δὲ Κυρίου διὰ νυκτὸς ἤνοιξε τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, ἐξαγαγὼν δὲ αὐτοὺς εἶπεν, 20. Πορεύεσθε, καὶ σταθέντες λαλεῖτε ἐν τῷ ἱερῷ τῷ λαῷ πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης. 21. ἀκούσαντες δὲ εἰσῆλθον ὑπὸ τὸν ὄρθρον εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ ἐδίδασκον. παραγενόμενος δὲ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ συνεκάλεσαν τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, καὶ ἀπέστειλαν εἰς τὸ δεσμωτήριον, ἀχθῆναι αὐτούς. 22. οἱ δὲ παραγενόμενοι ὑπηρέται οὐχ εὗρον αὐτοὺς ἐν τῇ φυλακῇ· ἀναστρέψαντες δὲ ἀπήγγειλαν, 23. λέγοντες, ὅτι τὸ δεσμωτήριον εὕρομεν κεκλεισμένον ἐν πάσῃ ἀσφαλείᾳ, καὶ τοὺς φύλακας ἑστῶτας ἐπὶ τῶν θυρῶν· ἀνοίξαντες δὲ ἔσω οὐδένα εὕρομεν. 24. ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους τούτους ὅ τε στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, διηπόρουν περὶ αὐτῶν, τί ἂν γένοιτο τοῦτο. 25. παραγενόμενος δέ τις ἀπήγγειλεν αὐτοῖς ὅτι ἰδοὺ, οἱ ἄνδρες οὓς ἔθεσθε ἐν τῇ φυλακῇ, εἰσὶν ἐν τῷ ἱερῷ ἑστῶτες καὶ διδάσκοντες τὸν λαόν.

In v. 15 add D απηλλασσοντο γαρ απο πασης ασθενιας ης ειχεν εκαστος αυτων, sim E vulg (non fuld); liberabantur am Lcif; liberantur gig. In v. 17 και ταυτα βλεπων αναστας E e Beda. In v. 22 D add και ανυξαντες την φυλακην sim vulg ph c*.

Describitur prius potens operatio Spiritus sancti. Inde magna exoritur auctoritas et reverentia fidelium apud populum et magna quoque accessio credentium (v. 12-16). Quare synedristae apostolos omnes, ut progressum rei christianae cohiberent, in carcerem coniiciunt, ex quo per angelum liberantur et in templo praedicare iubentur. Synedristis congregatis nuntiatur illos in templo docere. — Quae narrantur v. 12-16 rationem quoque continent, cur magistratus in apostolos decernat.

Quod Christus apostolis promisit : qui credit in me opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet (Ioan. 14,12) egregie impletur v. 12 *per manus autem apostolorum* i. e. per apostolos; addit *Lap.* etiam facta esse miracula per manus i. e. benedictione, extensione, contactu manuum, *fiebant signa et prodigia multa in plebe* cf. 2,43; exemplum habes in v. 15. Hisce signis coetui fide-

lium apud alios maxima conciliabatur reverentia et auctoritas, ita ut sine ullo obstaculo etiam in templo se congregare possent; *et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis;* cf. 3,11; de apostolis id dici sat multi censent (*Chr. Oec. Theoph. Salm. Lap. Calm. Patr. Hilg.*), alii autem de apostolis et fidelibus (*Cai. Beel. Hake, Felt. Wendt, Bl.*), id quod verum esse videtur, cum dicatur *omnes unanimiter* quod de solis apostolis efferri profecto necessarium non erat. Sermonem esse de fidelibus, suadetur etiam ex v. 13 *ceterorum autem nemo audebat se coniungere illis;* isti enim *ceteri* non sunt fideles, sed reliqui ex plebe qui nondum rei christianae nomen dederant, qui non audebant *illis*, scil. omnibus in v. 12 i. e. fidelibus, se coniungere κολλᾶσθαι, « se adiungere saepius in Act. 8,29; 9,26; 10,28; sed hic : *se eis immiscere* in porticu congregatis i. e. *interpellare, vexare* » (*Bl.*); alii tamen vocem accipiunt de familiari commercio (*Beel. Patr. Felt. Grimm*, Lexic., *Hilg.*). In utraque acceptione satis clarum est, non agi de modo quo fideles erga apostolos se habuerint, sed exprimi qua reverentia habiti sint fideles apud plebem reliquam; *sed magnificabat eos populus* i. e. magni aestimabat (*Bl.*).

Uti in v. 13 unus effectus signorum in animos hominum declaratur, ita alter designatur (unde mirum est hunc versum in Revue biblique declarari une glose postérieure, 1898 p. 341) in v. 14 *magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum,* πλήθη magis emphatice multitudinem explicat; προσετίθεντο adiungebantur credentes Domino, saepius neque numero parvo, verum multitudines. Tam efficacia exhibebantur signa et istis fides ac confidentia plurimum invaluit; unde refertur tertius effectus signorum v. 15 *ita ut in plateas eiicerent* ἐκφέρειν efferrent *infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis,* κραβάττων vox est macedonica lectum viliorem et humilem significans; designantur varii generis lectuli (*Beel.*), vel innuitur aegrotos et ditiores et pauperes esse in plateas exportatos, *ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis;* vide lect. var. « constat parum adminiculi hisce verbis (et liberarentur...) esse a graecis codicibus vetustisque interpretibus » (*Patr.*); sunt tamen complendae sententiae apta et nisi vim illam umbrae Petri salutarem experti essent, non exportassent aegros. Cur populus Petrum potius quam alios apostolos sectaretur, alterutra causa fuit, vel quod ea quoque re Petrus ceteris praecelleret, vel quod iam fama percrebruisset hunc illis praeesse; utrumvis accipias, argumentum id erit unum de multis quae novum testamentum suppeditat ad Petri primatum asserendum (*Patr.*).

Fama istorum signorum mox innotuit, v. 16 *concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Ierusalem afferentes aegros et vexatos a spiritibus immundis* — ita dicuntur, ut quam maxime eos esse oppositos sanctitati Dei eiusque sanctis consiliis significetur (vide ad Marc. 1,23), *qui curabantur omnes;* merito adnotant in Petri umbra salutifera egregie impleri illud Ioan. 14,12 : maiora faciet (cf. *Chr. Oec. Bed. Salm. Lap. Calm.*); et vetus quidam haud immerito infert : « si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? si tunc supplicantibus proderat aura quaedam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? si tamen medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? si inanis quaedam species vacuae imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis » (in appendice Aug. serm. 103,4. 5; *M.* 39,2123). Merito inde commendatur veneratio reliquiarum et invocatio Sanctorum. Ceterum vide ad 19,12.

Cum itaque fideles tanta valerent apud plebem auctoritate et credentium multitudo augeretur et ex vicinis quoque oppidis homines ad apostolos accurrerent, qui (uti patet) in nomine Iesu sanationes perficiebant (cf. v. 28), pontifex et eius asseclae vi utendum rati sunt ad rem christianam exstinguendam v. 17 *exsurgens autem princeps sacerdotum,* ἀναστάς, ut hebr. קום de eo qui ad agendum se accingit, qui aliquid magni moliturus est; « excitatus est, inquit, iis quae acciderant commotus » (*Chr.*). Hic mirandi sunt acuti quidam critici, uti *Weiss, Feine,* qui clamant nullam prorsus in textu afferri rationem et causam cur apostoli mittantur in carcerem; etiam *Hilg.* dicit v. 14-16 esse interpolationem, quia v. 17 seq. non ad hos versus, sed ad v. 12. 13 referatur. Verum nexum adeo obvium et causam actionis in apostolos veteres iam bene exposuerunt, uti *Chr. Oec. Theoph.* et *Beda :* haec lectio in graeco ita incipit respiciens ad priora : et videns haec, exsurgens princeps sacerdotum, et *Cassiodorius* quoque qui breviter summa capita perstringit scribit : cognitis talibus (scil. v. 12-16) princeps etc.; similiter *Salm. Calm. Hake, Belser et Bl. :* « primores popularem motum qui latius in dies crescebat reprimere studuerunt ». Cum 4,6 et in evangelio Luc. 3,2 (graece) Annas vocetur princeps sacerdotum, etiam hic videtur intelligendus (*Salm. Hake, Felt.*); alii Caipham designari censent (*Calm. Beel. Patr.*), *et omnes qui cum illo erant, quae est haeresis,* pars, factio, *sadducaeorum repleti sunt zelo;* cf. 4,1 et 23,6. Ananus filius Annae sectam sadducaeorum sequebatur (*Iosephus,*

Antiq. 20,9,1), ad quam primores maxime pertinebant (cf. 4,6).

Invidiosa itaque aemulatione de successu apostolorum exacerbati sunt v. 18 *et iniecerunt manus in apostolos et posuerunt eos in custodia publica;* « non statim eos adducunt ad iudicium, quia putabant se magis illis terrorem iniecturos esse carcere publico » (*Theoph. Chr.*); putat *Salm.* quia sub vesperam capti sunt. Antequam pontifex totum convocaret synedrium, tradidit eos quasi viros scelestos ut carcere detinerentur; v. 19 *angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris et educens eos dixit :* v. 20 *ite et stantes loquimini in templo* ἐν τῷ ἱερῷ i. e. in atriis, in porticibus, in aedificiis aedi sacrae adiectis, *plebi omnia verba vitae huius,* salutis messianae, qua vera vita et beata continetur. Explicationem rationalistarum priscam, apostolos vel terrae motu vel fulgure exorto potuisse evadere, vel ab amico ianuas esse apertas rationalistae hodierni rident; esse enim evidens scriptorem velle narrare miraculum liberationis per angelum factum; nos vero quid rei gestum sit iam non posse eruere; esse aliquem eventum fama mythice exornatum (cf. 12,1). Insuper hoc loco perperam illatum esse miraculum, idque patere quia ad nihil prorsus utile sit (statim enim iterum comprehendi apostolos v. 26) et quia in inquisitione iudiciali nulla fiat de eorum evasione quaestio vel mentio (cf. v. 28). Miraculum defendere non opus est. Eius utilitatem iam exposuit *Ammonius* in cat. factum esse εἰς ἐκείνων παραμυθίαν et esse synedristarum ὠφέλειαν καὶ διδασκαλίαν, et declarat *Bl. :* « augetur apostolorum audacia (v. 21), tum ira adversariorum magis accenditur; nihilominus Deus suos perire non patitur ». Praeterea adversariis ostenditur vanos esse et irritos conatus; possunt ibi agnoscere digitum Dei, nisi vellent seipsos excaecare; apostoli autem hoc novo documento opis divinae simul cum fidelibus magna consolatione, alacritate, fiducia replentur. De altero vide ad v. 24.

Angeli voci dicto audientes sunt v. 21 *qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum et docebant.* Tum totum synedrium congregatum est : *adveniens autem princeps sacerdotum* ad locum sessioni destinatum *et qui cum eo erant* reliqui ex genere pontificum, qui erant synedristae, *convocaverunt concilium et omnes seniores filiorum Israel* missis scil. per urbem nuntiis qui senatores invitarent sessionemque indicerent; τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν; significat γερουσία saepe idem ac synedrium, iudicium supremum Iudaeorum (cf. Iudith 4,8; 11,14; 15,8. 1 Mach. 12,6. 2 Mach. 1,10; 4,44; 11,27; etiam *Iosephus,* Antiq. 13,5,8 : ἀρχιερεὺς καὶ ἡ γερουσία), sed dicitur etiam de magistratu alicuius urbis (cf. Deut. 19,12 etc.). Hoc

loco nostro videtur addi per καὶ explicativum : et quidem *totum senatum* convocarunt, ut scil. quam plurimi assessores adessent, vel, ut *Bl.* dicit : « bis idem significatur addita formula sollemniore post nomen vulgatum »; similiter *Beel.* ait senatum esse coactum quam frequentissimum (cf. *Felt. Wendt*); συνέδριον dicere concilium sacerdotum scribarumque, γερουσίαν senatum i. e. seniores populi et ex ambobus constitui סנהדרין הגדול synedrium magnum, ὅλον τὸ συνέδριον (Matth. 26,59. Marc. 14,55; 15,1. Act. 22,30) *Patr.* censet; alii demum putant praeter synedristas etiam collegium quoddam seniorum exstitisse et convocatum fuisse, quo collegio populus repraesentetur, sicuti primores per synedristas; verum ipsi seniores tamquam membra synedrii recensentur (Luc. 22,66); *et miserunt ad carcerem ut adducerentur* apostoli.

Angelo comite ita educti erant apostoli, ut nemo id adverterit; v. 22 *cum autem venissent ministri et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt* v. 23 *dicentes : carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia et custodes stantes ante ianuam; aperientes autem neminem intus invenimus;* inquisitione itaque diligenter facta constabat testatos esse constodes de carcere clauso et de custodia accurate facta, et simul evidens erat apostolos non fuisse in carcere repertos; v. 24 *ut autem audierunt hos sermones magistratus templi* ὁ στρατηγὸς cf. 4,1; *et principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret* διηπόρουν maxime dubii erant, consternati et solliciti de his sc. quae nuntiata erant, et quaerebant inter se τί ἂν γένοιτο τοῦτο quid hoc factum sit i. e. quomodo hoc posset esse factum. Rem explicare non possunt; proin scientes per apostolos iam facta esse signa multa dubitare tandem non poterant quin haec ipsa evasio esset per prodigium facta; atque id negari non posse viderunt. Quare iam explicatur id quod « criticis » est offensioni, scil. cur in interrogatione iudiciali de modo evasionis non inquisierint. Nolebant exponi novum prodigium, quod tamquam testimonium divinum censeri debuit. Valde prudenter id silentio premunt, quod si exponeretur non posset non evadere ipsis maxime molestum. Ita ubique quantum possunt miracula tacent, de illis loqui refugiunt (cf. 4,16. Ioan. 5,12; 9,24). Proinde secundum animorum indolem valde consentaneum est, ut eam quaestionem non moveant et solum mirum est quod « critici » id nolunt videre quod tamen valde psychologicum est; v. 25 *adveniens autem quidam nuntiavit eis : quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes et docentes populum;* ita intrepide obsecuti sunt admonitioni angeli v. 20.

h) Apostoli coram synedrio 5,26-42.

5,26. Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi : timebant enim populum, ne lapidarentur. 27. Et quum adduxissent illos, statuerunt in concilio : et interrogavit eos princeps sacerdotum, 28. Dicens : Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto; et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra; et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

29. Respondens autem Petrus et apostoli dixerunt : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. 30. Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. 31. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli et remissionem peccatorum. 32. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.

33. Haec quum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos. 34. Surgens autem quidam in concilio pharisaeus nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universae plebi, iussit foras ad breve homines fieri : 35. Dixitque ad illos; Viri Israelitae, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. 36. Ante hos enim dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est; et omnes qui credebant ei, dissipati sunt et redacti ad nihilum. 37. Post hunc exstitit Iudas Galilaeus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit; et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. 38. Et nunc itaque dico vobis : Discedite ab hominibus istis, et sinite illos; quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; 39. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.

40. Et convocantes apostolos, caesis

5,26. Τότε ἀπελθὼν ὁ στρατηγὸς σὺν τοῖς ὑπηρέταις ἦγεν αὐτούς, οὐ μετὰ βίας, ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν, μὴ λιθασθῶσιν. 27. ἀγαγόντες δὲ αὐτοὺς ἔστησαν ἐν τῷ συνεδρίῳ· καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ ἀρχιερεὺς, 28. λέγων, Παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν ὑμῖν μὴ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ, καὶ ἰδοὺ, πεπληρώκατε τὴν Ἰερουσαλὴμ τῆς διδαχῆς ὑμῶν, καὶ βούλεσθε ἐπαγαγεῖν ἐφ' ἡμᾶς τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου τούτου.

29. ἀποκριθεὶς δὲ Πέτρος καὶ οἱ ἀπόστολοι εἶπαν, Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. 30. ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν ἤγειρεν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου· 31. τοῦτον ὁ Θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσεν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, τοῦ δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ἰσραὴλ καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. 32. καὶ ἡμεῖς ἐν αὐτῷ μάρτυρες τῶν ῥημάτων τούτων, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, (ὃ) ἔδωκεν ὁ Θεὸς τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ.

33. Οἱ δὲ ἀκούσαντες διεπρίοντο, καὶ ἐβούλοντο ἀνελεῖν αὐτούς. 34. ἀναστὰς δέ τις ἐν τῷ συνεδρίῳ Φαρισαῖος, ὀνόματι Γαμαλιήλ, νομοδιδάσκαλος τίμιος παντὶ τῷ λαῷ, ἐκέλευσεν ἔξω βραχὺ τοὺς ἀνθρώπους ποιῆσαι, 35. εἶπέν τε πρὸς αὐτούς, Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, προσέχετε ἑαυτοῖς ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις τί μέλλετε πράσσειν. 36. πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς, λέγων εἶναί τινα ἑαυτόν, ᾧ προσεκλίθη ἀνδρῶν ἀριθμὸς ὡς τετρακοσίων· ὃς ἀνῃρέθη, καὶ πάντες ὅσοι ἐπείθοντο αὐτῷ διελύθησαν καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν. 37. μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, καὶ ἀπέστησε λαὸν ὀπίσω αὐτοῦ· κἀκεῖνος ἀπώλετο, καὶ πάντες ὅσοι ἐπείθοντο αὐτῷ διεσκορπίσθησαν. 38. καὶ (τὰ) νῦν λέγω ὑμῖν, ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, καὶ ἄφετε αὐτούς· ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται· 39. εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστὶν, οὐ δυνήσεσθε καταλῦσαι αὐτούς, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε.

40. Ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ, καὶ προσκαλε-

denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu, et dimiserunt eos. 41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. 42. Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Iesum.

σάμενοι τοὺς ἀποστόλους, δείραντες παρήγγειλαν μὴ λαλεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἀπέλυσαν. 41. Οἱ μὲν οὖν ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου, ὅτι κατηξιώθησαν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος ἀτιμασθῆναι· 42. πᾶσάν τε ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες καὶ εὐαγγελιζόμενοι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν.

In v. 28 sat mu praemittunt ου, ℵ^c DEP sah syr arm aeth Ath Bas Chr Cyr Thdrt; Beda (ex graeco) nonne praecipiendo, — D εκεινου Lcif illius in fine. In v. 29 D ο δε πετρος ειπεν προς αυτους. In v. 31 D* τη δοξη, Ir gloria (exaltavit). In v. 32 εν αυτω B aliq minusc, Ir in eo testes sumus; al sine additam, vel αυτου, om B o, item sah cop. In v. 33 εβουλευοντο ℵ DHP al longe plu e vulg syr Lcif. In v. 34 τους αποστολους DEHP al fere omn cat gig tol sah syr aeth Chr. In v. 35 D προς τους αρχοντας και τους συνεδριους; E απο των ανθρ, item cop tol gig ab hominibus. In v. 36 προσεκλιθη ℵABC (corr) aliq minusc Cyr; alii aliter; D ος διελυθη αυτος δι αυτου. In v. 38 D add αδελφοι, praebet εασατε, add μη μιαναντες τας χειρας; E μη μολυνοντες τ. χ. υμων; sim Bed ex graeco. In v. 39 αυτους ℵABC^2 DE al plus 12 cat am fuld ph arm aeth Bed (retract); add D ουτε υμεις ουτε βασιλεις ουτε τυραννοι, απεχεσθαι ουν απο των ανθρωπων τουτων; item ph c*; sim demid; add E ουτε υμεις ουτε οι αρχοντες υμων (e magistratus, Bed ex graeco principes, item gig).

« Ingenita malitia cor perfidum in signis etiam manifestis obdurat » (*Beda*). Habebant synedristae in liberatione apostolorum novum documentum divinae erga eos protectionis; verum a proposito recedere minime iis in animo est; v. 26 *tunc abiit magistratus* ὁ στρατηγός cf. 4,1 (princeps, gig) *cum ministris et adduxit illos sine vi* (non cum vi, gig), ita scil. ut non quasi captivi ad poenam abduci viderentur; *timebant enim populum, ne lapidarentur;* populus itaque iam maxima reverentia apostolorum affectus erat; iungunt *Beel. Patr. :* sine vi (timebant enim populum) ne lapidarentur; alii tamen construunt, uti verba inter se excipiunt; v. 27 *et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio et interrogavit eos princeps sacerdotum* v. 28 *dicens : praecipiendo praecepimus vobis,* hebraismus est, i. e. etiam atque etiam, magna vi praecepimus (*Salm.*); cum praecedat *interrogavit,* explicatur lectio altera : οὐ nonne severe praecepimus? ipsa vero affirmatio praecepti est quasi quaestio, qua ratione ausi sint denuo docere, vel quomodo excusare possint transgressionem mandati, *ne doceretis in nomine isto,* ipsum Iesum ex odio et contemptu nominare nolunt. Notat *Ammonius :* oportuit prius quaerere : quomodo evasistis? ipsi autem ac si nihil accidisset, interrogant : nonne etc. et *Bl.* advertit : non iam interrogat pontifex, quomodo antea evaserint, quandoquidem nunc adsunt. Sed, ut dixi, consulto et prudenter id silentio premunt quasi nihil scirent et unum illud in

medium proferunt, ex quo accusatio formari potest ob 4,18; *et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius,* vultis nobis imputare crimen homicidii, quod impie eum innocentem occiderimus et ita nobis conflare periculum, ut seditione plebis facta ultio de nobis capiatur (cf. *Salm. Lap.*); in nos culpam caedis coniicere vultis! Antea clamaverant : sanguis eius super nos et super filios nostros (Matth. 27,25); si itaque quid culpae sit in caede eius, id se minime vereri, omnem in se reatum et poenam suscipere velle spondebant. Ipsis eorum verbis confirmatur magnum iam exsistere in urbe numerum fidelium et reliquam plebem favere apostolis.

Miraculosa liberatione, monitione angeli, synedristarum contra veritatem contumacia Petrus ad maiorem accenditur respondendi fortitudinem et libertatem, v. 29 *respondens autem Petrus et apostoli dixerunt,* Petrus ubique primas apparet, qui nomine reliquorum loquitur, cui loquenti ceteri vel verbis vel nutibus se consentire manifestant: *obedire oportet Deo magis quam hominibus,* gravius, severius quam antea loquitur, neque enim eos reverenter compellat, ut 4,8, neque ad ipsorum iudicium provocat modeste, uti 4,19, verum maxima cum asseveratione iis denegat obedientiam quam soli Deo se debere in re evangelii praedicandi affirmat. Cum evidens sit tale mandatum iis a Christo datum esse idque ab angelo denuo inculcatum, summus ille magistratus prohibitione sua apertissime contra Deum agit; proin eius mandatum omni destituitur auctoritate; ipsi synedristae iam non potestate a Deo data praecipiunt; proin valet illud : oportet etc.; ipsi in eo mandato iam non sunt magistratus legitimus, verum solum *homines* qui sese Deo opponunt. Quibus consideratis omnis abusus eius sententiae excluditur; debet enim certo constare de Dei mandato. Quod Petrus ex ipsa re a Deo facta probat, v. 30 *Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis* διεχειρίσασθε quasi propriis manibus occidistis, graviter designat eos solos auctores, et quam ignominiose in eum manus iniecerint declarat : *suspendentes in ligno* scil. hanc mortem illi inferre volebant, quia maledictus omnis qui pendet in ligno (cf. Deut. 21,23. Ios. 10,26. Gal. 3,13): eodem modo Petrus loquitur 10,39 et in priore epistola 2,24. Ex mentione mortis apparet illud *suscitavit* ἤγειρεν esse idem ac suscitare ex mortuis (3,15; 4,10; 13,30), revocare ad vitam, et non solum facere prodire, mittere, uti dicitur suscitare prophetam (Matth. 11,11 οὐκ ἐγήγερται maior Ioanne; 24,11. Luc. 7,16). Quae acceptio etiam mentione exaltationis exigitur.

Quem synedristae tanta ignominia interemerunt, Deus non solum

ad vitam revocavit, verum etiam v. 31 *hunc principem* τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν ipsa collocatione effertur oppositio illa, quid ipsi, quid Deus eidem Iesu contulit, *et salvatorem Deus exaltavit dextera sua;* hic itaque est summus populi dux, hic unicus salutis auctor et largitor et hic potenti Dei manu exaltatus est in coelum (2,33) *ad dandam poenitentiam Israeli et remissionem peccatorum;* proin misericors Dei consilium et spem salutis ipsis synedristis aperit Petrus. Christi itaque gloria in nostrum bonum redundat; similiter dicit apostolus: resurrexit propter iustificationem nostram (Rom. 4,25) i. e. ex Dei consilio Christus in gloria constitutus merita sua nobis applicat, homines operatione Spiritus sancti ad poenitentiam et iustificationem adducit. Et quam verum sit quod asseruit duplici argumento demonstrat v. 32 *et nos sumus testes horum verborum,* explica per hebraismum דברים *rerum,* resurrectionis, exaltationis, eum esse salvatorem; simul declarat apostolorum dignitatem et munus; testes sunt magnalium Dei, testes rerum, in quibus omnis spes salutis nititur et tales testes debent testificari, praedicare; ἐν αὐτῷ i. e. testimonium eorum habet firmum suum fundamentum in eo; totum innititur et fulcitur in eo. Ad apostolos testes alter accedit testis *et Spiritus sanctus quem dedit Deus (omnibus) obedientibus sibi,* cuius testimonium manifestum apparet in charismatis, in dono linguarum, in miraculis et signis, quae synedristae negare non possunt.

Omnis qui male agit odit lucem (Ioan. 3,20) et luce hac iis proposita ad maiorem furorem pro mala sua conscientia provocantur, quemadmodum oculi aegri lumine solis offenduntur; v. 33 *haec cum audissent, dissecabantur* διεπρίοντο serra dissecabantur, i. e. indignatione, ira quasi serra quadam animi eorum veluti dissecabantur et in tantam rabiem coniiciebantur, ut iam eos interimere vellent: *et cogitabant interficere illos* ἐβούλοντο, propositum habebant, ex animi affectu cupiebant. Verum hanc animorum excandescentiam aliquatenus repressit pharisaeus quidam. Sunt pharisaei teste Iosepho (Antiq. 13,10,6) naturali indole clementes in poena irroganda, dum sadducaeos dicit prae ceteris Iudaeis crudeles (Antiq. 20,9,1); praeterea sadducaeis quidem mentio resurrectionis iam erat offensioni (4,2), non item pharisaeis, adversariis sadducaeorum. Insuper Gamaliel vir erat prudens, iustus, aequitatis amans, liberalis ingenii; v. 34 *surgens autem quidam in concilio pharisaeus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universae plebi,* qui nominatur in mischna rabban Gamliel senior et ibidem magna cum laude celebratur, ita ut dicatur: mortuo Gamaliele sene evanuit honor legis (cf. *Surenhusius III* p. 315) et in quaestionibus legis saepe eius fit mentio (cf. l. c. I p. 315; II 331; III

308. 333 etc.); imo traditione christiana fertur fidem adoptasse (cf. *Photius*, cod. 171; *M.* 103,501; *Calmet*, Diction. bibl. s. v.), quae traditio refertur in Recognitionibus clementinis (1,65; *M.* 1,1242 seq.) et in epistola Luciani (cuius mentionem facit saepius, uti videtur, Augustinus; cf. *M.* 41,807 seq. et quam Gennadius quoque commemorat, de scriptor. eccles. 46; *M.* 58,1084; ipsa epistola habetur in tomo 7 August. l. c.); de quodam eius monumento narratur etiam apud *Surenhus. III* p. 314 n. 19; is itaque surgens in illo consessu *iussit foras ad breve homines* (ita sane ex eius mente legere oportet, non apostolos) *fieri,* ne consultationi interessent et quo liberius omnes dicerent sententias, vel, ut *Chr.* censet, ne ipse in suspicionem veniret quod idem cum illis sentiret.

Collegas quasi ebrios furore alloquitur (*Chr.*) v. 35 *dixitque ad illos : viri Israelitae, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis;* ne temere sententiam praecipitent, sed sollicite perpendant, ἐπί τοῖς... videtur referendum esse traiectione ad τί μέλλετε πράσσειν : quid de istis facturi sitis (cf. *Beel. Wendt*); nam locutio πράσσειν τι ἐπί τινι est usitata, neque tamen illa προσέχειν ἐπί τινι; quare altera lectione praebetur ἀπὸ τῶν... cavete vobis ab istis, quae tamen notio hic apta non est (cf. v. 38). Cur itaque res non statim decernenda sit, sed exspectandum, prosequitur v. 36 *ante hos enim dies exstitit* ἀνέστη surrexit, uti dicitur de iudicibus, regibus, prophetis (קום, Iud. 4,9. 2 Par. 6,10. 1 Mach. 14,41) *Theodas dicens se esse aliquem*, se esse quendam magnum (gig, μεγαν D); cf. 8,5, *cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum* προσεκλίθη sese applicuerunt; cf. 2 Mach. 14,24 (erat viro inclinatus, vulg.), *qui occisus est et omnes qui credebant ei, dissipati sunt et redacti ad nihilum;* videtur velle explicare hoc exemplo : « si necem inferatis viris istis, facile fieri potest, ut contra vos tumultus exoriatur in urbe, cum Ierosolymitani eos magni passim faciant; itaque consultius est in eos non saevire, eoque magis quod recentia exempla docuerunt auctore sectae e medio sublato sectatores brevi evanescere » (*Beel.*). Eo facilius autem exspectare possunt, quia Iesum auctorem sectae iam e medio sustulerunt. Idem altero exemplo persuadet v. 37 *post hunc exstitit Iudas Galilaeus in diebus professionis* τῆς ἀπογραφῆς tempore census *et avertit populum post se, et ipse periit et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt;* avertit populum ab obedientia Romanorum et ad se sequendum impulit.

De hoc Iuda *Iosephus* quoque refert; erat is ex oppido Gamalis Gaulanites (Antiq. 18,1,1), quem tamen ipse *Iosephus* etiam Galilaeum appellat

(Antiq. 18,1,6; 20,5,2. Bell. iud. 2,8,1). Is vero populum ad defectionem incitabat dicens censu afferri manifestam servitutem et ignavos esse qui Romanis tributum pendere sustinerent et post Deum mortales dominos agnoscerent. Tot nactus est sectatores, ut *Iosephus* eum dicat quartam introduxisse sectam (praeter pharisaeos, sadducaeos, essenos), quae maxime amans sit libertatis unumque Deum pro rectore ac domino habeat; « varias etiam mortes subeundas cognatorumque supplicia et amicorum nihili faciunt, dummodo hominum neminem dominum appellent » (Antiq. 18,1,6). Census iste habitus est anno 6 vel 7 p. Ch. — Verum difficultas movetur de priore exemplo. Refert enim *Iosephus* (Antiq. 20,5,1) Fado Iudaeam procurante praestigiatorem quendam nomine Theudas ingenti hominum multitudini persuasisse ut se sequerentur ad Iordanem; esse se prophetam, diremptisque imperio suo aquis fluminis facilem se transitum effecturum; sed missa equitum turma a Fado alios esse occisos, captos alios; ipsum Theudam esse captum et occisum. Erat Cuspius Fadus procurator Claudio Imperatore ab anno 44 p. Ch. Unde evidens est de hoc Theuda non posse Gamaliel sermonem inferre. Quid ergo? Plerique acatholici statim Lucam erroris accusant, quod non fieret si profanus quidam scriptor narraret exstitisse apud Iudaeos duos in Romanos rebelles nomine Theudas!

Aequiorem se iudicem probat *Blass* scribens de Luca : « temporum bene memorem se scriptor monstrat : quo minus est probabile eum de Theuda tam graviter errasse, quam plerique putant ». Et profecto, etiamsi de inspiratione non cogitamus, non est cur errorem apud Lucam suspicemur. Nam pro eo tempore de quo Gamaliel loquitur nominans Theudam Θευδᾶν certum est multas exstitisse in Iudaea turbas. Tres factionum duces nominat *Iosephus* Iudam, Simonem, Athrongen (Antiq. 17,10,5-7. Bell. iud. 2,4,2) et praeterea dicit ἕτερα μύρια θορύβων exstitisse; « Iudaea plena erat latrociniis et ut quisque seditiosorum coetus coiverat, reges creabantur qui omnia agebant in perniciem reipublicae » (Antiq. 17,10,4,8). Neque nomen Theudas ita est rarum, ut improbabile sit duos eiusdem nominis exstitisse intra spatium annorum fere quadraginta. Nam reperitur apud profanos (Corpus inscript. graec. n. 2684. 3563. 3920. 5698; cf. *Schürer*, I p. 473; alia exempla affert *Wetst.* ad h. l. et vide apud *Pape,* Eigennamen) et apud rabbinos תודוס cf. *Buxtorf,* Lex chald. p. 2563, *Lightfoot*, Hor. hebr. ad h. l.; nomen Θευδᾶς est decurtatum ex Θεόδωρος, Θεόδοτος et sim. (cf. *Bl.* Proleg. p. 3). Quandoque nomen idem esse dicunt ac Thaddaeum.

Porro notandum est quae a Gamaliel dicantur de Theuda eiusque asseclis diversa esse ab iis quae Iosephus de Theuda narrat. Nam Act. 5,36 solus Theudas dicitur occisus eoque sublato sectatores eius paulisper fuisse dissolutos et tandem evanuisse; Iosephus autem refert Theudam fuisse capite obtruncatum et eodem tempore ex sequacibus eius occisos multos multosque captos vivos (*Beel.*) et *Bl.* quoque advertit : « ne cetera quidem sunt plane eadem (scil. praeter tempus) : διελύθησαν καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν apte de secta quae paullatim delabitur, minus apte de multitudine per vim disiecta ». Immo *Bl.* suspicatur in textum Iosephi forsan ex hoc

nostro loco nomen esse illatum; « cum Eusebius nihil dubitet locum hunc Actorum ex Iosepho illustrare (h. e. 2,11), suspicio subit posse in hunc ex Actis nomen Theudae quod certe rarius est perperam illatum esse, cum vel simile ibi fuisset vel (sicut Antiq. 20,8,6. 10) omnino nullum ». — Ex hisce satis patet non esse cur Lucas erroris chronologici arguatur. Non defuerunt qui Theudam invenire voluerint vel in Matthia scriba (de quo Bell. iud. 1,33,2 et Antiq. 17,6) vel in Simone (de quo supra) vel in Theudione (Antiq. 17,4). Sed teste Iosepho multi exsistebant rebelles quos ipse non nominat.

Ex hisce itaque concludit Gamaliel v. 38 *et nunc itaque* καὶ τὰ νῦν cf. 4,29 et iam ad rem praesentem quod attinet (*Beel.*) *dico vobis : discedite ab hominibus istis* ἀπόστητε, desistite, manus ab eis abstinete (*Beel.*), desinite vexare (*Bl.*); cf. 22,29. Luc. 4,13 *et sinite illos* ἄφετε dimittite, sinite eos abire; scil. ne iam ulterius curent de eorum agendi ratione neve sibi ipsi negotium facessant, et rationem affert : *quoniam si est ex hominibus* auctoribus, ergo solummodo humanum *consilium hoc aut opus, dissolvetur*, uti alia exempla probant; v. 39 *si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini,* θεομάχοι, maiore emphasi alii addunt testes : neque vos neque principes vestri (gig, vide lect. var.). Dicitur in priore ἐὰν ᾖ, in hac sententia εἰ δὲ ἐκ Θεοῦ ἐστίν; unde prius tamquam rem cogitat quae evenire possit, alterum autem tamquam verum assumere videtur (*Felt.*), nisi malueris dicere alterum hoc ab eo proferri ex mente apostolorum. Sed cum addat : ne forte θεομάχοι cum Deo pugnantes inveniamini, tamen satis clare suam quoque mentem aperit facile fieri posse, ut Deus eius rei sit auctor. Nam sane nemo iam ignorare poterat signa et miracula facta esse per apostolos eosque et fideles eorum sectatores vitam agere vere piam esseque viros omnino probos. Unde nisi quis se ipsum excaecare et oculos luci occludere voluit, debuit rem esse divinitus ordinatam vehementer saltem suspicari. Inde vero simul patet nullatenus eam esse Gamaliel sententiam ac si de origine vel causa divina ex solo rei successu iudicium feratur — quae norma iudicandi utique est falsa ac perniciosa. — Nam, ut *Salm.* advertit, in causa illa et illo tempore eius sententia optima fuit et sancta; praedicabatur enim Christus a prophetis promissus iam venisse, probabatur signis et vita inculpata et Scripturis; item illum a Iudaeis interfectum resurrexisse.

Probarunt consilium eius ita, ut a caede abstinerent : *consenserunt autem illi,* ἐπείσθησαν sibi persuaderi patiebantur; ei obtemperabant. Simul tamen suam auctoritatem et mandatum sustinere volentes poenam iis infligunt de mandati neglectu (4,18; 5,28) et illud denuo

iniungunt v. 40 *et convocantes apostolos caesis denuntiaverunt* δείραντες i. e. cum eos flagellassent; iam impleri coeptum est quod Christus eis praedixit Matth. 10,17; fiebat flagellatio secundum Deut. 25,3 (cf. 2 Cor. 11,24), *ne omnino loquerentur in nomine Iesu* ulli hominum (τινί E, et ita Lcif, gig), ἐπὶ τῷ ὀνόματι ita scil. docere, ut nomen, persona Iesu sit ratio, fundamentum, fulcrum doctrinae; *et dimiserunt eos;* irritum esse mandatum bene norunt. Sed quid facerent? eos interimere non ausi sunt ob populum; irae suae et odio satisfaciunt inflicta ignominia et poena flagellationis; v. 41 *et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii* ἀπὸ προσώπου cf. hebr. מִפְּנֵי laetabundi a synedristis digrediuntur, *quoniam digni habiti sunt pro nomine* (*Iesu*) *contumeliam pati;* en quales eos effecit Spiritus sanctus! iam in se exhibent illud Christi : gaudete et exsultate (Matth. 5,11. 12); apparet maxima apostolorum perfectio et tam ingens mutatio ut gauderent se contumeliose caesos (*Cai.*); vide quanta sit vis Spiritus sancti (*Salm.*). Ex quo Christus dignatus est pro nobis subire ignominiam, insignis honor evasit pro eo similia pati. Et quod Petrus nomine omnium intrepide professus est v. 29, id constanter rebus gestis exhibent v. 42 *omni autem die non cessabant in templo et circa domos,* publice ac palam in ipso templo, proin minime novas timent vexationes et fortiter ius suum ac munus contra synagogam tuentur; circa domos, privatim, in coetibus illis per domos congregatis (cf. 2,46) *docentes et evangelizantes Christum Iesum,* Iesum praedicare Messiam. Nihil igitur profecerunt adversarii; apostoli laetiores et audaciores in Iesu impleri vaticinia messiana annuntiant palam.

3. *Persecutio fidelium et fructus inde enati* 6,1-9,30.

a) **Hellenistae eliguntur diaconi 6,1-7.**

6,1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt : Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. 3. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.

6,1. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις πληθυνόντων τῶν μαθητῶν ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, ὅτι παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ αἱ χῆραι αὐτῶν. 2. προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν εἶπαν, Οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις. 3. ἐπισκεψώμεθα δέ, ἀδελφοί, ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους ἑπτά, πλήρεις Πνεύματος καὶ σοφίας, οὓς καταστήσομεν ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης· 4. ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν.

(turn page for p. 111)

Querelae tandem ad apostolos deferebantur v. 2 *convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt : non est aequum* οὐκ ἀρεστόν placere, probari nequit (*Beel.*); cf. 12,3; « non placet neque placere potest » (*Bl.*) *nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis* i. e. nos ipsi non possumus munere illo dispensationis fungi; non sequitur eos eousque in dispensatione fuisse occupatos, sed ex responsione hac elucet contrarium; « putandum non est apostolos mensis ministrasse neque tunc de hoc actum esse ut ipsi hoc munus sibi sumerent, sed ita locuti sunt sicut loqui mos est, cum negare volumus nostrarum esse partium ut certa quadam de re curam habeamus » (*Patr.* idemque iam innuit *Chr.* et explicite statuunt *Felt. Bels. Wendt*) neque obstat (quod nonnulli putant) quod pretium afferebatur ad pedes apostolorum (4,34 seq.). Iis tradebatur pecunia; sed administratio, emptio rerum, dispensatio ab apostolis committebatur aliis. Querelis optimo modo medentur : eliguntur ad numerum ministrorum augendum ministri ex Hellenistis; v. 3 *considerate ergo* (quia nos ipsi per nos defectum supplere nequimus), nexus fere indicatur idem particula δέ : considerate autem scil. quia nobis non convenit illud subire, *fratres, viros ex vobis boni testimonii septem* qui apud omnes probi habentur, *plenos Spiritu sancto et sapientia,* qui itaque signis externis, uno alterove charismate cognosci possunt habere dona Spiritus sancti, et qui in agendi ratione prudentia praediti esse noscuntur. Sapientiam qua scil. omnia apte ad finem disponuntur in administratione et dispensatione rerum, pecuniarum, opus esse liquet, et sapientiam requiri censent *Oec. Theoph.* ob maledicentiam (κακηγορίαν) viduarum; ea debet adesse ne parum exercitati et rerum imperiti opes dissipent ecclesiasticas et in eos quibus non debentur illas valeant collocare (*Salm.*).

Sapienter quoque concedunt apostoli electionem fidelibus, « ne viderentur ad quorundam gratiam agere, illis iudicium permittunt » (*Chr.*); sibi solum reservant numerum eligendorum et ipsam dignitatis illius collationem *quos constituamus super hoc opus* qui igitur potestate ab apostolis accepta illi officio praeficiantur. Quaerunt, cur septem eligendos esse decreverint apostoli. Fortasse, quia numerus hic aliis additus sufficiebat. Cogitant alii de septem partibus urbis, de septem coetibus domesticis (cf. *Felt.*), de sacro numero septenario, de septem angelis qui stant ante Deum, de septem spiritibus etc. (cf. *Salm. Lap. Calm.*); v. 4 *nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus,* cum dicatur τῇ προσευχῇ cum articulo et oratio iungatur praedicationi evangelii, vox hic sumenda videtur de cultu publico divino, cuius pars praecipua erat eucharistiae sacrificium

5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.

5. Καὶ ἤρεσεν ὁ λόγος ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους· καὶ ἐξελέξαντο Στέφανον, ἄνδρα πλήρη πίστεως καὶ Πνεύματος Ἁγίου, καὶ Φίλιππον, καὶ Πρόχορον καὶ Νικάνορα, καὶ Τίμωνα, καὶ Παρμενᾶν, καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα, 6. οὓς ἔστησαν ἐνώπιον τῶν ἀποστόλων· καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας. 7. καὶ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανεν καὶ ἐπληθύνετο ὁ ἀριθμὸς τῶν μαθητῶν ἐν Ἱερουσαλὴμ σφόδρα, πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει.

In v. 1 D* add εν τη διακονια των εβραιων, secund fl υπο των διακονων των εβρ (Bl.). In v. 3 B επισκεψωμεθα; rell — ασθε; δε ℵB; pler ουν. In v. 4 D ημεις δε εσομεθα προσκαρτερουντες, d sumus, perseveramus. In v. 6 D ουτοι εσταθησαν; item sah syr (sch). In v. 7 ℵ* aliq. min syr (sch) ιουδαιων.

Vide quomodo in principio mala non foris tantum sed etiam intus fuerint (*Chr.*). Sed hoc apostolorum probitatem (τὸ δόκιμον) demonstrat qui undique et extrinsecus et intrinsecus impugnabantur, undique autem palmam referebant (*Oec.*); v. 1 *in diebus autem illis crescente numero discipulorum factum est murmur* γογγυσμός murmuratio cum aliqua indignatione *Graecorum* τῶν Ἑλληνιστῶν i. e. Iudaeorum qui graece loquebantur et ex regionibus exteris erant oriundi *adversus Hebraeos* Iudaeos palaestinenses *eo quod despicerentur* παρεθεωροῦντο negligerentur, posthaberentur *in ministerio quotidiano,* in distributione subsidiorum *viduae eorum;* uti D fl sua lectione indicant et re ipsa exigi videtur, ministri constituti iam erant ex Hebraeis ad eiusmodi distributionem (*Belser*); isti autem Iudaeos palaestinenses hebraice (aramaice) loquentes et in terra sancta natos pluris faciebant quam Hellenistas, ex alienis regionibus oriundos, lingua utentes non sacra, sed peregrina. Simili modo Galilaei quoque, utpote habitantes in regione mixta, a Iudaeis, Iudaeae incolis, minoris habebantur (cf. Ioan. 7,52). Apparent iam germina illa vanitatis cuiusdam nationalis et aemulationis. Nam murmurationem illam et indignationem ex causa ortam esse vera, proinde iustam fuisse, apostoli ipsa sua agendi ratione agnoscunt. Crescente enim numero non omnes aeque erant perfecti et in tanta multitudine fuisse aliquos imperfectos mirum non est (*Dion.*). Facile quoque fieri potuit, ut crescente numero ministri illi Hebraei iam non sufficerent aeque ad omnia, utpote pauciores; unde concivibus suis prius magisque prospiciebant quam aliis, et ita ansam dederunt querelarum.

(turn page back for p. 112)

(*Beel.*), de publica precatione etiam explicant *Calm. Patr.* (cf. 3,1; 16,13. 16) *Felt.* et merito quidem. Dicunt *nos perseverabimus* (cf. 2,42) προσκαρτερήσομεν assidue addicti erimus; qua ratione simul connotant eousque curam suam et operam iisdem impendisse. Facit hic *Dion.* applicationem : « o utinam praelati ista attenderent, quorum iam plures plus quam oportet, decet aut licet, circa temporalia occupantur » etc. et *Salm.* similiter.

Quod apostoli proposuerunt, omnes approbant v. 5 *et placuit sermo* hic sermo, gig *coram omni multitudine* et iure sibi concesso utuntur *et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto,* qui hoc encomio declaratur prae reliquis eminuisse firmitate fidei et intelligentia doctrinae Christi et donis Spiritus sancti in se conspicuis; cf. v. 8 seq. *et Philippum,* cf. 8,5 seq. *et Prochorum et Nicanorem et Timonem et Parmenam et Nicolaum advenam* προσήλυτον *Antiochenum;* cum hic solus alienigena dicatur qui religioni iudaicae antea nomen dederat, reliqui omnes censendi sunt origine Iudaei. Nomina graeca sunt; erantne igitur omnes Hellenistae? ex nominibus id utique non sequitur, nam Philippus apostolus, Andreas, Marcus, etiam nomina gerebant externa neque tamen Hellenistae erant. Sed ex alia ratione videtur probabile electos esse Hellenistas, quia in prioribus ministris hebraeis causa illius murmurationis reperta erat. Hos sistunt apostolis qui eos approbent eisque potestatem conferant v. 6 *hos statuerunt ante conspectum apostolorum et* (οἵτινες, D) *orantes imposuerunt eis manus;* ipsa oratione et impositione manuum satis declaratur illis non tantum committi ministerium mensarum, verum eos constitui et consecrari sacros Ecclesiae ministros. Nam impositio manuum iam in vetere foedere symbolum erat et quasi vehiculum quo imponens alteri aliquid tribuit. Ita Moyses iubetur manus imponere Iosue et Iosue repletus est spiritu sapientiae quia Moyses posuit super eum manus suas (Num. 27,18. Deut. 34,9); impositione manuum levitae Domini ministerio a plebe secernuntur et dedicantur (Num. 8,10): victima impositione manuum sistebatur Domino tamquam hostia vicaria; impositione manuum in novo testamento conferuntur beneficia sanationum (Marc. 6,5; 7,32; 8,23. Luc. 4,40), ita Iesus benedicit parvulis (Marc. 10,16); eo ritu confertur Spiritus sanctus (Act. 8,17 seq. 19,6); unde : resuscita gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum (2 Tim. 1,6; cf. 1 Tim. 4,14; 5,22). Atque eos consecratos esse sacros ministros inde quoque apparet, quia in verbi Dei praedicatione occupantur (6,10; 8,5 seq.). Quare censendum est eos fuisse veri nominis diaconos; et quia cum agapis coniungi solebat confectio ac distributio

eucharistiae, eos dicere possumus et debemus ministros sacrae et profanae mensae (cf. *Baronius* ad an. 34 n. 279; *Lap. Calm. Bels.*). « Catholicorum nemo dubitat hos esse quos Ecclesia in diaconorum ordinem cooptavit » (*Patr.*), quae utique est sententia longe plurimorum et vera; attamen *Chr. Oec. Cai.* negant.

Illos septem ordinatos ad diaconiam ab apostolis eosque diaconos fuisse clare indicat *Irenaeus* (adv. haer. 1,26,3; 3,12,10 electum esse diaconum Stephanum; 4,15,1; *M.* 7,687. 904. 1013). Et ab apostolis diaconos esse constitutos generatim affirmat *Clemens* 1 Cor. 42; *M.* 1,293. Diaconorum simul cum episcopis, presbyteris tamquam sacrorum ministrorum mentio fit frequens in epistolis *Ignatii* v. g. ad Trall. 2, ad Magn. 2. 6, ad Phil. 7, ad Polyc. 8 (*M.* 5,664. 668. 676. 701. 713); diaconos perferre eucharistiam ad absentes *Iustinus* refert (Apol. 1,67; *M.* 6,429). A Nicolao originem ducere haeresin Nicolaitarum censent *Irenaeus* (1,26,3; *M.* 7,687), *Epiphanius* (haer. 25, *M.* 41,321); ita perhiberi refert *Augustinus* (de haeresibus, 5; *M.* 42,26); eum tamen innocentem habent et quomodo sine sua culpa occasio fuerit haereseos et corruptionis illius *Clemens* alexandrinus et *Eusebius* referunt (Strom. 3,4; *M.* 8,1132; hist. eccl. 3,29; *M.* 20,277). De aliis solum incerta quaedam narrantur ex apocryphis (cf. *Lap. Calm.*); enumerantur inter 72 discipulos Christi ab *Epiphanio* (haer. 20 et in Anacephalaeosi; *M.* 41,280; 42,853). Prochorus discipulus quoque Ioannis apostoli fertur fuisse; exstant πράξεις τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, συγγράφοντος τοῦ αὐτοῦ μαθητοῦ Προχόρου, vide Acta Ioannis, ed. Zahn, Erlangen 1880.

Hoc dissidio composito evangelium iterum laetos capiebat progressus v. 7 *et verbum Domini crescebat et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei* ὑπήκουον de eo quod saepe fiebat; saepe sacerdotes fidem amplectebantur, virtutem fidei sequebantur, annuntiationi fidei aures praebebant dociles et ita fidei, i. e. virtuti fidei obediebant, sese addicebant. Bene notat *Chr.* : « res mirabilis : ubi occisus fuerat Christus, illic crescebat praedicatio, nec modo non scandalizati sunt quidam ex discipulis videntes apostolos flagellari, alios minari, alios Spiritum tentare, alios murmurare, sed et maxime augebatur credentium numerus; post tentationem crevit; considera quanta sit Dei benignitas; ex illis enim qui ad caedem turbas concitabant, credebant multi ». Reduces erant ex Babylone tempore Esdrae 4289 (Esdr. 2,36-49) sacerdotes; unde numerus sacerdotum in urbe sat magnus censeri potest.

Quae hic narrantur, ex alio fonte deprompta esse aliqui critici contendunt; ita *Feine* p. 184, *Hilg.* p. 385. Cur diversum a prioribus fontem

statuant, hisce moventur : mentionem nempe hic subito fieri ministerii quotidiani pro pauperibus, de quo nihil in antecedentibus; subito induci Hellenistas, quos vivere in urbe pariter ex antecedentibus colligi nequeat. Verum haec facile expediuntur. Nam 2,45 « prout cuique opus erat » singulis ex bonis communibus dividebatur. Ergo per se patet debuisse adesse qui hanc dispensationem, hoc itaque ministerium in se susciperent; id sane ipsa re exigebatur et necessario postulabatur. Pariter oportebat aliquos constitui quorum curae committeretur pecunia quam fideles ad pedes apostolorum afferebant, et quibus incumberet pecuniam illam pro bono communi impendere. Proin omnia reperiuntur ex quibus ministerium illud necessario consequitur. Hellenistas subito induci minime potest esse offensioni. Sciebat scriptor multos fuisse et esse in urbe; sciebat id omnibus notum esse vel ipsa sua narratione innotescere; et statim 6,9 commemorat synagogam Hellenistarum; quid opus erat id efferre quod ex ipsa narratione rerum evidenter et immediate elucet? Deinde v. 7 iterum alii fonti vel alteri auctori attribuunt et *Weiss* quoque contendit versum hunc plane supervacaneum esse neque ullius momenti pro sequentibus. Numquid ita? Nonne potius tali progressu rei christianae optime explicatur cur iam adversarii in apertam persecutionem, in calumnias, in caedem prorumpant?

b) Accusatur Stephanus 6,8-15.

6,8. Stephanus autem, plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidem de synagoga quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano; 10. Et non poterant resistere sapientiae, et Spiritui qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen et in Deum.

12. Commoverunt itaque plebem et seniores et scribas; et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. 13. Et statuerunt falsos testes qui dicerent : Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem. 14. Audivimus enim eum dicentem : quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. 15. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem angeli.

6,8. Στέφανος δὲ πλήρης χάριτος καὶ δυνάμεως ἐποίει τέρατα καὶ σημεῖα μεγάλα ἐν τῷ λαῷ. 9. ἀνέστησαν δέ τινες τῶν ἐκ τῆς συναγωγῆς τῆς λεγομένης Λιβερτίνων, καὶ Κυρηναίων καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας καὶ Ἀσίας, συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ· 10. καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει. 11. τότε ὑπέβαλον ἄνδρας λέγοντας, ὅτι ἀκηκόαμεν αὐτοῦ λαλοῦντος ῥήματα βλάσφημα εἰς Μωυσῆν καὶ τὸν Θεόν.

12. συνεκίνησάν τε τὸν λαὸν καὶ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ τοὺς γραμματεῖς, καὶ ἐπιστάντες συνήρπασαν αὐτὸν καὶ ἤγαγον εἰς τὸ συνέδριον. 13. ἔστησάν τε μάρτυρας ψευδεῖς λέγοντας. Ὁ ἄνθρωπος οὗτος οὐ παύεται λαλῶν ῥήματα κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου καὶ τοῦ νόμου· 14. ἀκηκόαμεν γὰρ αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωυσῆς. 15. καὶ ἀτενίσαντες εἰς αὐτὸν πάντες οἱ καθεζόμενοι ἐν τῷ συνεδρίῳ, εἶδαν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου.

In v. 8 add δια του ονοματος κυριου. ιυ χυ D aliq minusc, sah; sim E phc* gig. In v. 9 om και Ασιας A D*. In v. 10 D E τη ουση εν αυτω; ελαλει δια το ελεγχεσθαι αυτους υπ αυτου μετα πασης παρρησιας; item ph; et insuper add D μη δυναμενοι ουν αντοφθαλμειν τη αληθεια, sim ph (marg) E e Bed cum ergo non possent contradicere veritati. In v. 13 add τουτου B C al sat mu cat tol (locum hunc sanctum) sah cop syr Nyss Chr Procl. In v. 15 D αγγελου εστωτος εν μεσω αυτων.

Ministros non solum ad curam pauperum esse electos, in antecedentibus iam clare continetur. Id enim elucet ex v. 3 et 6 et si quid dubii superesset, plane declaratur iis quae de Stephano narrantur. Uti enim erant ministri mensae sacrae et profanae, ita erant adiutores quoque apostolorum in praedicatione; v. 8 *Stephanus autem plenus gratia* Spiritus sancti et donis, charismatis *et fortitudine*, qua scil. magna vi et animi alacritate munus exercebat, praedicabat, uti ex v. 9. 10 patet, *faciebat prodigia et signa magna in populo;* δύναμις accipitur ab aliquibus de potestate patrandi miracula (*Weiss, Bl.*); sed cum haec potestas in ipsa sententia adeo explicite efferatur, alia explicatio de animi fortitudine (*Beel. Felt.*) praeferri debet, qua commemorata iam ad sequentia reddimur attenti. Stephanus Hellenista Hellenistis nuntium messianum praedicat; eius et aliorum labores fructum uberem tulisse, iam ex v. 7 necessario colligitur. Quo successu et magna Stephani apud populum auctoritate, quae ei etiam signis illis eximiis conciliabatur, invidia adversariorum rei christianae inflammatur, uti in subsequentibus satis proditur. Unde simul apparet falsum esse quod *Weiss* contendit v. 7 et 8 apponi sine ulla pro narratione significatione; v. 9 *surrexerunt autem quidam de synagoga quae appellatur Libertinorum,* Λιβερτῖνοι δὲ οἱ Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι οὕτω καλοῦνται (*Chr.*). Pompeius multos Iudaeorum captivos Romam adduxerat et in servitutem vendiderat, ex quibus multi postmodum ab heris manumissi sunt; iis Augustus trans Tiberim bonam urbis partem habitandam permisit (cf. Philo, de legatione ad Caium n. 23). Tiberius autem Iudaeos Roma excedere iussit (*Suetonius,* Tiber. 36; *Tacitus,* Annal. II 85; *Iosephus,* Antiq. 18,3,5). Ex illis itaque manumissis multi in patriam reversi sunt et propriam sibi struxerunt synagogam.

Dubium non est quin Hellenistae in urbe proprias habuerint synagogas, in quibus sacra Scriptura graece legebatur et explicabatur; imo rabbini fabulantur de synagogis in Ierusalem 480 (cf. *Schürer,* II p. 354). Sed quot synagogae nostro in textu assumendae sint disceptatur, num una, duae, quinque : *et Cyrenensium et Alexandrinorum et eorum qui erant a Cilicia et Asia;* si textum inspicimus una explicite effertur synagoga τινὲς τῶν ἐκ τῆς συναγωγῆς etc.; geni-

tivi Κυρηναίων καὶ Ἀλεξανδρέων pendent a voce τινες; articulus abesse poterat, uti etiam apud profanos omittitur in enumerationibus, si iam semel aut bis positus est (*Beel.*); καὶ τῶν ἀπὸ Κιλικίας καὶ Ἀσίας hic debuit necessario articulus poni i. e. τινὲς τῶν ἀπὸ etc. Quare dubito possitne cum *Felt.* dicere assignari unam synagogam et duas factiones, quae scil. articulo τῶν designentur inter se; una scil. Lib. Cyr. Alex., altera Cil. Asiae; Asiam intellige uti 2,9. In omnibus hisce regionibus multos Iudaeorum incoluisse certum est; cf. *Iosephus,* Antiq. 14,7,2; 14,10,1; 16,6,1; 19,5,2. Bell. iud. 2,18,7; c. Ap. 2,4. De synagoga Alexandrinorum in urbe etiam apud rabbinos fit mentio (*Lightfoot,* Hor. hebr. ad h. l.). Ex Iudaeis itaque in alienis regionibus natis multi religiosi cultus causa in urbem migrabant ad festa celebranda alii, alii ad studium legis, uti Saulus ex Cilicia, alii, ut ibi domicilium figerent (cf. Marc. 15,21). Ex istis igitur Hellenistis quidam praedicationi obsistebant *disputantes cum Stephano.* Verum in ea disceptatione victi succumbebant v. 10 *et non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur* ᾧ ἐλάλει, quo loquebatur; iis enim utebatur argumentis eoque sermone sapientiae et ubertate doctrinae quam edoctus a Spiritu sancto exponebat, ut illi non haberent quid reponerent vel quibus eius argumenta et probationes dissolverent. Impletur itaque in Stephano illud Christi : ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Beda,* et addit : dignum enim fuit ut in protomartyre confirmaret, quod cunctis pro suo nomine traditis est promittere dignatus).

Quem rationibus vincere non poterant, fraude et calumniis perdere student (*Salm.*) v. 11 *tunc summiserunt* ὑπέβαλον subornarunt *viros qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiae in Moysen et in Deum;* cf. v. 13. 14. Operam dederunt, ut hae accusationes quam maxime et apud plebem et apud nobiles spargerentur; unde v. 12 *commoverunt itaque plebem,* συνεκίνησαν simul concitarunt, *seniores et scribas;* erant igitur Hellenistae illi (τινὲς) aemulatores legis, ritibus et institutis suis addictissimi, imo ipsis incolis urbis ferventiores. Quod legis studium iam eo ostenderant quod ex dissitis regionibus in urbem sanctam migrarunt. Postquam igitur illis rumoribus apud Iudaeos Stephano conflarunt invidiam, *concurrentes* ἐπιστάντες (cf. 4,1; 17,5; 23,27) facto ex improviso in eum impetu (*Beel. Patr.*) *rapuerunt eum et adduxerunt in concilium,* in synedrium, cuius erat de eiusmodi accusationibus ferre iudicium. Iam magnam synedrii partem, seniores, scribas, sinistris contra eum opinionibus imbuere studuerant. Plane immerito aliqui subiectum

grammaticale dure mutari putant, ac si seniores et scribae impetu facto eum corripuissent (*Weiss*); adversarii illi τινὲς Hellenistarum haec omnia peragere apertissime dicuntur; iidem etiam v. 13 *et statuerunt falsos testes,* sicuti Iudaei antea contra Iesum statuerant, *qui dicerent : homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum,* templum, locum *hunc;* secundum Iosephum βουλή locus synedrii erat prope Xystum (Bell. iud. 5,4,2), probabiliter in monte templi (*Schürer*, II p. 162); secundum mischna vero, in atrio templi לשכת הגזית (cf. Buxtorf, Lex. chald. p. 414); quare non apparet, cur illud τοῦτον (apud aliquot testes) negare possit accusationem factam in synedrio, ut *Weiss* contendit; *et legem;* quae duae accusationes iam accuratius proferuntur v. 14 *audivimus enim eum dicentem : quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses,* τὰ ἔθη, mores, leges. Hisce utique aemulatores legis quam maxime offendebantur; cf. 21,21; quanti vero templum aestimarint, concluseris ex adagio rabbinico : qui non vidit domum sanctam, nullam unquam vidit structuram ornatam, et *Iosephus* quoque templum dicit opus omnium quae vidimus et audivimus maxime admirabile (Bell. iud. 6,4,8; cf. 5,5,6 et Antiq. 15, 11,3; vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 306).

Cum testes dicantur *falsi,* aliqui putant Stephanum omnino nihil eiusmodi dixisse, neque ullam fecisse mentionem vaticinii Christi de destructione templi neque innuisse legem mosaicam esse aliquando abolendam; id enim pro eo tempore neque necessarium fuisse neque opportunum (*Estius, Beel. Hake*). Sed rectius iam *Oec.* scribit : « atqui hoc dixit Stephanus, etsi non adeo aperte; quomodo ergo sunt hi *falsi* testes? quia non ut audierant narrabant; sed alio quodam modo audierant, alio modo ipsi proferebant; quemadmodum de Christo quod posset templum destruere falsum fuit testimonium, ita et nunc mendaces sunt qui Stephanum aiunt demolitionem legis ac templi Nazareno attribuere ». Atque etiam ex oratione cap. 7 colligitur eum talia dixisse ex quibus colligatur salutem neutiquam templo ritibusque contineri ac concludi; cum enim Hellenistae illi nimis addicti essent traditionibus et caerimoniis legis atque in iis more pharisaeorum iustitiam collocarent, omnino censendum erit Stephanum ritus illos nihil iam valere ad veram iustitiam demonstrasse, oraculum quoque Christi de templo commemorasse. Erant itaque testes *falsi* eodem modo sicut illi apud Matth. 26,61; verba minime fideliter retulerunt, e contextu avulsa male interpretati sunt, ea ratione protulerunt, ut blasphema esse viderentur.

Cum haec testimonia contra eum ederentur, omnes in eum oculos

dirigebant, ut quasi ex vultu eius iam culpam colligerent vel confusionem — at alium plane vultum et habitum deprehendunt v. 15 *et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem eius tamquam faciem angeli,* tanta scil. serenitate simul et eximia dignitate, pulchritudine, auctoritatis et reverentiae omnibus imponendae praestantia, sicut facies esse solet angeli qui humana forma indutus se spectandum praebet; ἐπίχαριν ἐποίησεν αὐτὸν ὁ Θεός (*Theoph.*).

c) Oratio Stephani 7,1-53.

Qui Stephanum audierunt perorantem, non permiserunt orationem eius ad finem perduci. Nam audacius, ut ipsis videbatur, loquentem interruperunt; unde vehementius in eos invehitur v. 51 qua reprehensione maxime irati statim impetum in eum fecerunt. Oratio ipsa igitur est manca. Inde iam aliqua in eius explicatione oritur difficultas. Deest enim ipsa illa applicatio rerum gestarum quas enarrat, deest illud, ad quod tendat tota illa institutio ex vetere historia exposita, id quod Stephanum declaraturum fuisse certum est, si non fuisset vi et violentia impeditus. Nihilominus multum luminis praebetur ad orationis partem explicandam quam proponere poterat ex capitibus accusationis 6,13.14 et etiam 6,11. Haec itaque bene sunt perpendenda. Iam Stephanus multus in eo est, ut ostendat Dei manifestationem eiusque beneficia quam plurima et per longum temporis spatium collata esse in regionibus extraneis; proin ea minime pendere neque a terra palaestinensi neque a templo; porro Deum decursu temporis alia instituisse, ita circumcisionem, postea ritus et caerimonias legis; ita distingui ac secerni periodum patriarchalem et mosaicam — unde inferri potuit aliud et novum quoque institutum iri in epocha messiana. De Moyse ita loquitur, ut magnam reverentiam eius prae se ferat. Conditionem pauperem, afflictam patriarcharum et populi repetito effert, ac si ostendere velit in ea et in oppressione adversariorum nullatenus declarari divinam reprobationem; verum hisce potius exerceri ac probari cultores Dei. Quam tardi fuerint in Moyse agnoscendo, quam contumaces, inobedientes vehementer effert, pariter quam turpiter legem divinam neglexerint — iam eodem modo se habent erga alium prophetam, cuius signa et miracula viderant! Quid igitur ipse sentiat de Deo, de Moyse, de lege, de templo satis exponit et simul nimiam illam caerimoniarum templique aestimationem, quasi in illis omnis Dei favor esset repositus, egregie convellit. Singula vide in explicatione.

Inde quoque perspicies quantum a vero aberret *Hilg.* qui con-

tendit ea oratione neque responderi ad quaestionem 7,1 propositam neque respici quae testes dixerint. Duas orationes ex duobus fontibus distinguit *Feine,* unam qua exponatur Dei manifestationem nullatenus loco determinato alligari (2-21. 29-34. 44-50), alteram qua demonstretur populum semper se contumacem et rebellem praebuisse (22-28. 35-43. 51-53); has duas orationes a Luca esse inter se iunctas. Quam discissionem orationis merito ridet *Hilg.;* nam ipsa rerum gestarum serie nexus adest continuus. Orationem esse genuinam etiam *Spitta* fatetur. Non esse a scriptore libere compositam, iam eo patet quia neque explicite et ex ordine accusationes singulas refutat neque ad finem perducta est; quae duo praestaret is qui Stephanum ea occasione perorantem nobis inducere vellet.

α) De tempore patriarcharum 7,1-16.

7,1. Dixit autem princeps sacerdotum: Si haec ita se habent? 2. Qui ait: Viri fratres et patres, audite: Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae quum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan. 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua et de cognatione tua et veni in terram quam monstravero tibi. 4. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. 5. Et non dedit illi haereditatem in ea, nec passum pedis; sed repromisit dare illi eam in possessionem et semini eius post ipsum, quum non haberet filium. 6. Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen eius accola in terra aliena; et servituti eos subiicient, et male tractabunt eos annis quadringentis. 7. Et gentem cui servierint iudicabo ego, dixit Dominus: et post haec exibunt, et servient mihi in loco isto.

8. Et dedit illi testamentum circumcisionis; et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo; et Isaac, Iacob; et Iacob, duodecim patriarchas. 9. Et patriarchae aemulantes, Ioseph vendiderunt in Aegyptum; et erat Deus cum eo; 10. Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius; et dedit ei gratiam et

7,1. Εἶπεν δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, Εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει; 2. ὁ δὲ ἔφη, Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, ἀκούσατε. ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραὰμ ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαρρὰν, 3. καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν, Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου καὶ τῆς συγγενείας σου, καὶ δεῦρο εἰς γῆν ἣν ἄν σοι δείξω. 4. τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων κατῴκησεν ἐν Χαῤῥάν· κἀκεῖθεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε· 5. καὶ οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ κληρονομίαν ἐν αὐτῇ, οὐδὲ βῆμα ποδός· καὶ ἐπηγγείλατο δοῦναι αὐτῷ εἰς κατάσχεσιν αὐτὴν, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ' αὐτὸν, οὐκ ὄντος αὐτῷ τέκνου. 6. ἐλάλησεν δὲ οὕτως ὁ Θεὸς, ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ, καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ καὶ κακώσουσιν, ἔτη τετρακόσια. 7. καὶ τὸ ἔθνος, ᾧ ἂν δουλεύσωσιν, κρινῶ ἐγὼ. ὁ Θεός εἶπεν· καὶ μετὰ ταῦτα ἐξελεύσονται, καὶ λατρεύσουσίν μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ.

8. καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς· καὶ οὕτως ἐγέννησεν τὸν Ἰσαὰκ, καὶ περιέτεμεν αὐτὸν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ· καὶ Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ, καὶ Ἰακὼβ τοὺς δώδεκα πατριάρχας. 9. καὶ οἱ πατριάρχαι ζηλώσαντες τὸν Ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον· καὶ ἦν ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ, 10. καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ πασῶν τῶν θλίψεων αὐτοῦ, καὶ ἔδωκεν

sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegypti; et constituit eum praepositum super Aegyptum, et super omnem domum suam. 11. Venit autem fames in universam Aegyptum et Chanaan, et tribulatio magna, et non inveniebant cibos patres nostri. 12. Quum audisset autem Iacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum; 13. Et in secundo cognitus est Ioseph a fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus eius. 14. Mittens autem Ioseph accersivit Iacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. 15. Et descendit Iacob in Aegyptum; et defunctus est ipse, et patres nostri. 16. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.

αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν ἐναντίον Φαραὼ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ κατέστησεν αὐτὸν ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ. 11. ἦλθεν δὲ λιμὸς ἐφ' ὅλην τὴν Αἴγυπτον καὶ Χαναάν, καὶ θλίψις μεγάλη· καὶ οὐχ ηὕρισκον χορτάσματα οἱ πατέρες ἡμῶν. 12. ἀκούσας δὲ Ἰακὼβ ὄντα σιτία εἰς Αἴγυπτον, ἐξαπέστειλεν τοὺς πατέρας ἡμῶν πρῶτον· 13. καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ ἐγνωρίσθη Ἰωσὴφ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ, καὶ φανερὸν ἐγένετο τῷ Φαραὼ τὸ γένος Ἰωσήφ. 14. ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο Ἰακὼβ τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. 15. κατέβη δὲ Ἰακὼβ (εἰς Αἴγυπτον), καὶ ἐτελεύτησεν αὐτὸς καὶ οἱ πατέρες ἡμῶν· 16. καὶ μετετέθησαν εἰς Συχέμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ ἐν Συχέμ.

In v. 1 add DE τω στεφανω; sim tol gig fl. In v. 2 gig add priusquam mortuus est pater eius. In v. 13 το γενος του ιωσηφ DHP al pl Chr; το γενος αυτου ℵAE vulg, το γ ιωσηφ BC gig. In v. 15 B om εις αιγυπτον. In v. 16 in fine εν συχεμ ℵ* BC alq minusc cat sah cop arm; του εν συχεμ ℵ° AE tol ph Bed ex graeco qui fuit in Sichem; του συχεμ DH al pl vg aeth Chr; gig solum habet : et translati sunt in Sichem.

Testibus auditis v. 1 *dixit autem princeps sacerdotum*, qui praeses synedrii censendus est, *si haec ita se habent?* εἰ etiam in directa interrogatione ponitur; cf. 1,6; 19,2. Luc. 13,23; 22,49; v. 2 *qui ait: viri fratres et patres,* cum significatione reverentiae omnes qui aderant alloquitur, assessores synedrii *patres* compellans, reliquos, testes, Hellenistas illos aliosque (6,12) *fratres;* qua blanda compellatione iam ostendit se amicum populi Israel, *audite: Deus gloriae,* maiestatis, Deus gloriosissimus (*Beel.*), qui scil. gloria magna se manifestare solet, uti divinam maiestatem ac sublimitatem decet; hac una voce refutat accusationem in vulgus sparsam (6,11) *apparuit patri nostro Abrahae cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan;* templum nondum erat, sacrificium non erat et divina visione dignatus est Abraham qui in aliena terra erat, statim ab initio opinionem illorum convellit et per ea quae dicit clare adstruit ὅτι οὐδέν ἐστιν ὁ ναὸς δήπου αὐτός, οὐδὲ τὰ ἔθη (*Chr. Theoph.*); in aliena terra ante ritus et caerimonias legis Deus sua largitur beneficia modo eximio; v. 3 *et dixit ad illum : exi de terra tua et de cognatione tua et veni in terram quam monstravero tibi;* v. 4 *tunc exiit de terra Chaldaeorum et ha-*

bitavit in Charan; legimus Gen. 15,7 : ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, et Gen. 12,1 : egredere de terra tua; quae verba de *terra tua* non tam ad Haran convenire videntur, ubi non adeo diu habitavit et ubi non erat patria eius, sed unice ad patriam, ad Ur Chaldaeorum; et recte advertit *de Hummelauer,* non solum ex Haran, sed ipsam ex Ur profectionem Deum praecepisse Gen. 12,1 : locus siquidem nativitatis non erat Haran, neque apte dicebatur *terra tua* locus in quo brevi tantummodo Abram substitit (Comment. in Genesin p. 363); et eodem modo Neh. 9,7 : eduxisti eum de Ur Chaldaeorum. Quare merito potuit Stephanus verba illa Gen. 12,1 referre ad praeceptum Domini ut exiret ex Ur Chaldaeorum, scil. ex celebri illa, urbe *Uru*, nunc Mughair, sita haud procul ab occidentali ripa Euphratis ad Pallacopam (cf. *de Hummelauer* l. c. p. 361). Dicitur Mesopotamia sensu latiore omnis illa regio ad Euphraten et Tigrim; ex Ur migravit in Charan (Haran); erat haec nobilis urbs ad Beliam flumen, recto fere itinere inter Nisibin et Gargamis (l. c. p. 363).

Proinde difficultas in hoc textu non est tanta quanta aliquibus videtur. Omnis utique umbra alicuius contradictionis cum narratione Gen. 11,31-12,2 evanescit, si legitur, uti in vetere latina versione : Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae cum esset in Mesopotamia in Charan; quare ex D hunc posse statui textum primigenium *Bels.* censet : ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ et v. 4 καὶ μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην. Etiam *Irenaeus* verba recitat in hunc modum : Deus gloriae visus est patri nostro Abrahae et dixit ad eum : exi de terra tua et de cognatione tua et veni in terram quam demonstrabo tibi et transtulit illum in terram hanc quam nunc et vos inhabitatis (adv. haer. 3,12,10; *M.* 7,904), nisi forte dicendus sit verba Stephani compendio referre. Migrationem ex Ur factam esse duce oraculo divino Philo quoque affirmat scribens : δευτέραν δὲ ἀποικίαν στέλλεται λογίῳ πάλιν πεισθείς in secundam migrationem mittitur oraculo iterum obediens, non iam ex una urbe in aliam, sed in regionem desertam (de Abraham §. 18).

Deus electum amicum non statim iussit migrare in terram palaestinensem; prius moratus est in Charan, in regione aliena, et ibi quoque ei se manifestavit : *et inde postquam mortuus est pater eius*, en maiores stirpis electae terram illam *sanctam* ne viderunt quidem! *transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis;* illud *postquam* etc. omissum est in gig; eritne deletum ob difficultatem quae ex Gen. 11,26. 32 et 12,4 oritur? Nam ibi dicitur : Thare vixit 70 annis et genuit Abram et Nachor et Aran; facti sunt dies Thare 205 annorum; Abram erat 75 annorum cum egrederetur de Haran. Unde

secundum istos numeros Thare adhuc vixit per 60 annos, postquam Abram egressus est de Haran. Si numeris textus hebraei relictis numeros assumimus recensionis samaritanae, nulla est difficultas. Nam secundum textum samaritanum Thare vixit per annos 75 postquam genuit et dies eius facti sunt 145 annorum; et Philo quoque hos numeros ob oculos habuit; nam explicite dicit τελευτήσαντος δὲ αὐτῷ τοῦ πατρὸς ἐκεῖθε καὶ ἐκ ταύτης μετανίσταται, scil. ex Charan (de migrat. Abr. § 32). Alii nodum in textu hebraeo solvunt, quo modo (praeter alios) solvi posse iam *Augustinus* censuit; scil. non eodem anno tres filios a Thare esse genitos, verum annum commemorari ex quo coeperit generari; fieri posse ut Abraham primo loco ponatur, non quia primus sit genitus, sed merito excellentiae, uti « in Paralipomenon cum sit quartus nascendi ordine Iudas, prior est commemoratus, a quo iudaicae genti nomen est, propter tribum regiam » (Quaest. in Genes. 25; *M.* 34,553). Similiter legitur : filii Noe : Sem, Cham, Iapheth, quamvis Cham sit filius eius minor (Gen. 9,24) et enumerantur ordine : Moyses et Aaron, Ephraim et Manasses, Isaac et Ismael, quamvis qui secundo loco nominantur sint natu maiores (cf. Ex. 5,20 sed 1 Par. 6,3; Gen. 48,5. 14. 20; 1 Par. 1,28; 4,1). Si itaque Abraham erat iunior et natus non anno 70 Thare patris, sed anno 130, reliquit Charan patre mortuo; ita difficultatem expediunt *Calm. Beel. Patr. Felt.*

Et quamvis Deo iubente migraverit in Palaestinam, tamen nihil in ea possessionis a Deo accepit v. 5 *et non dedit illi hereditatem in ea nec passum pedis* i. e. ne minimam quidem partem, quam planta pedis calcat; « vide quomodo illas a terra abducat; neque enim dixit *dabit,* sed *non dedit* » (*Chr.*); amico suo Deus nihil possessionis dedit; unde elucet in Dei dispositione non adeo magni aestimari terram, quam illi prae aliis sanctam habent. Commendatur fides Abraham; *sed promisit dare illi eam in possessionem et semini eius post ipsum, cum non haberet filium;* immo cum iam esset aetatis provectioris et Sara sterilis; unde fidei firmitas credentis contra spem in spem celebratur (Rom. 4,18. 19. Hebr. 11,8. 9). Fit promissio etiam semini eius (Gen. 12,7; 15,8) fit ei et semini (Gen. 13,15); nondum datur; fit promissio antequam circumcisio, antequam lex et templum esset (*Chr. Theoph.*). Et diu tardat Deus promissionem implere, id quod pro tempore quoque messiano non parvam habet significationem. Praeclarissima quaeque pro ea epocha promissa sunt; num statim cuncta implebuntur? Ex agendi modo Dei quem discimus ex historia patriarcharum, id exspectandum non erat. Immo Deus contraria promissis statuere videtur v. 6 *locutus est autem ei Deus : quia erit semen*

eius accola in terra aliena et servituti eos subiicient et male tractabunt eos annis quadringentis, Gen. 15,13; « vide ante quot annos promissio et promissionis modus, et nusquam sacrificium, nusquam circumcisio; hic ostendit Deum permisisse ut illi affligerentur; vide, prius mala permittit; sic et nunc licet regnum promiserit, tentationibus exerceri sinit » (*Chr.*). Et exemplum ex Abraham profertur, quod non oportet accelerare ea quae divinis promissis deferuntur, quia neque Abraham accelerari petiit nepotum ab Aegypto egressum, cum ei manifestata esset longa eorum detentio, imo et molestia (*Oec.*).

At afflictorum causam tuetur Deus et ultionem exercet in adversarios v. 7 *et gentem cui servierint,* en quamvis sint electae stirpis, eos affligi, alienigenis servire permittit; proin id non existimat Deus alienum a sua dignitate; facile sequitur afflictam Christifidelium conditionem nemini debere esse offensioni; at tandem adversarios deiiciet, *iudicabo ego, dixit Dominus, et post haec exibunt et servient mihi in loco isto;* ergo postquam iam diu in alienis regionibus cultus est et honoratus, demum etiam in hac terra vult honorari et coli. Atque promissione data foedus initum Deus novo ritu sacrari voluit v. 8 *et dedit illi testamentum circumcisionis* i. e. foedus circumcisione est sancitum et eo signo cognoscitur Gen. 17,10. 11; ita hac religiosa caerimonia, qua circumcisio cordis, obedientia in Deum significatur, stirpem illam sibi arctius adiungere Deus voluit. Quid igitur ab eis postulet, ut foederis bona consequantur, eo ritu declaratur (cf. Deut. 10,16) *et sic genuit Isaac,* tamquam ritu illo in Dei obsequium plane consecratus, ad quod obsequium posteri quoque dedicati sunt, *et circumcidit eum die octavo, et Isaac Iacob et Iacob duodecim patriarchas,* progenitores scil. tribuum populi; cf. Gen. 21,2.4; 25,25; 29,32 seq. 35,23.

Illos autem hanc cordis circumcisionem neglexisse, sua in Ioseph invidia ostendebant v. 9 *et patriarchae aemulantes* (Gen. 37,11 *LXX*, invidebant ei fratres, vulg.) *Ioseph vendiderunt in Aegyptum, et erat Deus cum eo;* Ioseph qui Deo obediens erat favores Dei in regione aliena expertus est et inter alienigenas speciali Dei protectione eximius factus est; utique tribulationes subire debuit, quae igitur non sunt indicia reprobationis divinae; v. 10 *et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegypti;* sapientia scil. illa somnia regis recte interpretatus regique sapiens dedit consilium pro salute regni; ita factus est regi valde carus, eius gratiam consecutus, *et constituit eum praepositum super Aegyptum et super omnem domum suam;* cf. Gen. 41,1-46. Fratres autem eius mox poenas dederunt; insuper in regione illa a Deo

iis promissa iam non inveniebant cibum, sed ad alienam proficisci debebant; nequaquam igitur terra illa *sancta* Iudaeorum adeo magni aestimabatur apud Deum; v. 11 *venit autem fames in universam Aegyptum et Chanaan et tribulatio magna, et non inveniebant cibos patres nostri;* salutem quaerere debebant in terra aliena v. 12 *cum audisset autem Iacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum;* Gen. 42,2 seq. is itaque cui maximam iniuriam intulerant factus est auctor salutis; quem abiecerant, is exaltatus est et exaltatus gloria eos salvavit et ditavit! Nonne magna quaedam similitudo habetur in Iesu? v. 13 *et in secundo cognitus est Ioseph a fratribus suis et manifestatum est Pharaoni genus eius;* Gen. 45,3 seq.; quo audito gavisus est Pharao et familiam Iacob in Aegyptum venire voluit Gen. 45,16-20.

Pro salute stirpis electae Ioseph divina providentia missus est in regionem alienam; et in eandem regionem alienam ex terra illa *sancta* migrare debebant, ut reservarentur super terram et escas ad vivendum habere possent Gen. 45,5-7. Tot itaque Deus beneficia in terra aliena praestat; v. 14 *mittens autem Ioseph accersivit Iacob patrem suum et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque,* Gen. 46,27 LXX, de quo numero vide quae disputat *de Hummelauer* l. c. p. 573. Neque patriarchae reversi sunt in terram illis promissam, sed vitam degebant et diem obierunt in regione aliena v. 15 *et descendit Iacob in Aegyptum,* visione Dei et admonitione ad iter illud confortatus: ego descendam tecum in Aegyptum Gen. 46,2-4; *et defunctus est ipse et patres nostri;* atque in terra promissa nihil possidebant, nisi quod pecunia olim emptum erat v. 16 *et translati sunt in Sichem et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem,* ἐν Συχέμ; memores enim promissionum Dei in terra promissa sepeliri volebant; id de Iacob et Ioseph explicite traditur Gen. 49,30; 50,25, et Iacob quidem sepultus est in spelunca duplici quam emerat Abraham ab Ephron Hethaeo (Gen. 23,16; 50,13), Ioseph autem in Sichem, in parte agri quem emerat Iacob a filiis Hemor (Iosue 24,32; cf. Gen. 33,19). Ea emptione valde illustratur illud in v. 5: Deus non dedit illi hereditatem nec passum pedis; si quid igitur erat necessarium, emere debebant in terra sibi promissa. Unde v. 16 non pugnat cum v. 5, ut aliqui censent (*Weiss*). Et bene notat *Theoph.:* hoc dicto ostendit Abraham ne sepultura quidem tenus (οὐδὲ μέχρι ταφῆς) terrae dominum fuisse.

Prope Sichem esse sepulcra duodecim patriarcharum *Hieronymus* quoque asserit (ad Eustoch. ep. 108 n. 13; epitaph. Paulae; *M.* 22,889) Illud *translati* solum refertur ad *patres* i. e. filios Iacob (cf. v. 11.12);

Iacob enim ibi sepultus est, ubi Abraham et Sara. De ea vero emptione quam hic Stephanus commemorat in s. litteris non est sermo. Censent aliqui Stephanum memoria lapsum dixisse Abraham, ubi Iacob dicere debuit vel duas illas narrationes in Gen. 23,4 et 33,19 inter se coniunxisse (*Bed. Canus* apud *Salm.* aliique). Si Stephanus talem commisit errorem, Lucas, fidelis rerum scriptor, orationem retulit, uti habita est; neque id esset contra inspirationem. Attamen aliis videtur durius Stephanum cuius laudes adeo celebrantur (6,5. 8. 15; 7,55 plenus Spiritu sancto) arguere erroris (cf. *Salm. Lap.*). Unde error ad librarios refertur qui nomen Abraham pro Iacob intulerint (cf. *Calm.*); verum omnes testes miro consensu in Abraham conspirant, excepto uno gig, ubi v. 16 legitur : et translati sunt in Sichem; neque aliud additur. Uti textus traditur, de altera emptione Abraham mentio fit, quae probabilissime refertur ad Gen. 12,6. 7; nam in loco Sichem aedificavit Abram altare, cum ei ibi Dominus apparens promissionem dedisset de terra semini eius danda. Iam in aliena possessione altare aedificare non potuit; ut altare a profanatione tutum redderet, debuit agrum emere. Sichemitae appellabantur filii Emor principis, qui adeo celeber erat, ut nobiles Sichem tempore Iudicum vocentur viri Emor patris Sichem (Iudic. 9,28). Pro lectione *vulg.* Emor *filii* Sichem lege cum graeco in Sichem. Alteram emptionem hanc Stephanus ex traditione accepit, uti pariter ex traditione corpora patriarcharum esse translata in Palaestinam (cf. *Beel. Patr. Felt.*), sicut ex traditione hausta sunt nomina illa 2 Tim. 3,8 et effatum Enoch (Iud. 14,15) et alia.

β) De tempore mosaico 7,17-48.

7,17. Quum autem appropinquaret tempus promissionis quam confessus erat Deus Abrahae, crevit populus, et multiplicatus est in Aegypto, 18. Quoadusque surrexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph. 19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur. 20. Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo; qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. 21. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis.

23. Quum autem impleretur ei qua-

7,17. Καθὼς δὲ ἤγγιζεν ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας ἧς ὡμολόγησεν ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραάμ, ηὔξησεν ὁ λαὸς καὶ ἐπληθύνθη ἐν Αἰγύπτῳ, 18. ἄχρις οὗ ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος ἐπ᾽ Αἴγυπτον ὃς οὐκ ᾔδει τὸν Ἰωσήφ· 19. οὗτος κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, ἐκάκωσεν τοὺς πατέρας, τοῦ ποιεῖν τὰ βρέφη ἔκθετα αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι. 20. Ἐν ᾧ καιρῷ ἐγεννήθη Μωυσῆς, καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ· ὃς ἀνετράφη μῆνας τρεῖς ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρός. 21. ἐκτεθέντος δὲ αὐτοῦ, ἀνείλατο αὐτὸν ἡ θυγάτηρ Φαραώ, καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ (εἰς) υἱόν. 22. καὶ ἐπαιδεύθη Μωυσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων· ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις αὐτοῦ.

23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσερα-

draginta annorum tempus, ascendit in cor eius ut visitaret fratres suos filios Israel. 24. Et quum vidisset quemdam iniuriam patientem, vindicavit illum, et fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis : at illi non intellexerunt. 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus; et reconciliabat eos in pace dicens : Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? 27. Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum dicens : Quis te constituit principem et iudicem super nos? 28. Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? 29. Fugit autem Moyses in verbo isto; et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos.

30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammae rubi. 31. Moyses autem videns, admiratus est visum; et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini dicens : 32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses non audebat considerare. 33. Dixit autem illi Dominus : Solve calceamentum pedum tuorum : locus enim in quo stas, terra sancta est. 34. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Aegypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Aegyptum.

35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes : Quis te constituit principem et iudicem? hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit illi in rubo. 36. Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Aegypti, et in Rubro mari, et in deserto annis quadraginta. 37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tanquam me; ipsum audietis. 38. Hic est, qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina,

κονταετὴς χρόνος, ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτοῦ ἐπισκέψασθαι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ. 24. καὶ ἰδών τινα ἀδικούμενον ἠμύνατο καὶ ἐποίησεν ἐκδίκησιν τῷ καταπονουμένῳ, πατάξας τὸν Αἰγύπτιον. 25. ἐνόμιζεν δὲ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς ὅτι ὁ Θεὸς διὰ χειρὸς αὐτοῦ δίδωσιν σωτηρίαν αὐτοῖς· οἱ δὲ οὐ συνῆκαν. 26. τῇ τε ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ ὤφθη αὐτοῖς μαχομένοις, καὶ συνήλλασσεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην, εἰπών, Ἄνδρες, ἀδελφοί ἐστε· ἱνατί ἀδικεῖτε ἀλλήλους; 27. ὁ δὲ ἀδικῶν τὸν πλησίον ἀπώσατο αὐτόν, εἰπών, Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμῶν, 28. μὴ ἀνελεῖν με σὺ θέλεις, ὃν τρόπον ἀνεῖλες ἐχθὲς τὸν Αἰγύπτιον; 29. ἔφυγεν δὲ Μωυσῆς ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, καὶ ἐγένετο πάροικος ἐν γῇ Μαδιάμ, οὗ ἐγέννησεν υἱοὺς δύο.

30. Καὶ πληρωθέντων ἐτῶν τεσσεράκοντα, ὤφθη αὐτῷ ἐν τῇ ἐρήμῳ τοῦ ὄρους Σινᾶ ἄγγελος ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου. 31. ὁ δὲ Μωυσῆς ἰδὼν ἐθαύμασεν τὸ ὅραμα· προσερχομένου δὲ αὐτοῦ κατανοῆσαι, ἐγένετο φωνὴ Κυρίου. 32. Ἐγὼ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων σου, ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ. ἔντρομος δὲ γενόμενος Μωυσῆς οὐκ ἐτόλμα κατανοῆσαι. 33. εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Κύριος, Λῦσον τὸ ὑπόδημά σου τῶν ποδῶν· ὁ γὰρ τόπος ἐφ' ᾧ ἕστηκας γῆ ἁγία ἐστίν. 34. ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν τοῦ λαοῦ μου τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ τοῦ στεναγμοῦ αὐτοῦ ἤκουσα· καὶ κατέβην ἐξελέσθαι αὐτούς· καὶ νῦν δεῦρο, ἀποστείλω σε εἰς Αἴγυπτον.

35. τοῦτον τὸν Μωϋσῆν ὃν ἠρνήσαντο εἰπόντες, Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστήν; τοῦτον ὁ Θεὸς καὶ ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέσταλκεν σὺν χειρὶ ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ. 36. οὗτος ἐξήγαγεν αὐτούς, ποιήσας τέρατα καὶ σημεῖα ἐν τῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, καὶ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἔτη τεσσεράκοντα. 37. Οὗτός ἐστιν ὁ Μωυσῆς ὁ εἴπας τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ, Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, ὡς ἐμέ· 38. οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ μετὰ τοῦ ἀγγέλου· τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ καὶ τῶν πατέρων ἡμῶν, ὃς ἐδέξατο λόγια ζῶντα δοῦναι ὑμῖν.

et cum patribus nostris, qui accepit verba vitae dare nobis. 39. Cui noluerunt obedire patres nostri; sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum, 40. Dicentes ad Aaron : Fac nobis deos qui praecedant nos : Moyses enim hic qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et laetabantur in operibus manuum suarum. 42. Convertit autem Deus et tradidit eos servire militiae coeli, sicut scriptum est in libro prophetarum : Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel. 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

39. ᾧ οὐκ ἠθέλησαν ὑπήκοοι γενέσθαι οἱ πατέρες ἡμῶν, ἀλλ' ἀπώσαντο, καὶ ἐστράφησαν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἰς Αἴγυπτον, 40. εἰπόντες τῷ Ἀαρὼν, Ποίησον ἡμῖν θεοὺς οἳ προπορεύσονται ἡμῶν· ὁ γὰρ Μωυσῆς οὗτος, ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, οὐκ οἴδαμεν τί γέγονεν αὐτῷ. 41. καὶ ἐμοσχοποίησαν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ, καὶ εὐφραίνοντο ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν. 42. Ἔστρεψεν δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ· καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν, Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι ἔτη τεσσεράκοντα ἐν τῇ ἐρήμῳ, οἶκος Ἰσραήλ; 43. καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ Ῥομφὰν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς· καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.

In v. 17 ωμολογησεν ℵABC 15. 36. cat vulg (demid constituerat) sah arm ph (marg) aeth; επηγγιλατο DE, Bed quam pollicitus erat, tol quam promiserat, e quod poll. erat; ωμοσεν HP pler minusc syr, ph cop Chr; gig quod iuravit. In v. 18 DE εμνησθη του ιω, gig non fuit memor Ioseph. In v. 24 add εκ του γενους αυτου D syr ph aeth gig iniuriam accipientem de genere suo; add D και εκρυψεν αυτον εν τη αμμω; sim aeth. In v. 26 D* add και ειδεν αυτους αδικουντας. In v. 30 αγγελος κυριου DEHP al pler syr ph arm aeth Chr. In v. 31 D ο κυριος ειπεν αυτω λεγων, sim aeth syr. In v. 33 D και εγενετο φωνη προς αυτον. In v. 37 add αυτου ακουσεσθε CDE al plu cat vulg syr ph cop arm aeth Theoph gig. In v. 38 ℵB υμιν. In v. 43 του θεου sine υμων BD aliq minusc syr sah arm Ir Or Philastr; varie scribitur ρεμφαν, ρεφαν, ρεφφα, ραφαν, ρεφραν; D* επι τα μερη d in illas partes, e in partem, gig in partes.

Repetito notat *Chr.* etiam tempore mosaico magna beneficia a Deo esse collata, cum tamen nusquam templi vel sacrificiorum mentio fiat, ita indicans ad quid oratio tendat; v. 17 *cum autem appropinquaret tempus promissionis* καθὼς particula temporis accipitur in utraque versione syra, latina et eadem notione 2 Mach. 1,31; item a *Beel. Felt.;* alii notionem eius usitatam retinent : prout, pro ratione qua appropinquabat (*Grimm.* s. v. *Bl. Wendt, Weiss*), *quam confessus erat* ὡμολόγησεν promiserat (vide lect. var.) *Deus Abrahae, crevit populus et multiplicatus est in Aegypto,* Ex. 1,7; quod incrementum populi continuabat (neque tum cessabat ullo pacto; cf. Ex. 1,12) v. 18 *quoadusque surrexit alius rex in Aegypto qui non sciebat Ioseph,* Ex. 1,8 rex novus i. e. ex alia familia vel dynastia, uti *Iosephus* dicit τῆς βασιλείας εἰς ἄλλον οἶκον μετεληλυθυίας (Antiq.

2,9,1); cum Hebraei egressi sunt sub dynastia Thebaea, huic dynastiae regem *alium* accensere poterimus (cf. *de Hummelauer,* Comment. in Ex. Lev. p. 32); is non norat Ioseph neque eius de Aegypto merita agnovit; vel si fortasse nomen eius resque gestas noverit, Pharaonem cui ille servierat usurpatorem reputabat, eius nomen et imagines e monumentis delebat, et contribules Ioseph aversabatur (*de Hummelauer* l. c.); v. 19 *hic circumveniens genus nostrum* κατασοφισάμενος i. e. πανούργοις ἐπινοίαις αὐτῶν περιγενέσθαι βουλευσάμενος (*Oec.*), dolo, malis artibus circumveniens, *afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur;* Ex. 1,22 praecepit enim, ut pueri nati proiicerentur in flumen; v. 20 *eodem tempore natus est Moyses et fuit gratus Deo* ἀστεῖος τῷ Θεῷ (Ex. 2,2 טוב, LXX ἀστεῖος), explicat vocem *Oec.* εὐάρεστος, ἤτοι θεοφιλής; notat tamen : ἢ ἀστεῖος κυρίως ὁ ἐν παιδικῇ ἡλικίᾳ κατὰ σῶμα ἀμώμητος. Recte itaque Ex. 2,2 vulg. puerulum *elegantem* fuisse legimus. Additur τῷ Θεῷ i. e. Deo iudice, coram Deo, ipsi Deo talis erat et habebatur, qua dictione non solum enuntiatur eum *vere* fuisse formosum (*Beel. Patr. Felt.*) neque additum illud tantum superlativum sensum adiectivo tribuit (*Bl.*), verum Dei peculiarem curam, providentiam, benevolentiam designat (vide quae dixi ad Ion. 3,2). Eius venustatem laudat Philo : γεννηθεὶς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν ἢ κατ' ἰδιώτην (vita Moys. 1,3) et pluribus eam celebrat Iosephus (Antiq. 2,9,6); *qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.*

« Quando humana nullam spem offerebant, et illum abiecerant, tunc Dei providentia fulsit » (*Chr.*) v. 21 *exposito autem illo,* ab eo servati sunt quem perdere volebant; id accidit in Iosepho, id similiter in Moyse (cf. *Chr.*); en, idem in Iesu — *sustulit eum filia Pharaonis et nutrivit eum sibi in filium;* Ex. 2,3-10; nomen filiae fuisse Θέρμουθις refert *Iosephus* (Antiq. 2,9,7; vide *de Hummelauer* l. c.); « nusquam templum, nusquam sacrificium, licet tot tantaque dispensentur, et educatus est in barbara domo » (*Chr.*). Ergo alienigenis Deus commisit curam servandi et educandi eum quem ipse principem et redemptorem populi sui elegerat! Ita fastum deprimit iudaicum; pariter fastum hunc excludit v. 22 *et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum,* id Philo pluribus narrat (vita Moys. 1,5) et eum secutus Clemens alex. (Strom. 1,23; *M.* 8,900), qui etiam refert puero in circumcisione nomen Ioacim esse impositum; *et erat potens in verbis et in operibus suis;* minime hoc pugnat, ut *Weiss* vult, cum Ex. 4,10 seq; nodum iam solvit *Calm.* : scimus impeditiore fuisse sermone, lingua gravi ac difficili; at orationi vis inerat, gravitas, robur; neque enim tardior lingua impedit, quominus in senten-

tiis insit vis, gravitas, pondus et copia et eximia sapientia (cf. *Beel. Felt.*); etsi facundia desit, δύναμις seu δεινότης omnino inesse potest orationi. De rebus potenter et sapienter ab eo gestis plura refert *Iosephus* (Antiq. 2,10,1 seq.) quae tamen qua fide dicantur incertum est. Magis sobrius est Stephanus; ab incertis abstinet, paucis sed certis contentus.

Eum per 40 annos versatum esse in aula regis traditio est hebraea (cf. *Lightfoot, Wetst.* ad h. l.) quam sequi videtur Stephanus v. 23 *cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus*, i. e. natus cum esset 40 annos, *ascendit in cor eius*, hebraismus est : עלתה על לבי (cf. Ier. 32,35) venit ei in mentem, utique non sine divino quodam impulsu, vide v. 25, *ut visitaret fratres suos filios Israel*, ἐπισκέψασθαι, apud LXX pro פקד invisere prospiciendi causa, curam agere; et se paratum esse ad eos iuvandos et ab oppressione vindicandos, reipsa exhibuit v. 24 *et cum vidisset quendam iniuriam patientem*, iniuriam accipientem de genere suo (gig), *vindicavit illum et fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat percusso Aegyptio;* Ex. 2,11. 12; quo iure hoc fecerit Moyses, aliquando dubitavit *Augustinus :* reperio non debuisse hominem ab illo qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis iniuriosum et improbum, occidi (c. Faust. 22,70; *M.* 42,444); sed postea bene ex hoc loco nostro v. 25 conclusit Moysen iam divinitus admonitum videri et hoc audere potuisse (Quaest. in heptat. 2,2; *M.* 34,597); factum itaque per Moysen signum fuit quod Deus per Moysen Aegyptios occideret, Israelitas liberaret (*Oec.*); v. 25 *existimabat autem intelligere fratres quoniam Deus per manum ipsius* (frequens est hebraismus : per manum ביד, per ipsum, sua ope et auxilio) *daret salutem illis; at illi non intellexerunt;* accusat eorum tarditatem; nam ex divina promissione scire debebant se egressuros, tempus illud Abrahamo indicatum iam adesse, fore, ut Deus iudicaret gentem qua opprimerentur. Cum itaque nunc Moyses, vir in aula regia eximius, eorum suscipiat curam et iniurias illatas ulciscatur, pronum erat hunc mitti iis a Deo servatorem. En, aderat exspectatio messiana, signa temporis messiani manifestissima (cf. Luc. 12,56) coram iis fiebant et fiunt; at iterum non intelligunt quis sit verus servator!

Imo repellunt et abiiciunt servatorem v. 26 *sequenti vero die apparuit illis litigantibus* ὤφθη (cf. 3 Reg. 3,16 LXX, *venerunt* ad regem, vulg.); se illis ostendit, supervenit, *et reconciliabat eos in pace* συνήλλασσεν, imperfectum de conatu, *dicens : viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?* ἵνα τί cf. 4,25; quare mutuo iniuriam infertis? cf. Ex. 2,13; nocere iungitur in lingua vulgari cum ac-

cusativo[1] (Num. 5,19 non te nocebunt aquae istae; Sap. 14,29; Apoc. 11,5); v. 27 *qui autem iniuriam faciebat proximo repulit eum dicens : quis te constituit principem et iudicem super nos;* v. 28 *numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium?* « eodem animo contra Christum videntur dicere : non habemus regem nisi Caesarem; sic semper facere solebant Iudaei, cum beneficia acciperent; vidistine insipientiam? eum qui se servaturus erat accusant, cum dicunt : sicut heri interfecisti Aegyptium » (*Chr.*); v. 29 *fugit autem Moyses in verbo isto,* ἐν indicatur causa fugae; intellexit in illo verbo se apud suos minime tutum esse ab ultione regis; cf. Ex. 2,15; insuper ex repulsa illa elucebat eum nullatenus a suis popularibus agnosci tamquam aliqua auctoritate seu missione divina praeditum; *et factus est advena in terra Madian, ubi generavit filios duos;* v. 30 *et expletis annis quadraginta,* nam Ex. 7,7 erat annorum 80 quando locutus est cum rege; cf. v. 23, *apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammae rubi,* angelus erat qui apparuit, sed loquebatur in persona Dei (*Cai.*); est enim communis et vera doctrina S. Thomae et scholasticorum apparitiones illas factas esse per angelum personam Dei gerentem, cui doctrinae suffragium fert apostolus (Gal. 3,19, Hebr. 2,2; vide *Suarez,* de angelis 6,20); profugus, peregrinus, in aliena terra, in deserto videt angelum, non in templo; vide quot fiunt miracula et nusquam templum, nusquam sacrificia (*Chr.*); v. 31 *Moyses autem videns admiratus est visum* scil. quod rubus arderet et non combureretur, Ex. 3,2, *et accedente illo ut consideraret facta est ad eum vox Domini dicens :* v. 32 *ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob;* nova haec Dei revelatio, quae foederis ineundi adeoque totius theocratiae veteris est initium ac fundamentum, procul a terra palaestinensi fit; *tremefactus autem Moyses non audebat considerare,* Ex. 3,6 abscondit faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum; v. 33 *dixit autem illi Dominus : solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo stas, terra sancta est;* loca sacra nudis pedibus intrare solent orientales; pedibus nudis se alicui sistere insignis obsequii significatio apud eos habetur; sacerdotes hebraei nudis erant pedibus in templo; mahometani nunquam calceati in moschaeas ingrediuntur (*Calm.*); terra illa in qua Deus se manifestat declaratur sancta; iam quis limitem figet operationibus Dei vel eas parvo terrae tractu circumscribere audebit?

1. Eodem modo scribit Cassiodorius : Paulus adhuc fideles Domini nocere disponens (ad Act. 9,1).

Moyses quem repulerant illa Dei manifestatione honoratur; v. 34 *videns vidi* (Ex. 3,7 LXX et hebr.) cum emphasi : etiam atque etiam vidi (*Beel.*); fortasse cum allusione quoque ad v. 25 quo innuitur Deum iam ante 40 annos voluisse ex sua parte liberationem concedere; vidi *afflictionem populi mei qui est in Aegypto et gemitum eorum audivi et descendi liberare eos; et nunc veni et mittam te in Aegyptum.* Iam graviter exprobrat Stephanus cum aperta ad negationem et repulsam Christi allusione v. 35 *hunc Moysen,* eundem scil. illum ipsum quem aversati erant et despexerunt (*Theoph.*) *quem negaverunt dicentes : quis te constituit principem et iudicem?* cf. Matth. 21,23 : in qua potestate haec facis et quis dedit tibi hanc potestatem? *hunc Deus principem et redemptorem misit,* vindicem, liberatorem, *cum manu angeli* simul cum potenti ope angeli, hanc opem ei adiunxit, *qui apparuit illi in rubo;* cf. Ex. 23,20. 23; 32,34; 33,2. Proin quae illi negaverant Moysi, haec et maiora ei contulit Deus; v. 36 *hic* οὗτος « surgentem spiritum oratoris vel anaphora pronominis οὗτος v. 35. 36. 37. 38 indicat » (*Bl.*) *eduxit illos faciens prodigia et signa in terra Aegypti et in rubro mari et in deserto annis quadraginta;* v. 37 *hic est Moyses qui dixit filiis Israel : prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris tamquam me, ipsum audietis;* cf. Deut. 18,15 et vide supra ad 3,22; proin tenebantur obedire illi qui per signa se probavit a Deo missum. Iam quis maiora et plura signa patravit quam Iesus (cf. Ioan. 15,24)? v. 38 *hic est qui fuit in ecclesia* in coetu filiorum Israel *in solitudine cum angelo qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris;* γενόμενος μετά etc. hic versabatur cum angelo et cum patribus nostris in deserto, cum ibi scil. coetui Israelitarum lex Dei promulgaretur; ipse scil. erat mediator inter angelum loquentem et patres nostros (Ex. 19); *qui accepit verba vitae dare nobis* λόγια ζῶντα verba vim vitalem habentia, verba vivifica, secundum illud : constodite leges meas atque iudicia quae faciens homo vivet in eis (Lev. 18,5), verba non mortua, sed efficacia, in quibus Dei praecipientis vis quasi vivit, quippe qui verba promissionum et minarum ad effectum perducit (cf. Hebr. 4,12).

En, demonstrat Stephanus se magni aestimare legem a Moyse datam, agnoscere eius originem divinam, eius vim; pariter exponit qualis quantusque Moyses a se habeatur; dein arguit qui sint contemptores Moysis v. 39 *cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt et aversi sunt cordibus suis in Aegyptum;* varia hic uno conspectu proponuntur (cf. Num. 11,5; 12,1; 14,4 constituamus nobis ducem et revertamur in Aegyptum; 16,2; 20,4 etc.); unum ex prae-

cipuis exemplum affertur v. 40 *dicentes ad Aaron : fac nobis deos qui praecedant nos; Moyses enim hic qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei;* Ex. 32,1; v. 41 *et vitulum fecerunt in diebus illis et obtulerunt hostiam simulacro* Ex. 32,4 seq. Lev. 17,7. Ez. 20,7. 8; 23,8. Neh. 9,18, *et laetabantur in operibus manuum suarum* i. e. in idolo quod sibi fecerunt; in eo fundamentum gaudii sui collocarunt, in eo scil. quod ipsi confecerant; stultitiam idololatriae declarat. Nomine operis manuum idola saepe designantur; cf. Is. 2,8; 45,12 seq. Ier. 1,16; 10,15. Os. 14,4. Mich. 5,12 etc.; εὐφραίνοντο, Ex. 32,6 sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere; cf. Ex. 32,18. 19.

Neque semel tantum Deo neglecto idola colebant, verum illa apostasia multipliciter repetita est ira Dei iis ingruente v. 42 *convertit autem Deus et tradidit eos servire militiae coeli* ἔστρεψεν convertit scil. eos et tradidit; peccati poena quam meruerant cum emphasi effertur et indignatio Dei fortiter exprimitur. Dicitur autem *convertit, tradidit,* quia id quod Deus permittit fieri et quod subtracta in poenam gratia contingit Deus facere dicitur ex usu loquendi s. litterarum. Cum enim Deus sciat quid futurum sit et quia id impedire posset si vellet, at non impedit, idcirco sensu quodam latiore id facere dicitur. Illud ἔστρεψεν quandoque explicant intransitive : se vertit, se avertit (cf. *Beel. Felt.*), quae explicatio ab usu et notione verbi recedit (non est ἐστράφη); melius praebet fl : pervertit illos; de hac notione cf. Rom. 1,24. Militia coeli sunt sidera; cf. Deut. 17,3. 2 Par. 33,3. Ier. 8,2. Atque eos idola coluisse neglecto Dei cultu probat verbis Amos 5,25 : *sicut scriptum est in libro prophetarum : numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?* in variis illis per desertum migrationibus, uti circumcisio non observabatur, ita cultus Dei ille quotidianus non exercebatur; aliqua sacrificia esse oblata patet Ex. 24,4; Lev. 9,1; Num. 7; 9,4; neque id illis verbis negatur, sed solum asseritur eo tempore cultum sacrificalem generatim defuisse; at ex eo iam tempore et deinceps idolis servierunt v. 43 *et suscepistis tabernaculum Moloch et sidus dei vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare eas; et transferam vos trans Babylonem,* verba recitantur secundum LXX; solum additur προσκυνεῖν αὐτοῖς; de textu hebraeo vide quae dixi ad Am. 5,25.

Eos in deserto iam idololatriae deditos fuisse ex Lev. 17,7; Deut. 32,17; Ez. 20,8 et 23,3 certum est. Sed praeter illam eos postea quoque eidem vitio indulsisse, uti ex s. libris patet, ita hic quoque in v. 43 enuntiatur, quia in poenam idololatriae in exsilium transferentur (trans Damascum, hebr. LXX). De cultu Moloch saepius reprehen-

duntur (Lev. 20,2 seq. 3 Reg. 11,5. 7. 33; 4 Reg. 23,10. Ier. 32,35). Rempham, Rephan ex lectione Kaivan ortum esse, non est improbabile (Kaivan, Raiphan). — censetur Kaivan apud Assyrios, Kevan apud Arabes, Syros, Persas designare saturnum planetam. Testimonio itaque prophetae constat quam male legem divinam, verba illa *viventia* quae Moyses iis promulgaverat, a migratione in deserto et deinceps observaverint. Unde Stephanus iam optime praeparat reprehensionem quam illis mox impinget.

γ) De sanctuario et Iudaeorum contumacia 7,44-58.

7,44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat. 45. Quod et induxerunt suscipientes patres nostri cum Iesu in possessionem gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque in diebus David. 46. Qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob. 47. Salomon autem aedificavit illi domum. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut propheta dicit : 49. Coelum mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum aedificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meae est? 50. Nonne manus mea fecit haec omnia?

51. Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos. 52. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui praenuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis? 53. Qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis.

7,44. Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου ἦν τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθὼς διετάξατο ὁ λαλῶν τῷ Μωυσῇ, ποιῆσαι αὐτὴν κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει· 45. ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες ἡμῶν μετὰ Ἰησοῦ ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν ὧν ἔξωσεν ὁ Θεὸς ἀπὸ προσώπου τῶν πατέρων ἡμῶν, ἕως τῶν ἡμερῶν Δαυείδ· 46. ὃς εὗρεν χάριν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ ᾐτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα τῷ οἴκῳ Ἰακώβ· 47. Σολομῶν δὲ ᾠκοδόμησεν αὐτῷ οἶκον. 48. Ἀλλ' οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις κατοικεῖ, καθὼς ὁ προφήτης λέγει, 49. Ὁ οὐρανός μοι θρόνος, καὶ ἡ γῆ ὑποπόδιαν τῶν ποδῶν μου· ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετέ μοι; λέγει Κύριος· ἢ τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; 50. οὐχὶ ἡ χείρ μου ἐποίησεν ταῦτα πάντα;

51. Σκληροτράχηλοι καὶ ἀπερίτμητοι καρδίαις καὶ τοῖς ὠσίν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ Πνεύματι τῷ Ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν καὶ ὑμεῖς. 52. τίνα τῶν προφητῶν οὐκ ἐδίωξαν οἱ πατέρες ὑμῶν; καὶ ἀπέκτειναν τοὺς προκαταγγείλαντας περὶ τῆς ἐλεύσεως τοῦ δικαίου, οὗ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς ἐγένεσθε· 53. οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, καὶ οὐκ ἐφυλάξατε.

In v. 44 vulg add Deus; non add am fuld tol gig (cum loqueretur). In v. 45 D των πατ. υμων. In v. 46 οικω ιακωβ ℵ* BDH Ti WH; rell τω θεω. In v. 49 D ποιος τοπος. In v. 51 om και υμεις D Or gig. In v. 52 D αυτους τους προκαταγγελλοντας.

Per tempus sat longum nulla fit mentio alicuius sanctuarii. Primum tandem exstruitur in deserto, in regione extranea. Uti antea circumcisionem induci iussit Deus, ita postea tabernaculum exstruen-

dum curavit; proin modum cultus religionisque praecipit novum, qui prius non exsistebat. Cur quod olim fecit, non iterum faceret tempore messiano? Ita ex ipsa historia sacra evadit probabile novum Dei colendi modum fore in nova epocha; v. 44 *tabernaculum testimonii* τοῦ μαρτυρίου (ita LXX et vulg. pro מוֹעֵד Ex. 30,36 etc.; hebr. explicant : ubi Deus convenit cum Moyse, sese manifestat) i. e. ubi Deus de se testatur — עֵד testis — *fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat,* Ex. 25,9. 40; 26,30; 27,8. Num. 8,4; « revocat hic Stephanus in mentem exordium tabernaculi, uti versiculo consequenti exordium templi, ex his collecturus genuinam religionem carere utroque posse, cum patriarchae ante erectionem tabernaculi et Hebraei a Moyse usque ad Salomonem ante conditum templum fuerint, adeoque citra blasphemiam affirmari, templum eversum iri veramque religionem, quae nimirum Iesu Christi est, everso licet templo staturam » (*Calm.*). Atque *Beda* quoque notat : subintelligi vult, sicut tabernaculum in templi factura desertum, sic et ipsum templum intelligant meliori statu succedente delendum. Et *Chr.* advertit dici *in deserto,* ut locum loco conferat, ibi enim locum sanctum esse, ubi Deus sit; v. 45 *quod et induxerunt suscipientes patres nostri cum Iesu* i. e. Iosue *in possessionem gentium* διαδεξάμενοι quod scil. successione acceperant a Moyse, id duce ac comite Iosue introduxerunt ἐν τῇ κατασχέσει in possessione, in occupatione terrae gentium dum scil. terram occuparent gentium *quas expulit Deus a facie patrum nostrorum,* et ita habebant illud traditione acceptum *usque in diebus David;* tabernaculum, sanctuarium tale, mansit usque ad tempora David.

David erat acceptus Deo; ipse petiit, ut sibi concederetur aedificare templum; neque tamen impetravit; v. 46 *qui invenit gratiam ante Deum;* cf. 1 Reg. 16,13; a Deo electus Ps. 88,20; quem invenit virum iuxta cor suum 1 Reg. 13,14, *et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob* σκήνωμα de habitaculo Dei dicitur LXX Ps. 14,1; 25,8; 42,3; 45,5; petiit, ut sibi concederetur aedificare templum; vide 2 Reg. 7,2 seq. 1 Par. 28,2; « petiit et non concessum est; οὐ λαμβάνει ὁ μέγας, ὁ θαυμαστός, sed aedificat abiectus ille Salomon; ita non magnum quidpiam erat templum » (*Chr.*). Si legitur τῷ οἴκῳ (cf. in v. 44 τοῖς πατράσιν), effertur habitaculum illud populo Iacob inservire, ut perficiatur in commodum populi commercium cum Deo, expiatio etc.; verum aptius legitur τῷ Θεῷ i. e. habitaculum, ubi Deus suam praesentiam et benevolentiam exhibeat; idque congruit cum desiderio David (1 Par. 28,2). Templum igitur ne eo quidem

modo exstructum est, quo tabernaculum foederis, ex mandato Dei qui eius formam et figuram determinavit; sed templi aedificatio desiderio David concessa est a Deo, ita ut Salomoni liceret illud exsequi opus (2 Reg. 7,13; 3 Reg. 5,5. 1 Par. 28,6. 10); v. 47 *Salomon autem aedificavit illi domum;* verum quam impar sit quodvis templum maiestati divinae, et ipse Salomon in dedicatione templi clare enuntiavit 3 Reg. 8,27 et Stephanus monet v. 48 *sed non excelsus in manufactis habitat,* ut scil. illic includatur neque alibi suam posset praesentiam et gratiam manifestare; ipse ad beneficia cunctis praestanda non indiget templo; sicut propheta dicit : v. 49 *coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum; quam domum aedificabitis mihi? dicit Dominus ; aut quis locus requietionis meae est?* v. 50 *nonne manus mea fecit haec omnia?* Is. 66,1. 2; quid enim est templum illud comparatione facta cum mundo adspectabili? quam angustum mundi amplitudine opibusque consideratis? docet dein propheta in animi pietate et prompta erga Deum obedientia id contineri quod Deus a suis exigat; vide meum Comment. in Is. II p. 498 seq.

Ad quid tendat oratio, Iudaei bene advertunt. Unde ira et odio magis inflammantur et vultu, gestu, murmure in perorantem indignationem ostendunt; hac eorum pertinacia et perfidia Stephanus zelo accensus intermissa ulteriore oratione eos increpat. Ita nexum et transitum ad v. 51 explicant *Oec. Theoph. Salm. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt.* et merito quidem; nam ita haec abrupta et acerba reprehensio et compellatio subita optime explicatur; v. 51 *dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus*, iis nominibus contumaces et veritati infensos compellat, quibus a Moyse et prophetis maiores reprehensi sunt; cf. Ex. 33,3. 5; 34,9. Deut. 9,6. 13; 31,27. Is. 48,4 nervus ferreus cervix tua, Ier. 7,26; 17,23 induraverunt cervicem suam etc.; proin Deo obedire, ei se subdere pervicaciter renuunt; sunt obstinato animo, ita ut veritatem ne audire quidem sustineant, *cordibus incircumcisis,* quorum scil. affectus mali et concupiscentiae nullatenus coercentur; cf. Lev. 26,41; Ier. 6,10; 9,26; Ez. 44,7. 9; *vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.* Utrumque probatur v. 52 *quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* idem iis exprobraverat Christus Matth. 23,35-37; *et occiderunt eos qui praenuntiabant de adventu Iusti* i. e. Messiae, cuius opus a prophetis praenuntiatum est, ut scil. iustitiam instauraret et stabiliret in terra (cf. Ps. 71,7. Is. 9,7; 11,4; 42,3 etc.); ipsi vero mensuram patrum impleverunt, quia ipsum quem prophetae annuntiarunt interemerunt, *cuius* Iusti *vos nunc proditores et homicidae fuistis;* Iesum scil. iudici

ro mano tradiderunt et mortem eius efflagitarunt cogentes praesidem invitum; cf. 2,23; 3,13; v. 53 *qui* οἵτινες quippe qui *accepistis legem in dispositione angelorum et non custodistis,* ab huiusmodi enim hominibus qui non solum prophetas persecuti sunt, sed ipsam legem per angelos traditam constanter abiecerunt, utique facinus illud occisionis Iusti potuit perpetrari neque aliter exspectandum erat; εἰς διαταγὰς i. e. recepistis legem propter ordinationem et auctoritatem angelorum (cf. εἰς ὄνομα Matth. 10,41). Angelorum ministerio legem esse datam vide v. 38, Gal. 3,19, Hebr. 2,2; cf. LXX Deut. 33,2; pariter apud *Iosephum* dicitur ἡμῶν τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ Θεοῦ μαθόντων (Antiq. 15,5,3). Bene comparat *Patr.* εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ Matth. 12,41 poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae (vulg.) et Luc. et 11,32 ad praedicationem; proin εἰς διαταγάς fere idem est ac διατασσόντων ἀγγέλων (*Bl.*); germanice : auf... hin.

d) Primum martyrium et persecutio 7,54-8,3.

7,54. Audientes autem haec dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. 55. Quum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in coelum, vidit gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris Dei. Et ait : Ecce video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. 56. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. 57. Et eiicientes eum extra civitatem, lapidabant; et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Iesu, suscipe spiritum meum. 59. Positis autem genibus clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et quum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci eius.

8,1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quae erat Ierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae, praeter apostolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. 3. Saulus autem

7,54. Ἀκούοντες δὲ ταῦτα διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν. 55. Ὑπάρχων δὲ πλήρης Πνεύματος Ἁγίου, ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶδεν δόξαν Θεοῦ, καὶ Ἰησοῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, καὶ εἶπεν, Ἰδοὺ, θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς διηνοιγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ. 56. κράξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ, συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτόν· 57. καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθοβόλουν. καὶ οἱ μάρτυρες ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν παρὰ τοὺς πόδας νεανίου καλουμένου Σαύλου, 38. καὶ ἐλιθοβόλουν τὸν Στέφανον, ἐπικαλούμενον καὶ λέγοντα, Κύριε Ἰησοῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου. 59. θεὶς δὲ τὰ γόνατα, ἔκραξεν φωνῇ μεγάλῃ, Κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς ταύτην τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐκοιμήθη. Σαῦλος δὲ ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ.

8,1. Ἐγένετο δὲ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ διωγμὸς μέγας ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τὴν ἐν Ἱεροσολύμοις· πάντες δὲ διεσπάρησαν κατὰ τὰς χώρας τῆς Ἰουδαίας καὶ Σαμαρείας, πλὴν τῶν ἀποστόλων. 2. συνεκόμισαν δὲ τὸν Στέφανον ἄνδρες εὐλαβεῖς, καὶ ἐποίησαν κοπετὸν μέγαν ἐπ' αὐτῷ. 3. Σαῦλος

devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.

ἐλυμαίνετο τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος, σύρων τε ἄνδρας καὶ γυναῖκας παρεδίδου εἰς φυλακήν.

In v. 55 D ιησουν τον κυριον. In v. 57 ελιθοβολουν αυτον D, sim sah cop syr ph aeth; D νεανιου τινος, tol cuiusdam adolescentis, gig adol. cuiusdam; sim syr arm. In 8,1 D διωγμος μεγας και θλιψεις; add D οι εμειναν εν ιερουσαλημ, item sah Aug gig.

Proditores Iesu et homicidae potissimum erant synedristae, quos igitur ea reprehensione maxime tangit; legis minime custoditae etiam pharisaeos scribasque accusat, eosdem Christus quoque arguerat. Reum ipsi egerant Stephanum; at factus est accusator acerrimus et iudices mala conscientia agitati in rabiem prorumpunt v. 54 *audientes autem haec dissecabantur cordibus*, ira et furore veluti disrumpebantur *et stridebant dentibus in eum* furentium more frendebant dentibus; explicant βρύχειν dentibus collisis stridorem emittere (*Beel.*); cf. 5,33; Ps. 34,16; Iob 16,9. Stephanus autem superna virtute roboratur contra furorem eorum et ad martyrium confortatur v. 55 *cum autem esset plenus Spiritu sancto* ὑπάρχων novum scil. ac vehementem in se experitur impulsum Spiritus, *intendens in coelum vidit gloriam Dei*, Deum videre impossibile est; ideo dicit gloriam Dei (*Ammonius* in cat.), i. e. claritatem quandam tamquam prae se ferentem praesentiam Dei (*Salm. Cai. Patr.*) cf. Ex. 24,17; Ez. 1,27.; 43,2; *et Iesum stantem a dextris Dei*, « stantem et non sedentem beatus Stephanus videt Iesum, ut suam exhibeat Iesus protectionem et magnam suo athletae tribuat fortitudinem et alacritatem; auxiliantis enim habitus ostenditur » (*Oec.*); sedere iudicantis est, stare vero pugnantis et adiuvantis; Stephanus in labore certaminis positus stantem vidit quem adiutorem habuit (*Gregorius* Magnus, in evang. hom. 29; *Patr.*) et *Basilius* scribit τὴν δεξιὰν δὲ χώραν δηλοῦν τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον (*cat.*). Hac manifestatione et visione ei divinitus facta approbantur quae dixerat et ipse videns ea ad testimonium de Iesu eiusque doctrina iis afferendum omnibus enuntiat : *et ait : ecce video coelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei* cum Iesus assumptus sit in coelum (1,11), eo ipso quod ei exhibetur Iesus, coelos se videre sibi apertos fateri debet; ea voce synedristis in memoriam revocat quod ab ipso Iesu audierant : ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei (Luc. 22,69); hoc impletum a se cerni Stephanus iis testatur. Iam tali recordatione et affirmatione eorum rabiem in immensum accendi necesse erat; nam, ut *Theoph.* notat, quemadmodum ea verba in Iesu blasphemiam et crimen laesae maiestatis divinae vocantes impetum in Iesum fecerunt, ita hic quoque minime ferre poterant praedicari talem Iesu gloriam.

Qua visione ipse praeparatur ad fortiter subeundum martyrium, ut bene prosequitur *Beda :* « ad confortandam ergo beati martyris patientiam coelestis regni ianua panditur, et ne innoxius homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet coronatus in coelo ». Iesus se vocat Filium hominis; a nullo ita vocatur excepto hoc loco; verum hoc loco haec appellatio consulto a Stephano est selecta cum allusione ad Dan. 7,13.14 et praeprimis, ut verba Iesu synedristis dicta iam esse eventu completa sollemniter affirmaret. Quare prae furore illi iam non sunt sui compotes v. 56 *exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas,* ne blasphemiam audirent, ita maximum horrorem exhibentes, *et impetum fecerunt unanimiter in eum;* res prae rabie et furore agitur tumultuarie; qui aderant oratione eius quasi in insaniam acti statim nulla synedrii sententia exspectata ultionem et poenam ipsi infligunt v. 57 *et eiicientes eum extra civitatem lapidabant;* Lev. 24,14 educ blasphemum extra castra... et lapidet eum populus universus. Ius gladii Iudaeis utique ablatum erat a Romanis (cf. Ioan. 18,31); at uti postea Iacobum fratrem Domini occiderunt opportunitatem nacti ex morte Festi et absentia Albini (cf. *Iosephus,* Antiq. 20,9,1), ita nunc tumultu populari sententiam legis exsequuntur.

Re generatim narrata (*lapidabant*) adduntur quaedam particularia : *et testes* quorum erat primos in eum lapides coniicere; Deut. 17,7 manus testium prima interficiet eum; quia ex legis praescripto blasphemus erat lapidandus et *ea lege* sibi ius vindicant, id religiose servant quod lege cautum erat, *deposuerunt vestimenta sua,* pallium scil. exterius, quo expeditiores essent ad lapides iaciendos (*Calm.*), *secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus*, Saul שָׁאִיל, nomen ex vet. test. notum (1 Reg. 9,2 seq. 1 Par. 1,48; 1,48; 4,24 etc.); νεανίας dicitur de viris iunioribus aetatem annorum 23-40 nondum egressis (*Patr. Grimm*). Mirantur aliqui quod testium mentio fit; sed vide 6,13; mirantur et incredibile ducunt, quod in tumultu illo legis praescriptum sit observatum. Sed res est valde obvia; uti iam dixi, ex lege sibi esse ius lapidandi blasphemum autumant, ergo observant formam legis et hac observatione zelum legis demonstrant. Bene monet *Bels.* contra eiusmodi « criticos », sententia contra Iesum lata sacerdotes sibi religioni duxisse argenteos mittere in corbonam (cf. Deut. 23,18; Matth. 27,3) et *Bl.* ait esse qui formam legis observatam inepte mirentur.

Additur alterum : v. 58 *et lapidabant Stephanum* — repetitio habet emphasin, quae augetur oppositione — habes repetitionem, quae fit post aliqua narrationi inserta, uti 2,12; 9,22 (*Bl.*), *invocantem et*

dicentem : Domine Iesu, suscipe spiritum meum; orat in similitudinem Christi morientis (Luc. 23,46) et in eandem similitudinem rogat pro carnificibus suis v. 59 *positis autem genibus clamavit voce magna dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum;* « pro se quidem stans oravit, pro inimicis genuflexit, quia ipsorum maior iniquitas maius supplicandi remedium flagitabat; et mira beati martyris virtus, qui sic zelo fervebat, ut eis a quibus tenebatur palam suae perfidiae culpas exprobraret, sic dilectione ardebat, ut in morte quoque pro eis a quibus occidebatur oraret » (*Beda*); indicat ardentem suam caritatem qua lapidantium salutem efflagitabat (*Salm. Cai. Lap. Calm.*); quam bene qui primus pro Christo mortem oppetebat, Christum morientem imitabatur! gemina namque haec sunt illorum : Pater, dimitte illis (Luc. 23,34; *Patr.*); *et cum hoc dixisset, obdormivit* (*in Domino*), gig : et hoc dicto dormivit; κοιμᾶσθαι mori usitatum est in novo testamento (13,36. 1 Cor. 7, 39 al.), ut iam in vetere Is. 14,8 al., et *Beda* notat : « pulchre dicit *obdormivit*, et non dixit mortuus est; obtulit enim sacrificium dilectionis et obdormivit in spe resurrectionis »; *Saulus autem erat consentiens neci eius;* quae de morte Stephani etc. habet Lucas, a Paulo didicit; cf. 22,20 et cum funderetur sanguis Stephani testis fui et ego astabam et consentiebam et custodiebam vestimenta interficientium illum.

Furor autem ille non est sedatus morte unius; ignis ille zeli legis in maius exarsit incendium 8,1 *facta est autem in illa die* illo ipso die quo Stephanus occubuit (*Patr.* sim. *Beel. Felt.*); cf. 2,41; Luc. 10,12; 17,31; sensu generali dicitur ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, illo tempore, *persecutio magna in ecclesia quae erat Ierosolymis*, ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν in ecclesiam, contra ecclesiam, *et omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae praeter apostolos* qui sint isti *omnes*, colligi iam potest ex mentione apostolorum, indicatur in v. 3 et 4; non enim intelligendi sunt fideles omnes, sed illi qui eminentiorem quendam locum occupabant et praedicationi operam dabant; unde *Cai.* censet intelligi omnes discipulos in quos descenderat Spiritus sanctus. Et contra aliquos acutos criticos notat *Bl.* : « ridiculum est πάντες mathematica ratione accipere, magis etiam ridiculum mirari quod postea quoque Christiani Hierosolymis reperiuntur (c. 11. 12 al.), tamquam haec λειψυγία fuerit; videntur autem maxime Hellenistae fugisse ». Apostoli autem remanebant, ut afflictis fidelibus (v. 3) essent solatio et adiumento; eos itaque peculiari protectione providentia divina tuebatur, ut nascenti ecclesiae servarentur et ab incursu hostili redderentur immunes. Refertur apostolos iussos esse a

Domino per annos duodecim in urbe manere, ne cui praedicatio evangelii posset esse ignota (cf. *Felt.*)

Non obstante illo furore reperiebantur qui auderent funus Stephani solitis honoribus prosequi v. 2 *curaverunt autem Stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super eum* ἄνδρες εὐλαβεῖς, ea dictione nec Christiani nec Iudaei, sed proselyti alienigenae designari videntur, qui minime veriti synedristarum aliorumque iram palam mortem eius lamentabantur eumque honorifice sepelierunt. In epistola illa Luciani ad universam ecclesiam ipse Gamaliel dicitur de sepultura eius fuisse sollicitus (vide supra ad 5,34). Saulus autem pharisaeus, aemulator legis et paternarum traditionum (Gal. 1,14) falso illo testimonio (6,11. 14) seductus ex hac in Stephanum ultione vires et zelum hausit ad omnes quos contemptores et eversores legis putabat acerrime persequendos v. 3 *Saulus autem devastabat ecclesiam,* ἐλυμαίνετο verbum grave, imprimis de feris arva vastantibus, tamquam saeva quaedam bellua vineam Domini devastabat (*Beel.*) et qua ratione id exsecutus sit additur: *per domos intrans et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam;* cf. 26,9 et ego quidem existimaveram me adversus nomen Iesu debere multa contraria agere; quod et feci Ierosolymis et multos sanctorum ego in carceribus inclusi a principibus sacerdotum potestate accepta etc. Synedristae itaque consilium illud a Gamaliel datum, ut abstinerent a persecutione, mox abiecerunt.

Hanc partem critici misere discerpunt. Et *Hilg.* contextum interrumpi ait v. 55, unde ibi adesse videt interpolationem; nam quod in v. 57 dicatur necessario adiungi arcte ad v. 54. Sed si Stephanus oratione finita accepit a Domino illam visionem et confortationem, ea alio loco nisi hoc non potuit narrari. Praeterea praeter v. 54 cernitur in v. 56 novus quidam et maior furoris gradus, quo ille versus 55 necessarius esse evincitur, ita ut illo contextus non modo non interrumpatur, verum plene efficiatur. Pariter ad interpolationem refert quod de testibus et de Saulo dicatur, item quod de oratione Stephani in v. 58 habetur; id quippe cum cohaereat cum visione v. 55 pariter esse iudicandum; ceterum esse imitationem ex Luc. 23,46 et orationem Stephani solum in v. 59 haberi (similiter *Weiss*). Quam arbitrarie haec statuantur, eo patet quia Lucas rem gestam a Paulo qui interfuit (22,20) acceptam narrat. Quod de testibus refertur, optime cohaeret cum 6,13 et legis praescripto; cur Stephanus quia in v. 59 pro adversariis oret non etiam pro se orare potuerit in v. 58, hoc nemo intelligit nisi criticus! Illud *omnes* dispersi sunt ita explicat, ut in v. 3 apertam contineri contradictionem affirmet; nam si *omnes* eiecti sunt, quomodo relinqui poterant viri et mulieres! Puto eum qui auctorem vel interpolatorem adeo hebetem censet ut insana conscribat, se ipsum praebere vel stultum vel ridiculum. Secundum *Hilg.* igitur auctor ad Theophilum narrationi de morte Stephani quam conscriptam invenit, ex suo addidit v. 55. 57 (testes) et ea de Saulo et 8,1 praeter apostolos (cf. l. c. p. 402 seq.).

Alii totum ex duplice fonte scripto a redactore esse coniunctum volunt; ex uno fonte esse v. 54. 56. 57a; 8,1b. 2; ex altero 7,55. 57b. 58. 59. 8,1a. 3 (*Spitta*); desumi ex quadam historia Hellenistarum 7,54-57a. 58b. 8,1b; ex aliqua historia Petri 7,59 et 8,2; a redactore autem addi 57b. 58a. 8,1a. 3 (ita *Clemen*); ex uno fonte depromi 7,57b-59; 8,1b,c; ex altero 7,51-57a. 8,1a. 2. 3 (*Jüngst*); notandum 8,1a esse illud : Saulus autem erat consentiens neci eius. Iterum aliter singula distribuit *Feine* : inter se cohaerere 7,53-55; 7,50. 56; cum bis mentio fiat lapidationis, nobis ansam praeberi distinguendi duas narrationes; nam in v. 57. 58 aperte duas diversas lapidationes referri; quomodo oporteat distinguere narrationes, indicare in v. 57 *testes*; cf. 6,13; hoc itaque pertinere ad illam narrationem qua Stephano verba contra templum adscripta sint, proin adiungi ad 7,56. 57a etc. (p. 190).

e) Praedicatio in Samaria 8,4-25.

8,4. Igitur qui dispersi erant pertransibant, evangelizantes verbum Dei.

5. Philippus autem descendens in civitatem Samariae, praedicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quae faciebat. 7. Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici et claudi curati sunt.

9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariae, dicens se esse aliquem magnum : 10. Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei quae vocatur magna. 11. Attendebant autem eum : propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. 12. Quum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. 13. Tunc Simon et ipse credidit; et quum baptizatus esset, adhaerebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

14. Quum autem audissent apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. 15. Qui quum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum : 16. Nondum

8,4. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες διῆλθον, εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον.

5. Φίλιππος δὲ κατελθὼν εἰς τὴν πόλιν τῆς Σαμαρείας ἐκήρυσσεν αὐτοῖς τὸν Χριστόν. 6. προσεῖχον δὲ οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τοῦ Φιλίππου ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς καὶ βλέπειν τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει. 7. πολλοὶ γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα φωνῇ μεγάλῃ ἐξήρχοντο· πολλοὶ δὲ παραλελυμένοι καὶ χωλοὶ ἐθεραπεύθησαν. 8. ἐγένετο δὲ πολλὴ χαρὰ ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ.

9. Ἀνὴρ δέ τις ὀνόματι Σίμων προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων καὶ ἐξιστάνων τὸ ἔθνος τῆς Σαμαρείας, λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν. 10. ᾧ προσεῖχον πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, λέγοντες, Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ καλουμένη μεγάλη. 11. προσεῖχον δὲ αὐτῷ, διὰ τὸ ἱκανῷ χρόνῳ ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι αὐτούς. 12. Ὅτε δὲ ἐπίστευσαν τῷ Φιλίππῳ εὐαγγελιζομένῳ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐβαπτίζοντο ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες. 13. ὁ δὲ Σίμων καὶ αὐτὸς ἐπίστευσεν καὶ βαπτισθεὶς ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ· θεωρῶν τε σημεῖα καὶ δυνάμεις μεγάλας γινομένας ἐξίστατο.

14. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις ἀπόστολοι, ὅτι δέδεκται ἡ Σαμάρεια τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀπέστειλαν πρὸς αὐτοὺς Πέτρον καὶ Ἰωάνην· 15. οἵτινες καταβάντες προσηύξαντο περὶ αὐτῶν, ὅπως λάβωσιν Πνεῦμα Ἅγιον. 16. οὐδέπω γὰρ ἦν ἐπ'

enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.

18. Quum vidisset autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, 19. Dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua; et roga Deum si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quae dixistis.

25. Et illi quidem testificati, et locuti verbum Domini, redibant Ierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.

οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς, μόνον δὲ βεβαπτισμένοι ὑπῆρχον εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. 17. τότε ἐπετίθοσαν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτοὺς, καὶ ἐλάμβανον Πνεῦμα Ἅγιον.

18. Ἰδὼν δὲ ὁ Σίμων, ὅτι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων δίδοται τὸ Πνεῦμα προσήνεγκεν αὐτοῖς χρήματα, 19. λέγων, Δότε κἀμοὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην, ἵνα ᾧ ἐὰν ἐπιθῶ τὰς χεῖρας, λαμβάνῃ Πνεῦμα Ἅγιον. 20. Πέτρος δὲ εἶπεν πρὸς αὐτὸν, Τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. 21. οὐκ ἔστιν σοι μερὶς οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ· ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἔναντι τοῦ Θεοῦ. 22. μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ Κυρίου εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου· 23. εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. 24. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Σίμων εἶπεν, Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Κύριον, ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε.

25. Οἱ μὲν οὖν διαμαρτυράμενοι καὶ λαλήσαντες τὸν λόγον τοῦ Κυρίου, ὑπέστρεφον εἰς Ἱεροσόλυμα, πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίζοντο.

In v. 6 D ως δε ηκουον παν οι οχλοι προσειχον, sim syr. In v. 7 πολλων HP al pler cop (ex multis enim in quibus spiritus immundi fuerant egrediebantur exclamantes); εξηρχετο HP al longe plu Chr. In v. 10 om καλουμενη HLP al pler sah syr Chr. In v. 19 D παρακαλων και λεγων.. ινα καγω; gig rogans et dicens. In v. 24 D τουτων των κακων ων ειρηκατε μοι, D* ος πολλα κλαιων ου διελιμπανεν; sim ph (marg).

« Tu mihi perpende quot quantaque dispensentur per mortem Stephani; disperguntur per regiones Iudaeae et Samariae, evangelizant verbum, praedicant Christum, edunt signa » (*Chr.*); vide quomodo Deus inimicorum adversus Christum insidias ad bonum finem deducat (*Oec.*) v. 4 *igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum* (*Dei*); bene notat *Chr.* : disperguntur doctores (οἱ διδάσκαλοι), ut doctrina amplius propagetur (ὥστε πλείονα γενέσθαι τὴν μαθητείαν); vide ad v. 1. Domini enim nutu gerebatur, ut tribulationis occasio fieret evangelii seminarium (*Beda*); pertransibant autem non solum regiones Iudaeae et Samariae (v. 1), sed etiam aliqui pervenerunt usque Phoenicen et Cyprum et Antiochiam solis Iudaeis loquentes verbum (11,19).

« Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria » (1,8). Iam enarratur quomodo in regione samaritana evangelium sit propagatum idque per illum quem post Stephanum in ordine ministrorum commemorat Lucas (6,5) v. 5 *Philippus autem descendens in civitatem Samariae* εἰς τὴν πόλιν τῆς Σαμαρείας; non est cur dubitemus hanc civitatem esse urbem ipsam Samariam, quod etiam e versibus 14 et 25 inter se collatis fortasse colligi potest; non tamen urbs sed regio est quae *Samaria* hoc loco vocatur; alias enim ex usu constanti legeremus εἰς τὴν πόλιν Σαμάρειαν (cf. 11,5; 27,8; *Patr.*). Ceterum eo tempore nomen urbis iam non erat Samaria, sed Sebaste, quod nomen Herodes urbi quam magnificentissime exornavit in honorem Augusti indiderat (cf. *Iosephus*, Antiq. 15,8,5. Bell. Iud. 1,21, 2). « Videte regiones, quia albae sunt iam ad messem » dixerat Iesus cum versaretur in regione samaritana; ipsi incolae exspectabant Messiam et credebant in Iesum salvatorem mundi (Ioan. 4,25. 35. 42); unde bene erant praeparati ad praedicationem evangelii; et Philippus *praedicabat illis Christum*, v. 6 *intendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur unanimiter*, maxima animorum consensione praedicationi attendebant *audientes et videntes signa quae faciebat* ἐν τῷ ἀκούειν etc. cum audirent etc.; impletur promissio Christi Marc. 16,17; v. 7 *multi enim eorum qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant*, βοῶντα ἐξήρχοντο, graece igitur patet, πνεύματα dici exire clamantia voce magna; unde πολλοί ponitur cum anacoluthia; satis dure quidem; unde lectio orta πολλῶν i. e. ex multis... exibant; aliter *Bl.* textum sanat inserto pronomine ἃ : πολλοὶ τῶν ἐχόντων πν. ἀκ. ἃ βοῶντα ἐξήρχοντο, tum enim verbum curati sunt ex v. 8 absolvit hanc quoque sententiam, v. 8 *multi autem paralytici* dissoluti nervis *et claudi curati sunt;* v. 9 *factum est ergo gaudium magnum in illa civitate;* in praecipua totius regionis urbe haec esse gesta, etiam ex eo fit probabilissimum, quia ibi versabatur Simon magus, qui sane non sibi delegit quamlibet civitatem, sed primariam.

Iam quanto successu praedicaverit Philippus et quam efficax fuerit apud Samaritanos gratia Dei praeclare illustratur in sequentibus eo, quod qui tantopere artibus maximi praestigiatoris capti erant et decepti, nihilominus prompte fidem susceperunt : *vir autem quidam nomine Simon* (*qui*, non habetur graece nec in gig; eo posito habetur anacoluthia sat molesta) *ante fuerat in civitate magus* μαγεύων artes magicas exercens, prout variis praestigiis uti solebant γόητες tum temporis valde frequentes per orientem, *seducens* ἐξιστάνων obstupefaciens, admiratione maxime percellens *gentem Samariae dicens*

se esse aliquem magnum; et quantopere mentes credulorum aestimatione sui compleverit declaratur v. 10 *cui auscultabant* προσεῖχον intendebant, uti v. 6, qua oppositione Lucas consulto et vim praestigiatoris et vim maiorem Philippi effert, *omnes a minimo usque ad maximum dicentes : hic est virtus Dei quae vocatur magna*, in eo igitur apparuisse aiebant virtutem Dei quae simpliciter *magna* vocatur; virtus Dei, δύναμις, fortasse angeli nomen est (cf. Rom. 8,38; 1 Petr. 3,22; *Felt.*), unde Simon excellentissimus angelus, cui nomen sit virtus Dei magna, declarari videtur, vel tamquam is in quo virtus Dei speciali modo humanam sibi copularit naturam, ut in ea *magna* manifestaretur. Quia tamen ἡ καλουμένη aliquid miri habeat, *Klostermann* coniecit μεγάλη esse accipiendum pro nomine samaritano מגלא seu מגלי *revelans :* Simonem esse virtutem Dei revelantem (cf. *Felt. Wendt, Bl.*); quam explicationem falsam esse *Nestle* affirmat monens illud καλουμένη in sat multis codicibus non legi (l. c. p. 52); vide lect. var.

Iustinus martyr, qui ipse erat Samaritanus, testatur Simonem oriundum fuisse Gittis e vico Samariae (cf. Apol. 1,22. 56; c. Tryph. n. 120; *M.* 6,368. 413. 756). Inde quoque explicatur, cur Samaritani ei se addixerint honori sibi ducentes quod suus civis tanta potestate sit praeditus v. 11 *attendebant autem eum* προσεῖχον, *propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos* ἐξεστακέναι, in admirationem, in stuporem eos rapuisset. Quo magis eum admirabantur, eo magis elucet vis evangelii, virtus Dei in salutem (Rom. 1,16). v. 12 *cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu* et de nomine Iesu (cf. 3,6; 4,10.18), gig : evangelizanti regnum Dei et de nomine Iesu, *baptizabantur viri ac mulieres ;* de locutione vulg. in nomine Iesu baptizari vide ad 2,38. Cum igitur maxima pars credidisset, v. 13 *tunc Simon et ipse credidit et cum baptizatus esset adhaerebat Philippo;* utrum revera crediderit, an in speciem, incertum esse *Patr.* ait; commendat expendenda verba Petri in v. 21.23, et *Beel.* censet posse disputari verene crediderit, an vero externa tantum specie fidem sit professus; « neque enim in Lucae narratione dictum quidquam est quod te *cogat*, ut altera sententia reiecta alteram amplectaris »; nam cum Scriptura loquatur more hominum, potest Simon dici credidisse, quia exterius profitebatur se credere (*Lap.*). Veteres generatim satis dure de eo loquuntur; ita *Eusebius* τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καθυποκρίνεται (h. e. 2,1; *M.* 20,137), *Augustinus* eum corvum in Ecclesia fuisse dicit (tract. in Ioan. 6,18; *M.* 35,1434) *Ambrosius :* puram conscientiam fidei non habebat (de poenitentia 2,4; *M.* 16,503), *Hieronymus* eum quidem aqua baptizatum dicit, sed nequaquam in

salutem (in Ez. 16; *M.* 25,127), eum fidem simulasse existimant *Irenaeus* (adv. haer. 1,23,1; *M.* 7,670) et *Cyrillus* hierosolymitanus (prooem. cat., catech. 3,7; *M.* 33,341. 437) etc. Quidquid est, magnitudine miraculorum pervidit, in Philippo veram Dei potentiam esse efficacem : *videns etiam signa et virtutes maximas fieri stupens admirabatur,* δυνάμεις μεγάλας cum allusione ad v. 10.

Philippus diaconus solum baptizabat; Spiritum sanctum dare manuum impositione apostolorum erat (*Isidorus, Epiphanius* in cat.) v. 14 *cum autem audissent apostoli qui erant Ierosolymis,* cf. v. 1; perperam censet *spitta* hoc additamento apostolos in Ierusalem opponi Philippo apostolo in Samaria et proinde non Philippum diaconum, sed apostolum in Samaria praedicasse, sed Lucas refert id quod 8,1 indicaverat; posse quoque intelligi in oppositione ad eos qui in Iudaea vel Galilaea commorati sint *Bels.* existimat (p. 250), *quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem;* « aliquem *mittere* non eius tantummodo est qui illi auctoritate praestat; sic Iudaei Ismaelem pontificem maximum πέμπουσι *mittunt,* inquit Flavius Iosephus, ad Neronem usque Romam » (Antiq. 20,8,11; *Patr.*). Plura in eundem sensum afferunt *Cai. Salm. Lap. Beel.* etc. cf. Ios. 22,13. 14; Act. 15,2 et *Salm.* concludit : « quae omnia in haereticos hunc locum sine ratione urgentes mihi dicta sunt, qui propter verbum ambiguum et aequivocum missionis non debebant tot ac tanta Petri apertissima privilegia infringere; nam certis incerta, perspicuis ambigua, rebus verba et plurimis pauca merito cedere oportet ».

Cur hi missi sint declaratur v. 15 *qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum;* v. 16 *nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine* εἰς τὸ ὄνομα *Domini Iesu;* cf. 2,38; notum est in latinitate vulgari poni promiscue *in* cum ablativo, ubi accusativum exspectabas. Baptismus Christi est baptismus quo Spiritus sanctus datur; nam ille est qui baptizat in Spiritu sancto (cf. Matth. 3,11). Quare intelligitur illos nondum accepisse gratiam abundantem Confirmationis, quae gratia abundantior illis temporibus saepe donis charismaticis etiam externe manifestabatur. Unde dicit *Chr.* : Spiritum acceperant remissionis peccatorum, nondum Spiritum signorum; v. 17 *tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum;* habes hic praeter baptismum alterum ritum sacramentalem : signum externum, manuum impositionem, orationem (v. 15), quod signum est efficax gratiae. Eodem modo Paulus apostolus baptizatis manus imponit et Spiritus sanctus venit super eos et loquebantur linguis et prophetabant (19,5. 6); cf. Eph. 1,13 credentes signati estis Spi-

ritu promissionis sancto qui est pignus hereditatis nostrae (2 Cor. 1,21).

Apud Samaritanos quoque Spiritum sanctum ex manuum impositione datum esse signis externis et visibilibus, perspicuum fit ex v. 18 *cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam* v. 19 *dicens : date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum;* rite intellexit eam potestatem talem esse debere quae non in solis apostolis concludatur, sed quae per apostolos aliis quoque tribui et ita in regno Christi continuari et conservari possit ac debeat. Ea quidem in re Simon se prudentiorem praebet quam aliqui recentiores acatholici qui Petrum quidem primatem apostolorum agnoscunt, at eam dignitatem debere permanere in Ecclesia adeoque ad successores transire non intelligere volunt. Simon autem eam potestatem indignissime tractavit, dum eam in quaestum turpem sibi procurare vellet et simul ostendit quam longe mens ipsius abesset a fide, quoniam petiit, ut *cuicumque* imponeret manus ille acciperet Spiritum. Animi eius perversitatem Petrus perspexit; ambos ille compellaverat, Petrus, ut primas respondet : *Petrus autem dixit ad eum :* v. 20 *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri;* talem quippe animi dispositionem manifestat, qua in perditionem et damnationem abreptum eum iri certum videtur; ut Petrus suum exprimat horrorem, simul pecuniam quam ad scelus illud adhibere voluit tamquam rem plane scelestam et praemium flagitii perditioni devovet. Infertur enim Deo iniuria quia donum coeleste venale esse et a quocumque pecunia possideri posse existimavit. « Non imprecando, sed comminando, vel quemadmodum in aliis Bibliorum locis similia horum prolata videmus, praedicendo Petrus Simoni haec dixit; nam hunc continuo, ut poenitentiam ageret v. 22, hortatus est » (*Patr.*). Talia proferri ex zelo iustitiae alii monent (*Bed. Lap.*).

Plane indignum se exhibet qui eiusmodi potestatis particeps fiat v. 21 *non est tibi pars neque sors in sermone isto* i. e. hac in re quam accipere vis (v. 19), scil. in receptione et donatione Spiritus; λόγος accipitur uti דבר (*Cai. Salm. Lap. Beel. Patr. Felt.*), *Weiss* intelligit verbum quod Simon modo protulit; *Bl.* in evangelio ei non esse partem explicat; *cor enim tuum non est rectum coram Deo,* videns enim artes suas magicas ingenti intervallo distare a virtute Spiritus, hanc potestatem acquirere exoptavit, quo maiore successu pergeret suas agere partes apud Samaritanos, quas eousque cum magna admiratione egerat. Ad quid mentem suam dirigere debeat, docet eum

Petrus simul declarans quomodo evitet ne comminatio illa v. 20 sibi contingat v. 22 *poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua,* ἀπὸ ut scil. mentem vera resipiscentia mutes et cum dolore de nequitia admissa animum mentemque omnino ab illa avertas; de notione μετανοεῖν vide 2,38 et 3,19 et quae notavi in Comment. Matth. I p. 117; *et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui* ἐπίνοια consilium, propositum; εἰ ἄρα, qua particula apposita docetur valde difficile esse negotium poenitentiae pro eiusmodi homine (cat.) et *Ammonius* notat ambigue Petrum loqui, ut eum in timorem coniiciat, quo magis cum lacrimis et fervore Deum exquirat (cat.) et Athanasius ea dictione indicari ait valde difficile esse tale vulnus curare, at spem sanationis non auferri (cat.). Dubitat Petrus, num Simon in tantum vere acturus sit poenitentiam, quantum requiratur, ut Deus ignoscat. Et cur cum aliqua dubitatione loquatur, revera multum est causae v. 23 *in felle enim amaritudinis et obligatione* vinculo *iniquitatis video te esse* εἰς χολὴν... ὄντα i. e. video te cecidisse in vinculum et nunc ibi esse, te pervenisse ad fel amarum et in hac animi pravitate esse; est enim fel amaritudinis (Deut. 29,17. Hebr. 12,15) mali ac depravati animi vitiositas quae aliis quoque noxia sit (*Patr.*); σύνδεσμος, i. e. vinculo et compedibus, ita iniquitate firmiter est tentus et constrictus. Iam vero qui ita sese pravitati addixit et quasi immersit, de eius sincera poenitentia licet dubitare.

Simon comminatione v. 20 utique territus est v. 24 *respondens autem Simon dixit : precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quae dixistis; horum,* unum habetur in v. 20, sed quod multa complectitur; alterum innuitur in v. 22; plura fortasse comminati sunt Petrus et Ioannes. Solum poenas averti cupit; nihil de resipiscentia. Notat *Chr. :* cum oportuisset ex corde poenitentiam agere, cum oportuisset lacrimas fundere, ille solum ἀφοσιώσει (specie tenus) hoc facit; et *Cassiodorus :* tali reverberatione convictus petebat labiis pro se orari quod in corde non habuit. Atque eum non resipuisse, iis satis superque patet quae veteres de hoc haeresiarcha narrant; cf. *Irenaeus* (adv. haer. 1,23, 1; *M.* 7,670); *Iustinus* (Apol. 1,26. 56; c. Tryph. n. 120; *M.* 6,368. 413. 756), *Tertullianus* (de praescript. 46; *M.* 2,61), *Gregorius* (in ps. poenit. 5,13; *M.* 79, 610), ut omittam quae in Recognitionibus (1,72; *M.* 1,1246 seq.) et in homiliis clementinis (*M.* 2,89 etc.) de eo dicuntur. Quandoque putatum est apud Iosephum quoque fieri mentionem de Simone mago (Antiq. 20,7,2); verum recentissimus editor eo loco iam non legit Σίμωνα, sed Ἄτομον, qui Iudaeus et genere Cyprius dicitur, quod utrumque Simoni mago non congruit, si Iustino fides est adhibenda.

Apostoli autem, uti Samaritanis maiorem Spiritus gratiam attulerant, ita fidem quoque confirmarunt et inter eos propagarunt v. 25 *et illi quidem* οἱ μὲν οὖν, plane arbitrarie refert *Hilg.* id ad, 8,4; sed quinam intelligendi sint, ex v. 24 ὑμεῖς, εἰρήκατε satis elucet; colligitur quoque ex μέν, qua particula iam innuitur narrationi de apostolis subiungi aliud de Philippo; *testificati et locuti verbum Domini* (cf. 2,40; 4,29. 31) *redibant Ierosolymam* diutius scil. in reditu immorabantur per varias regiones circumeuntes, unde ὑπέστρεφον, *et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant.*

Duo offendicula in hac narratione deprehendunt critici. Et *Hilg.* quidem censet ea quae v. 9-24 narrantur nullo modo componi posse cum iis quae praecedunt v. 5-8; fieri enim nullatenus posse, ut populus qui statim unanimiter praedicationi de Iesu fidem adhibeat, antea eadem unanimitate Simonem tamquam magnam Dei virtutem veneratus sit; neque cogitari posse magum illum nullo modo restitisse Philippo, verum e contra ei adhaesisse, miracula esse admiratum. — Sed criticus varia non attendit. Samaritanos *statim* (sofort) credidisse, non dicitur; προσεῖχον in v. 6 iam longiorem durationem indicat. Vera et multa miracula, quibus Deus gratia sua animos de fraudibus magi edocuit, vim suam exercebant. Utique si quis et miracula negat et de gratia Dei et eius efficacia nihil cogitat, conversionem non solum Samaritanorum, sed etiam aliorum omnium negare debebit. — Alii offendiculum inveniunt in eo quod praeter baptismum requiratur impositio manuum per apostolos facta ut accipiatur Spiritus sanctus; id quidem etiam indicari 19,6; sed cum haec notio alias non reperiatur, critici eam partem a fonte originali separant contendentes talem sententiam a tempore apostolico fuisse alienam. Verum haec plane gratuito statuuntur. Nam gratia et dona Spiritus sancti profecto possunt augeri; proin Spiritus sanctus potest dici iterum dari; non solum hoc loco, sed etiam 19,6 de tali impositione post baptismum mentio fit; in utroque loco textus omnino est integer, a nullo in dubium vocari potest. Solum praeoccupata opinione contra doctrinam catholicam de Confirmatione potest quis induci, ut rem planam et obviam obscuret. — Non Philippum diaconum, sed Philippum apostolum esse intelligendum *Spitta* contendit; idque assertione fulcit plane gratuito facta, in fonte originali hanc narrationem fuisse positam post illam de prima commoratione Pauli in Ierusalem (9,26-30), non post narrationem de Stephano. Sed de Philippo diacono esse sermonem etiam aperte constat ex 21,8, ubi unus de septem vocatur habitans Caesareae, et eo modo remittimur ad 8,40 et 6,5; de Philippo *apostolo* nullibi in Act. (excepto nomine 1,13) est sermo; *apostolus* 8,14-17 excluditur.

f) Baptizatur vir Aethiops 8,26-40.

8,26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge, et vade contra meridianum, ad viam quae descendit ab Ierusalem in Gazam; haec est deserta. 27. Et surgens, abiit. Et ecce vir Aethiops, eunuchus potens Candacis reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem. 28. Et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adiunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam prophetam, et dixit : Putasne intelligis quae legis? 31. Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum.

32. Locus autem Scripturae quam legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 33. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius? 34. Respondens autem eunuchus Philippo dixit : Obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura ista, evangelizavit illi Iesum.

36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; et ait eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo filium Dei esse Iesum Christum. 38. Et iussit stare currum : et descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. 39. Quum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

8,26. Ἄγγελος δὲ Κυρίου ἐλάλησεν πρὸς Φίλιππον, λέγων, Ἀνάστηθι καὶ πορεύου κατὰ μεσημβρίαν, ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Γάζαν. αὕτη ἐστὶν ἔρημος. 27. καὶ ἀναστὰς ἐπορεύθη· καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ Αἰθίοψ εὐνοῦχος δυνάστης Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς, ὃς ἐληλύθει προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ, 28. ἦν δὲ ὑποστρέφων καὶ καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος αὐτοῦ, καὶ ἀνεγίνωσκεν τὸν προφήτην Ἡσαΐαν. 29. εἶπεν δὲ τὸ Πνεῦμα τῷ Φιλίππῳ, Πρόσελθε καὶ κολλήθητι τῷ ἅρματι τούτῳ. 30. προσδραμὼν δὲ ὁ Φίλιππος ἤκουσεν αὐτοῦ ἀναγινώσκοντος Ἡσαΐαν τὸν προφήτην, καὶ εἶπεν, Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; 31. ὁ δὲ εἶπεν, Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην, ἐὰν μή τις ὁδηγήσει με; παρεκάλεσέν τε τὸν Φίλιππον ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ.

32. ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς ἣν ἀνεγίνωσκεν, ἦν αὕτη, Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ. 33. ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. 34. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ εὐνοῦχος τῷ Φιλίππῳ εἶπεν, Δέομαί σου, περὶ τίνος ὁ προφήτης λέγει τοῦτο; περὶ ἑαυτοῦ ἢ περὶ ἑτέρου τινός; 35. ἀνοίξας δὲ ὁ Φίλιππος τὸ στόμα αὐτοῦ, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης, εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν.

36. ὡς δὲ ἐπορεύοντο κατὰ τὴν ὁδόν, ἦλθον ἐπί τι ὕδωρ· καί φησιν ὁ εὐνοῦχος, Ἰδοὺ ὕδωρ· τί κωλύει με βαπτισθῆναι; (37. εἶπεν δὲ ὁ Φίλιππος, Εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, ἔξεστιν. ἀποκριθεὶς δὲ εἶπεν, Πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν). 38. καὶ ἐκέλευσεν στῆναι τὸ ἅρμα· καὶ κατέβησαν ἀμφότεροι εἰς τὸ ὕδωρ, ὅ τε Φίλιππος καὶ ὁ εὐνοῦχος· καὶ ἐβάπτισεν αὐτόν. 39. ὅτε δὲ ἀνέβησαν ἐκ τοῦ ὕδατος, Πνεῦμα Κυρίου ἥρπασεν τὸν Φίλιππον· καὶ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι ὁ εὐνοῦχος, ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ

40. Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Caesaream.

χαίρων. 40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον· καὶ διερχόμενος εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας, ἕως τοῦ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς Καισάρειαν.

In v. 27 non habent ος ante εληλυθει ℵ* A C* D* vulg sah; gig hic venerat. In v. 32 κειροντος B P al plu Or; pler κειραντος. Habent v. 37 E mu minusc cat phc* gig vulg arm Ir Cyp Oecum Theoph Beda ex graeco; sed om ℵ A B C H L P 13. 61 al plus 80 am* fuld syr sah cop aeth Chr Ti WH.

Cum Aethiops hic ad festum ascendat in Ierusalem et cum studio quoque et lectioni s. litterarum deditus sit, videtur fuisse non solum proselytus portae, sed iustitiae; neque opus est vocem eunuchi accipere sensu stricto de spadone (cf. Gen. 39,1). Philippus qui Samaritanis praedicaverat etiam eligitur, ut eum in regnum messianum admittat; v. 26 *angelus autem* (δὲ; cf. v. 25 οἱ μὲν) *Domini locutus est ad Philippum dicens : surge et vade contra meridiem* plagam meridionalem versus, *ad viam quae descendit ab Ierusalem in Gazam; haec est deserta :* Philippum in regione samaritana hoc accepisse mandatum plerique recte censent (*Chr. Oec. Theoph. Salm. Lap. Calm. Patr. Felt. Wendt*) et arcta connexione cum v. 25 (μὲν-δὲ) omnino suadetur; eum in Ierusalem fuisse aliqui volunt (*Zeller, Weiss*), sed si angelus in Ierusalem locutus esset, vix dixisset *quae descendit ab Ierusalem*. Indicatur Philippo, per quam viam ire debeat, cum et olim et hodie per plures vias quis a Ierusalem in Gazam tendere possit; viam eligat *desertam,* quae scil. per regionem solitariam et desertam ducat. Illud *haec est deserta* referri ad viam iam exprimitur in versione syriaca et sequuntur *Chr.* (hoc dicit, ne timeat Iudaeorum incursum) *Oec. Patr. Felt. Wendt, Bl. Weiss, Hilg.;* alii ad urbem Gazam referunt (*Bed. Cai. Salm. Lap. Calm. Beel.*); sed cum Philippus non in ipsam urbem perveniat, cur urbs describeretur? Qualis via sit seligenda, ut eunuchum inveniat, hoc angelus eum docere debet; de ipsa urbe Gaza neque angelus neque Lucas sollicitus est. Gaza, עַזָּה (Gen. 10,19. Ios. 10,41. Iud. 1,18 etc.) urbs philisthaea prope a mari mediterraneo in regione meridionali Chanaan sita, ab Alexandro Iannaeo eversa erat et destructa (anno 96 a. Ch.); Gabinius urbem iterum instauravit; denuo a Iudaeis eversa est initio belli iudaici (cf. *Iosephus* Antiq. 13,13,3; 14,5,3. Bell. iud. 1,4,2; 2,18,1).

Illud κατὰ μεσημβρίαν aliqui accipiunt non de regione, sed de tempore diei : surge et vade circa tempus meridiei (*Nestle, Hilg.;* cf. Gen. 18,1; 43,16); sed v. 27 *et surgens abiit,* dictione hac iisdem verbis expressa (cf. graece) indicatur mandatum angeli esse statim

impletum; quare in ea acceptione potius narrari debuit angelum circa meridiem ad eum locutum esse, non autem : vade circa meridiem; *et ecce, vir Aethiops, eunuchus, potens Candacis reginae Aethiopum; qui erat super omnes gazas eius,* εὐνοῦχος dicitur etiam notione generaliore de aulico; additur δυνάστης princeps, minister in aula regia potens, cuius munus erat praeesse aerario et thesauris reginae. Regnare feminas apud Aethiopes *Eusebius* de suo etiam tempore testatur (h. e. 2,1; *M.* 20,137). Nomen earum reginarum commune erat Candace, uti Pharao regis nomen apud Aegyptios; regnare enim feminam Candacem quod nomen multis iam annis ad reginas transiit, scribit *Plinius* (n. h. 6,35,7; cf. Dio Cassius 54,5). Metropolis eius reginae fertur Napata; *venerat adorare in Ierusalem;* erat itaque proselytus; v. 28 *et revertebatur sedens super currum suum legensque Isaiam prophetam;* « magnis hic laudibus celebratur, siquidem in Aethiopia vivens et tot negotiis obrutus, cum in civitate superstitionibus dedita versaretur, venit adoraturus in Ierusalem; magnaque erat diligentia, nam in curru sedens legebat, et hoc illius discendi cupiditatis signum est, quod prophetam illum aliis sublimiorum (ὑψηλότερον) prae manibus habuerit » (*Chr.*).

Iam discit cur missus sit v. 29 *dixit autem Spiritus Philippo : accede et adiunge te ad currum istum;* τὸ πνεῦμα de illo angelo intelligere (*Salm.*) non est ratio; « quid enim causae sit, cur quem modo angelum vocaverat, nunc Spiritum nominaret? itaque sentio intelligendum hic esse Spiritum sanctum qui per internam inspirationem aut mentale verbum, ut infra 13,2 et 16,6. 7 Philippum iussit ut accederet » (*Beel.* sim. *Patr. Felt.*); vidit enim cordium inspector, qui omnes homines vult fide salvari, pium illum (οὕτως ἔχοντα φιλοθέως) eique Philippum inexspectato sistebat (*Severus* cat.); v. 30 *accurrens autem Philippus audivit eum legentem Isaiam prophetam et dixit : putasne intelligis quae legis?* ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; paronomasiam habes, uti Matth. 6,16; 2 Cor. 3,2; 2 Thess. 3,11; Hebr. 5,8 etc.; ἆρα i. e. num, ponitur, « ut aliquid sive verae sive fictae dubitationis admisceat » (*Buttmann*); cum hic γε addatur particula sermonem acuens, vera exprimitur dubitatio. Ille vero candide fatetur v. 31 *qui ait : et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* « non respexit habitum, non dixit : tu quis es? non redarguit, non arroganter loquitur, non se scire dicit, sed ignorare fatetur; ideoque discit; monstrat vulnus medico » (*Chr.*); monent *Salm. Lap.* contra haereticos scripturas non esse adeo faciles, apertas, perspicuas; verba recitant Hieronymi : « agricolae, caementarii, fabri metallorum, lignorum caesores, lanarii quoque et fullones et ceteri

qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt; quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est quam sibi omnes passim vindicant... hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant », et : « venit Philippus, ostendit ei Iesum qui clausus latebat in littera... ut intelligeres te in Scripturis sanctis sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi » (cf. ep. 53 n. 5. 6; *M.* 22, 544).

Vide studium, vide desiderium (*Chr.*), *rogavitque Philippum, ut ascenderet et sederet secum;* v. 32 *locus autem Scripturae quam legebat erat hic,* περιοχή dicitur de argumento alicuius scripti vel de ipsis verbis; alia est significatio particula alicuius libri vel sectio qua altera significatione (quam tamen aliqui negant, uti *Wendt;* ὑπόθεσιν explicat Hesychius) vocem accipit *Chr.* eamque admittunt *Beel. Felt. Bl.* et exprimit versio syriaca (פסוקא sectio), *tamquam ovis ad occisionem ductus est et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum;* v. 33 *in humilitate iudicium eius sublatum est* ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, sensus esse videtur, Christum passum esse eousque se *deprimi,* ut in ipsius causa cognoscenda aequum iudicium seponeretur proculque amandaretur (*Patr.*); *generationem eius quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?* verba desumpta sunt ex Is. 53,7. 8 secundum LXX; explicationem vide in Comment. Is. ad h. l.; v. 34 *respondens* i. e. ex loco hoc lecto occasionem interrogandi capiens vel ansam loquendi; ita saepe *respondere* usurpatur, *autem eunuchus Philippo dixit : obsecro te, de quo propheta dicit hoc? de se an de alio aliquo?* duce benigna Dei providentia in locum incidit annuntiationi messianae aptissimum; v. 35 *aperiens autem Philippus os suum,* formula est sollemnis ad sermonem gravem longioremque indicandum (cf. ad Matth. 5,2; 13,35. Iob 3,1) *et incipiens a scriptura ista evangelizavit illi Iesum,* simulque ei exposuit quo modo oporteat intrare in regnum messianum, scil. per regenerationem ex aqua et Spiritu sancto, uti apparet ex v. 36 *et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, et ait eunuchus : ecce aqua; quid prohibet me baptizari?* « non dixit : baptiza me; sed quid prohibet? per interrogationem magnum suum ostendens baptismi desiderium » (*Theoph.*).

De v. 37 notat *Bl.* : « facile intellegitur et a plena narratione haec abesse non potuisse, et potuisse a contractiore »; ceterum versus non caret valenti antiquitatis testimonio; nam Irenaeus et Cyprianus antiquitate suae testificationis longe superant codices omnes; v. 37 *dixit autem Philippus : si credis ex toto corde* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, nota

eodem modo legi Luc. 10,27, dum in loco parallelo Matth. et Marc. aliter habeatur, *licet; et respondens ait : credo Filium Dei esse Iesum Christum,* Christum omittunt vulg. quidam codices et Irenaeus. Habemus hic antiquissimam eandemque brevissimam formulam confessionis in baptizando adhibitae (*Bl.*); fides erat profitenda dogmatica, Iesum hominem illum esse vere Filium Dei; proin mysterium Incarnationis et quod ei intime iunctum est redemptionis mysterium nosci et credi debuit; atque in ipsa loci Isaiae explicatione sermo erat inferendus de redemptione, de satisfactione Messiae vicaria, de eius morte ac resurrectione; ex hac autem satisfactione etiam perspicitur malitia peccati. Unde omnia quae ad baptismum rite suscipiendum requiruntur, ibi contineri et exposita esse liquet. Bene notat *Beel.*, versum hunc speciem cuiusquam glossematis nullatenus referre; « talia enim sunt quae commate dicuntur, ut dramatice referant actum ab eunucho et Philippo positum; atqui eiusmodi non sunt quae cognoscuntur glossemata ».

Audivit eunuchus *licet;* unde v. 38 *et iussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum;* scribit Hieronymus : « Bethsoron vicus est euntibus ab Aelia Chebron in vigesimo lapide, iuxta quem fons ad radices montis ebulliens (ab eadem in qua gignitur sorbetur humo); referunt in hoc esse eunuchum baptizatum » (de situ et nominibus locorum hebr. *M.* 23, 882); v. 39 *cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum et amplius non vidit eum eunuchus;* cum subito dispareret ex oculis Philippus, eunuchus aperte didicit rem actam esse divinam, non esse humanum quod circa ipsum factum sit (*Chr.*), verum se insigni beneficio divino esse edoctum et ad fidem adductum et regno messiano adscriptum; unde cum magna animi laetitia revertitur ad suam regionem : *ibat autem per viam suam gaudens;* evanuit quasi ex oculis Philippus; id eunucho quoque signo erat iter esse continuandum, sibi esse revertendum ad munus et regionem suam, in qua beneficii accepti memorem aliis quoque viam salutis eum demonstrasse facile tibi persuaseris. Graece γάρ : continuabat *enim* etc. i. e. explicatur, quomodo ex subita illa ablatione Philippi didicerit sibi esse iter continuandum; vis enim particulae id quod iam explicatur refert ad id quod praecessit, quasi pro re nata iam recte atque ordine hoc ita se habere dicatur, quod latini *igitur* dicunt; quare Devarius γὰρ dixit fere eodem modo usurpari quemadmodum γοῦν (cf. *Klotz,* Dev. II p. 235; sim. *Beel. :* continuabat *igitur* iter suum).

Philippo autem idem accidit quod 3 Reg. 18,12 enuntiatur (cf. Ez.

3,14. Dan. 14,35. 38); v. 40 *Philippus autem* Spiritu Domini raptus et miraculo in aliam regionem translatus *inventus est in Azoto*, in urbe philisthaea, ducentis septuaginta stadiis septemtrionem versus a Gaza sita; tempore Machabaeorum bis erat expugnata et partim destructa (1 Mach. 5,68; 10,84; 11,4); Gabinius eam instauravit (anno 55 a. Ch. cf. *Iosephus*, Antiq. 14,5,3) *et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis* regionis maritimae illius *donec veniret Caesaream;* hic domicilium constituit (21,8); urbs eo loco ad mare sita est inter Ptolemaidem et Ioppen, ubi antea Turris Stratonis erat; Herodes urbem condidit et in honorem Augusti eam nominavit Καισάρειαν Σεβαστήν; sedes erat procuratorum romanorum (cf. Antiq. 15,9,6; 16,5, 1; 18,3,1. Bell. iud. 1,21,5-8; 2,9,2; 7,10,1); eam Tacitus quoque Iudaeae caput vocat (Hist. 2,79).

Haec habet *Irenaeus* : ipse eunuchus credens et statim postulans baptismum dicebat : credo Filium Dei esse Iesum. Qui et missus est in regiones Aethiopiae praedicaturus hoc quod ipse crediderat (adv. haer. 3,12,8; *M.* 7,901). *Cyprianus* (testim. 3,43; *M.* 4,758) haec habet : tunc dixit Philippus : si credis ex toto corde tuo, licet. Addi potest *Pacianus* qui in sermone de baptismo n. 6 (*M.* 13,1093) ut probet nos denuo nasci posse, haec profert : sic enim ait Philippus : si credis potes. — Eunuchum evangelium annuntiasse *Eusebius* quoque innuit ita scribens : « totius orbis fidelium primitiae factus in patriam reversus Dei notitiam et Servatoris nostri salutarem in terras adventum primus praedicasse fertur » (h. e. 2, 1; *M.* 20,137).

Aliqui critici contendunt falso addi in v. 40 adventum in urbe Caesarea, quia mentio Philippi non fiat 9,30, neque in cap. 10, neque 18,22. Philippus dicitur evangelista (21,8); proin non semper uno in loco remansit; neque ex eo quod domum haberet sequitur eum nunquam potuisse abesse a Caesarea. Nulla apparet ratio cur in illis narrationibus nominari potuerit vel debuerit. Et quamvis 21,8 dicatur domum habere Caesareae, tamen de illo non fit sermo in narratione de captivitate Pauli in eadem urbe (cap. 24-26). Alitèr contra v. 40 agit *Spitta* : Philippus postquam in regione septemtrionali praedicavit, sese 8,26 confert in partes meridionales. Verum hoc scriptoris consilium manifestum manifesto perturbatur v. 40, secundum quem versum iterum septemtrionem versus tendit, quamvis ibi iam praedicaverit. — Sed ubinam est consilium vel intentio scriptoris, Philippum in partibus meridionalibus praedicasse? ad unum eunuchum baptizandum eam in regionem tendit, a qua statim transfertur Azotum! Et si in Samaria praedicavit, quid impedit, quominus etiam in regione maritima verbum annuntiet? Aliam sibi fingit *Spitta* narrationem et quam sibi finxit impugnat!

g) Sauli conversio et primi labores 9,1-30.

α) Visio prope Damascum 9,1-9.

9,1. Saulus autem adhuc spirans
minarum et caedis in discipulos Domini,
accessit ad principem sacerdotum, 2.
Et petiit ab eo epistolas in Damascum
ad synagogas; ut si quos invenisset
huius viae viros ac mulieres vinctos per-
duceret in Ierusalem, 3. Et quum iter
faceret, contigit ut appropinquaret Da-
masco; et subito circumfulsit eum lux
de coelo. 4. Et cadens in terram audi-
vit vocem dicentem sibi : Saule, Saule,
quid me persequeris? 5. Qui dixit : Quis
es, Domine? Et ille : Ego sum Iesus
quem tu persequeris. Durum est tibi
contra stimulum calcitrare. 6. Et tre-
mens ac stupens dixit : Domine, quid me
vis facere? 7. Et Dominus ad eum :
Surge, et ingredere civitatem, et ibi
dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri
autem illi qui comitabantur cum eo, sta-
bant stupefacti, audientes quidem vo-
cem, neminem autem videntes. 8. Sur-
rexit autem Saulus de terra, apertisque
oculis nihil videbat. Ad manus autem
illum trahentes, introduxerunt Dama-
scum. 9. Et erat ibi tribus diebus non
videns, et non manducavit neque bibit.

9,1. Ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς
καὶ φόνου εἰς τοὺς μαθητὰς τοῦ Κυρίου,
προσελθὼν τῷ ἀρχιερεῖ, 2. ᾐτήσατο παρ'
αὐτοῦ ἐπιστολὰς εἰς Δαμασκὸν πρὸς τὰς
συναγωγάς. ὅπως ἐάν τινας εὕρῃ τῆς ὁδοῦ
ὄντας ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, δεδεμένους
ἀγάγῃ εἰς Ἱερουσαλήμ. 3. ἐν δὲ τῷ πο-
ρεύεσθαι ἐγένετο αὐτὸν ἐγγίζειν τῇ Δαμα-
σκῷ, ἐξαίφνης τε αὐτὸν περιήστραψεν φῶς
ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· 4. καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν
γῆν ἤκουσεν φωνὴν λέγουσαν αὐτῷ, Σαοὺλ,
Σαοὺλ, τί με διώκεις; 5. εἶπεν δὲ, Τίς εἶ,
Κύριε; ὁ δὲ, Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὃν σὺ
διώκεις· (σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτί-
ζειν. 6. τρέμων τε καὶ θαμβῶν εἶπεν,
Κύριε, τί με θέλεις ποιῆσαι; καὶ ὁ Κύριος
πρὸς αὐτὸν) ἀλλὰ ἀνάστηθι καὶ εἴσελθε εἰς
τὴν πόλιν, καὶ λαληθήσεταί σοι ὅτι σε
δεῖ ποιεῖν. 7. οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύον-
τες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐνεοί, ἀκούοντες
μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες.
8. ἠγέρθη δὲ Σαῦλος ἀπὸ τῆς γῆς·
ἀνεῳγμένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ,
οὐδὲν ἔβλεπεν, χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν
εἰσήγαγον εἰς Δαμασκόν. 9. καὶ ἦν ἡμέ-
ρας τρεῖς μὴ βλέπων, καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲ
ἔπιεν.

In v. 5 habent σκληρον σοι etc E 180. Occ Theoph syr ph c* vulg fl gig Lucif; v. 6 habetur in Occ Theoph ph vulg fl Hil aeth. In v. 7 gig neminem videntes cum quo loqueretur; item fl; sah audiebant quidem vocem sed non intelligebant. In v. 8 ουδεν ℵ A* B e syr ph vulg gig sah; al ουδενα.

Mirantur aliqui critici quod nunc sermo inferatur de fidelibus Damasci commorantibus, cum ea de re in antecedentibus nihil dicatur, immo id excludatur, quia 8,1 solum per regiones Iudaeae et Samariae et 11,19 usque Phoenicen, Cyprum, Antiochiam fideles dispersi perambulaverint. Quare *Hilg.* hoc loco iterum alium fontem (i. e. tertium) dicit a Luca excerpi, quia quod iam narratur cum antecedentibus componi nequeat (p. 431). Verum acuti homines non attendunt id quod iam 2,5 seq. narratum est. Aderant die pentecostes Iudaei et proselyti ex variis regionibus; tria millia Iesu nomen dederunt; num hi omnes erant incolae hierosolymitani? multi ex iis post ali-

quod tempus domum redierunt (cf. *Beel. Patr. Bels.*). Cur non aliqui etiam ex Damasco adfuisse censendi sunt, ex urbe, quacum magnum Hierosolymitanis intercedebat commercium? Atque maximam Iudaeorum multitudinem Damasci habitasse, colligitur eo quod magno bello exorto ad decem millia Iudaeorum iugulata sunt (*Iosephus*, Bell. iud. 2,20,2; immo 7,8,7 Eleazarum loquentem facit octodecim millia esse trucidata ea in civitate). Certum itaque est ex tot Iudaeis damascenis etiam multos in urbe die illo festo fuisse. Insuper scriptoris consilium nequaquam est *omnia* enarrare. Ergo quomodo potuerint esse Christiani Damasci, patet ex 2,5 seq.; eos ibi fuisse nunc dicitur. Quid plus requiri potest a scriptore qui ex pluribus quae facta sunt pauca solum narranda sibi sumit? Ita septem diaconos esse electos narravit; de duobus solum aliqua refert; duodecim apostolos nominavit, de tribus, Petro, Ioanne, Iacobo pauca quaedam refert.

Frustra quoque quaeruntur fontes narrationum diversi. Quos fontes habeat Lucas ipse nos docet : sicut tradiderunt *nobis*, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis (Luc. 1,2). Ipse comes Pauli et quod supra narraverat (7,57; 8,3) et quae nunc refert, ab optimo fonte, ipso Paulo, accepta habet; v. 1 *Saulus autem adhuc*, praeter id quod iam 8,3 relatum est, *spirans minarum et caedis in discipulos Domini;* ex adverbio *adhuc* colligas id quod Lucas narrare aggreditur evenisse aliquammulto tempore post Stephani mortem et cum Philippus Caesaream venit (8,40), Saulum etiam tum in Christianos saevire perrexisse. Quanto furore agitetur, ἐμπνέων describit; minae et caedes sunt quasi elementum ex quo spiritum ducat (*Grimm*); quare Paulus se ὑβριστήν vocat (1 Tim. 1,13) et supra modum dicit se Ecclesiam persecutum esse et evertisse (Gal. 1,13 gr.) et Act. 26,10 : et cum occiderentur, detuli sententiam. Non contentus eo modo saevire in Ierusalem, *accessit ad principem sacerdotem* — usque ad annum 36 p. Ch. Caiphas in ea erat dignitate — v. 2 *et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas*, ad praefectos synagogarum, *ut si quos invenisset huius viae viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem;* epistolis hisce probare voluit sibi a synedrio i. e. ab eius praeside potestatem esse factam talem et praefectos synagogarum debere sibi eo in negotio opem ferre. Considerabantur itaque Christiani tamquam blasphemi, apostatae, qui igitur non a minoribus iudicibus, sed a synedrio essent iudicandi et puniendi (cf. Matth. 26,65).

Quaerit *Hilg.* : quomodo scriptor potuit intelligi a lectoribus, si simpliciter scribit ἡ ὁδὸς et ea voce rem christianam designabat? Profecto, si ageretur de profano scriptore *Hilg.* conclusisset *ex hoc*

ipso usu, tum temporis et apud eos pro quibus scribit Lucas vocem ea notione usurpatam esse, uti bene dicit *Chr.* : ὁδὸν vocat, quia sic ab omnibus vocabatur (sim. *Oec.*, *Theoph.*); qui vocis usus cernitur saepius; cf. 18,25. 26; 19,9. 23; 22,4; 24,22. Quae notio ad hebraismum refertur; nam דֶּרֶךְ ὁδὸς, via dicitur de ratione agendi, vivendi, de modo quoque quo Deus agit cum hominibus et de ratione agendi et vivendi quam Deus ab hominibus observari vult (cf. Gen. 18,19; 19,31. 1 Sam. 18,14. Ps. 5,9; 18,31; 27,11. Prov. 12,15 etc). Cum autem postea ἡ ὁδὸς iam non reperiatur pro vivendi ratione fidelium, merito ex hac ipsa dictione in hoc libro adhibita concluseris priscam libri originem (cf. *Felt.*). Similiter Luc. 20,21 : viam Dei in veritate doces; ὄντας τῆς ὁδοῦ qui pertineant ad illam viam, sint eius quasi indolis (cf. Hebr. 10,39). Quod dicitur ἐὰν εὕρῃ, non vocatur in dubium ibi esse fideles, sed in quaestionem vocatur, utrum ei contingat aliquos deprehendere necne (cf. *Weiss*). Damascus, urbs olim totius Coeles Syriae nobilissima, distabat Hierosolyma itinere sex dierum, circiter 180 millia passuum (*Patr.*).

Verum Christus fideles suos Damasci degentes tuetur et ipsum persecutorem sibi subdit; v. 3 *et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco et subito circumfulsit eum lux de coelo*; v. 4 *et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi :* hebraea dialecto 26, 14 i. e. aramaice *Saule, Saule quid me persequeris, me,* quae membris suis fiunt, sibi, capiti, collata reputat (cf. Matth. 25,35-40; *Beda*). Ex hac Christi ad Paulum voce facile intellexeris, cur apostolus toties in epistolis fideles esse *in* Christo efferat, et unionem illam intimam cum Christo, Ecclesiam esse corpus Christi, caput esse Christum adeo sedulo describat (cf. Rom. 6,3 seq. 12,5. 1 Cor. 1,2; 6,15; 12,12. 2 Cor. 1,21; 4,17. Gal. 3,27. 28. Eph. 2,5. 13; 4,15. Col. 1,24; 2,19 etc. etc.); v. 5 *qui dixit : quis es Domine?* vox est reverentiae (*Beel.*); *et ille : ego sum Iesus quem tu persequeris;* quod sequitur et etiam v. 6 hoc loco apud paucos testes legitur (vide lect. var.), videtur depromptum ex duplici narratione 22,10 et 26,14 (*Calm. Felt.*); *durum est tibi contra stimulum calcitrare,* locutio est proverbialis, quae, uti iam *Salm.* ostendit, etiam apud profanos, Aeschylum, Euripidem, Terentium, invenitur. Ducta est a bobus, qui cum ab aratoribus vel aurigis stimulo punguntur, contra stimulum recalcitrant, sed eo magis stimulum induunt eoque acrius punguntur et dolorem sibi augent. Hac itaque persecutione Saulus sibi ipsi magnum infert damnum; ipsique maxime noxium et fatale erit, si voluntati Iesu velit resistere. Illa enim quaestione v. 4 et asseveratione v. 5 iam ei infigitur stimulus i. e. panditur voluntas

Iesu, ut se agnoscat; contra hanc voluntatem et manifestationem agere non poterit esse nisi resistenti maxime asperum, damnosum.

Plerumque locutionem proverbialem ita accipiunt, ut Saulus censeatur iam expertus esse stimulos conscientiae contra suam persequendi rationem. Putant enim verbis illis indicari Sauli animum antequam Iesus illi appareret iam crebris interioris gratiae divinae motibus excitatum fuisse, ut a proposito desisteret; quibus tamen motibus eum minime obtemperasse, sed contra restitisse (cf. *Salm. Beel. Patr.*) vel : stimulis miraculorum, sanctitatis, disputationum Stephani, praeclarissimi exempli quo veniam implorabat pro inimicis, constantiae ac pietatis fidelium crebro Christus pupugerat mentem Sauli, ut in se crederet (cf. *Lap. Menochius, Tirinus, Felt.*). Verum dubito num recte id statuatur. Paulus enim, sui ipsius et testis et accusator, de eiusmodi stimulis vel inspirationibus gratiae quibus restiterit et recalcitraverit non solum nihil fatetur, sed illa mihi negare videtur. Se vocat quidem blasphemum, persecutorem, contumeliosum (ὑβριστήν); sed simul addit : sed misericordiam consecutus sum quia ignorans ἀγνοῶν feci in incredulitate (1 Tim. 1,13). Fatetur se persecutum esse Ecclesiam; at simul dicit : et ego quidem existimaveram (ἔδοξα ἐμαυτῷ) me adversus nomen Iesu *debere* (δεῖν) multa contraria agere (Act. 26,9); fatetur se supra modum καθ' ὑπερβολήν persecutum esse Ecclesiam; sed qualem se tunc fuisse dicit? « abundantius aemulator exsistens paternarum mearum traditionum » (Gal. 1,14). Profitetur quidem se indignum qui vocetur apostolus quia persecutus sit Ecclesiam (1 Cor. 15,9); at simul dicit : non fui incredulus ἀπειθής inobediens *coelesti visioni* (Act. 26,19), nihil de sua contra inspirationes praevias contumacia. Proinde ex iis quae de se testatur et accusat nihil deprehendo quo censeatur stimulis conscientiae agitatus esse contra suum agendi modum; id unum mihi videre videor in Saulo evenisse, quod Christus suis praedixit : venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo (Ioan. 16,2), quocum plane congruere videtur illud quod de se confessus est Paulus coram Agrippa : ego quidem *existimaveram me debere* multa contraria agere adversus nomen Iesu Nazareni (Act. 26,9). Quare puto recte eos interpretari qui de eiusmodi stimulis silent. Ita silet *Calm. :* Dei consiliis resistebat Saulus Ecclesiam evertere molitus, sed contra stimulum calcitrabat : frustra nitebatur. Ad rem praesentem verba referre videtur *Haraeus :* me inspirante cor tuum, tu potes quidem inspirationem abiicere, sive mihi vocanti et excitanti dissentire; sed id durum tibi et noxium. Similiter *Barh :* non potes resistere meae potentiae.

Ea apparitione Iesum revera visum esse a Paulo certum est; nam

ipse Paulus verba Iesu refert : ad hoc enim apparui tibi ὤφθην σοι (Act. 26,16); idem dicit Ananias : Iesus qui apparuit tibi in via (9,17; 22,14) et Barnabas narrat apostolis quomodo in via vidisset Dominum (9,27); adde repetita ipsius Pauli testimonia a se visum esse Dominum (1 Cor. 9,1; 15,8. Gal. 1,16). Apparitione Iesu eiusque verbis Saulus iam in alium plane virum mutatus est; tantum enim abest, ut contra stimulum calcitret, ut plenissima devotione ad omne obsequium Domino se tradere spondeat v. 6 *et tremens ac stupens dixit : Domine quid me vis facere?* timore de rabie persecutionis corripitur, de ipsa apparitione, de Iesu viso in gloria, in corpore glorioso et splendorem diffundente quem eousque eversorem legis et Dei adversarium habuit, obstupefit; id unum efflagitat, quid Dominus a se postulet. Animum pandit generosum, qui quaecumque recta esse cognoverit in ea totis viribus perficienda incumbit; v. 7 *et Dominus ad eum : surge et ingredere civitatem et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere;* per hominem scil. sacramentum reconciliationis accipere et per hominem in Ecclesiam admitti debet, eo scil. ordine quem ipse Christus instituit.

Iam quid Sauli comites? *viri autem illi qui comitabantur cum eo* οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ una cum eo iter faciebant, *stabant stupefacti, audientes quidem vocem* τῆς φωνῆς non ut v. 4 φωνήν, ἀκούειν cum genitivo significat sonitum quendam esse perceptum vocis, non ipsa loquentis verba (*Bels. Patr. Weiss*), *neminem autem videntes;* ἐνεοί muti metu (*Bl.*), attoniti obmutescebant. Iesum vidit solus Paulus; lucem τὸ φῶς socii eius etiam viderunt (22,9); v. 8 *surrexitque Paulus de terra apertisque oculis nihil videbat;* « nimia lux oculos laedere solet; mensuram enim suam habent oculi » (*Chr. Theoph.*); sed cum comites eius lucem illam etiam viderint, repentina Pauli caecitas non ad nimium lucis fulgorem referenda erit, praesertim cum Iesum in gloria apparentem oculis conspexerit. Erat haec repentina caecitas simul pro Paulo et documentum eventum illum vere accidisse et admonitio, ut in sacra quadam solitudine perpenderet quid ex eventu illo pro se et pro sua institutione consequeretur, ut ex caeco qui eousque erat in re Christi Iesu fieret videns; *ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum;* qui alios prosternere voluit, ipse est prostratus; qui alios vincire et compedibus onerare cupiebat, ipse iam ad manum quasi vinctus ducitur; quam igitur diversus in urbem ingressus ab eo quem putaverat; qui venerat fidem impugnare, ingreditur, ut fidem discat (*Salm.*), v. 9 *et erat ibi tribus diebus non videns,* ipsa diuturnitate satis patet caecitatem illam non fuisse caliginem quandam oculorum et obtusionem qualis nimio fulgore exsi-

stere solet; ceterum vide ad v. 18; *et non manducavit neque bibit;* en a poenitentia initium conversionis. Cur autem non manducavit neque bibit? respondet *Chr.* : sua gesta damnabat, confitebatur (ἐξωμολογεῖτο), orabat, rogabat Deum, et *Oec.* : se ipsum valde damnavit propter persecutionem Ecclesiae tristisque Deum precabatur ut sibi remitteretur.

Eventus hic etiam narratur 22,6 seq. et 26,13 seq. In utroque loco ipse Paulus eventum narrat, prius Iudaeis, dein coram Agrippa rege. Tres hae narrationes et verbis et quibusdam conditionibus vel adiectis vel omissis aliquantum inter se differunt; unde *Baur* aliique ex iis conati sunt fidem Actuum subvertere; neque hodie desunt qui discrimina inter se componi posse negent ideoque Lucam negligentiae, erroris incusent (cf. *Wendt*). Unde videndum est quae sint illa discrimina. Concedendum est autem scriptori sacro quod nulli negatur, scil. ut, si occasio fert eundem eventum iterum esse narrandum, ei liceat modo brevius modo explicatius uberiusque rem proponere, neque adstringendus erit iisdem omnino verbis. Neque facile credendum est, scriptorem ceteroquin diligentem ita a se ipso deficere, ut in eadem re narranda sibi contradicat, postea neget quae antea affirmaverit, aut nunc affirmet quae mox abnuet. Hoc loco et 22,10 Saulus iubetur Damasci discere quid sibi faciendum sit; aliter 26,16; nam nihil de eo mandato et statim Christus eum ad apostolatus dignitatem evehit et vocat; id quod in duabus aliis narrationibus ei per Ananiam innotescit. Proin, si adest contradictio, ipse Paulus sibi contradicit, aliter narrando in sermone ad Iudaeos, ad Agrippam aliter. Quis hoc credat? Annon potius dicendum erit, Paulum consulto coram Agrippa et Ananiam omittere et ea quae Christus alio tempore dixerat, statim cuncta simul enarrare voluisse? Quid in tali agendi modo offensioni esse potest? Bene ea de re cum catholicis *Bl.* sententiam fert : « in hac autem oratione (cap. 26) tota persona Ananiae sublata est, quippe quae non esset apta apud hos auditores; unde sequebatur ut mandata omnia ut ipsius Iesu effata inducerentur » (p. 267). Rem itaque Agrippae per compendium enarrat multa simul complectens quae non uno in loco neque eodem tempore gesta et dicta sunt. Quare inutile est assumere cum *Wendt,* Lucam pro cap. 26 habuisse fontem alium eumque meliorem magisque fide dignum, in cap. 9 et 22 eum alium fontem deteriorem esse secutum. Unicum fontem habuit ipsum Paulum! Insuper Saulo obstupefacto magis e rei veritate convenit brevis admonitio et ad Ananiam missio et per plures dies praeparatio, quam ut in ipsa illa obstupefactione et percussione statim amplissime edoceatur. Si ergo varii fontes

essent distinguendi, fons ille pro cap. 9 et 22 absque dubio rei veritatem haberet prae altero.

Etiam comites Pauli aliter se habere dicunt in narrationibus; nam 9,7 stabant stupefacti, sed 26,14 omnes cadunt in terram; 9,7 audientes quidem vocem; at 22,9 lumen quidem viderunt vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Ad prius respondent : fuerunt prostrati, at socii mox surrexerunt. Vel si malueris, istud εἱστήκεισαν poteris explicare : *erant* stupefacti; verbi quippe huius tempora intransitiva et forma medialis saepe nihil aliud significant nisi *esse* cum aliqua emphasi (ein verstärktes εἶναι, *Pape* s. v.); idque exemplis profanis patere, vide apud *Pape;* exemplum habes in dictione Pauli 1 Cor. 7,37 ἕστηκεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἑδραῖος; similiter Eph. 6,14 et Col. 4,12, neque aliter Act. 26,22. Etiam facilius aliud diluitur de voce, quae obiectio nunquam fieri debuit ab iis, qui se ἀκρίβειαν grammaticalem ubique consectari iactant; nam ἀκριβῶς distinguitur ἀκούειν φωνήν, quod habes 9,4 : audivit vocem dicentem sibi : Saule i. e. intellexit singula verba; 22,9 τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν i. e. vocem, verba non intellexerunt; 9,7 e contra habes ἀκούοντες τῆς φωνῆς i. e. sonum quendam vocis audierunt. Vides scriptorem sedulo haec duo distinguere ἀκούειν τὴν φωνὴν et ἀκούειν τῆς φωνῆς. Proin nulla est contradictio inter 9,7 et 22,9. Hoc discrimine attento non est necesse cum aliis ita explicare 9,7, ut dicantur audivisse vocem *Sauli*, et 22,9 non audivisse vocem « eius qui loquebatur mecum » i. e. Iesu; ita multi nodum hunc solvunt (*Chr. Oec. Theoph. Didymus, Ammonius* cat. *Cai. Lap. Har. Beel. Patr.*); utramque solutionem alii commemorant (*Salm. Calm. Hake, Felt.*) Priorem sequitur *Barh.* explicans cum allusione ad Ioan. 12,29.

Olim rationalistae eventum hunc tonitru et fulgure repentino exorto explanare tentabant. Quae explicatio ab omnibus iam reiicitur. Alii apparitionem illam ex ipso animo Sauli iam multis variisque modis agitato declarare conabantur. Nam ex disputationibus Stephani, ex variis inquisitionibus et responsis fidelium exorta esse dubia, num recte ageret, multa eum audisse de Iesu et eius doctrina, quibus dubia illa plurimum augerentur, donec tandem persuasione Iesum esse Messiam eumque a mortuis surrexisse ita vehementer corriperetur, ut prae nimia excitatione quod mente conceperat ipsis oculis cernere sibi videretur prae nimia animi commotione quasi in ecstasin raptus (ita *Holsten*, cf. Studien und Kritiken 1864 p. 232 seq. *Hausrath,* Neutest. Zeitg. II p. 442 seq.). Uno iam hoc totum corruit : Paulus de lucta illa interna, de dubiis, anxietate nihil prodit; de persecutione sua plane aliter loquitur, ut supra iam expositum est. Qua in re melius iudicat *Weizsaecker* ostendens ex epistolis paulinis mutationem Pauli et conversionem fuisse subitam, repentinam; ceterum

Weizs. quoque negat Iesum in forma humana vere visum esse a Paulo, sicut hodierni rationalistae, quemadmodum corporalem resurrectionem Iesu negant, etiam ab apostolis Iesum esse revera visum negant; Iesum tamquam πνεῦμα vivere, et ita ab apostolis esse cognitum affirmant. Contendit itaque *Weizs.* etiam Act. 9,3 et 22,6 et 26,13 nihil aliud affirmari quam splendorem lucis esse visum, et putat nihil aliud existimatum esse tum temporis requiri, ut quis dicat Christum apparuisse (cf. Apostol. Zeitalter 2 ed. p. 67-75).

Notant *Salm. Calm. Hake* pictores peccare, dum Paulum equo vectum repraesentent. Sed Saulus, pharisaeus, certe iter minime instituit equo vectus. Etiam peius peccat Calvinus qui putat : Saulus qui sponte ruebat contra Christum, nunc *invitus* ad obsequium *cogitur*. Verum eum non fuisse coactum, tum aliunde, tum ex eius verbis 26,19 patet : οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ (cf. *Beel. Hake*).

β) Ananias mittitur ad Saulum 9,10-19.

9,10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias : et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. At ille ait : Ecce ego, Domine, 11. Et Dominus ad eum : Surge, et vade in vicum qui vocatur rectus; et quaere in domo Iudae Saulum nomine Tarsensem; ecce enim orat. 12. (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat.) 13. Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem;

14. Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. 16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

17. Et abiit Ananias, et introivit in domum; et imponens ei manus, dixit : Saule frater, Dominus misit me Iesus qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. 18. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamae, et visum re-

9,10. Ἦν δέ τις μαθητὴς ἐν Δαμασκῷ ὀνόματι Ἀνανίας, καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν ἐν ὁράματι ὁ Κύριος, Ἀνανία. ὁ δὲ εἶπεν, Ἰδοὺ ἐγώ, Κύριε. 11. ὁ δὲ Κύριος πρὸς αὐτόν, Ἀνάστα, πορεύθητι ἐπὶ τὴν ῥύμην τὴν καλουμένην Εὐθεῖαν, καὶ ζήτησον ἐν οἰκίᾳ Ἰούδα Σαῦλον ὀνόματι, Ταρσέα. ἰδοὺ γὰρ προσεύχεται, 12. καὶ εἶδεν ἄνδρα ἐν ὁράματι Ἀνανίαν ὀνόματι εἰσελθόντα καὶ ἐπιθέντα αὐτῷ τὰς χεῖρας, ὅπως ἀναβλέψῃ. 13. ἀπεκρίθη δὲ Ἀνανίας, Κύριε, ἤκουσα ἀπὸ πολλῶν περὶ τοῦ ἀνδρὸς τούτου, ὅσα κακὰ τοῖς ἁγίοις σου ἐποίησεν ἐν Ἱερουσαλήμ·

14. καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν παρὰ τῶν ἀρχιερέων, δῆσαι πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου. 15. Εἶπεν δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος, Πορεύου, ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς ἐστίν μοι οὗτος, τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον τῶν ἐθνῶν τε καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ. 16. ἐγὼ γὰρ ὑποδείξω αὐτῷ, ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν.

17. Ἀπῆλθεν δὲ Ἀνανίας καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν, καὶ ἐπιθεὶς ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας εἶπεν, Σαοὺλ ἀδελφέ, ὁ Κύριος ἀπέσταλκέ με, Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τῇ ὁδῷ ᾗ ἤρχου, ὅπως ἀναβλέψῃς καὶ πλησθῇς Πνεύματος Ἁγίου. 18. καὶ εὐθέως ἀπέπεσαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν

cepit; et surgens baptizatus est. 19. Et quum accepisset cibum, confortatus est.

ὡς λεπίδες, ἀνέβλεψέν τε καὶ ἀναστὰς ἐβαπτίσθη, 19. καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνισχύθη.

In v. 12 ανδρα sine εν ορ. ℵ A vulg gig sah cop aeth; τας χειρας ℵ^c B E; fl om v. 12. In v. 15 των εθνων B C* Cyr; longe pler om articulum. In v. 19 B C* alq minusc ενισχυθη; al pler ενισχυσεν.

Paulus profitetur se non ab hominibus, sed per revelationem Iesu doctrinam accepisse et didicisse (cf. Gal. 1,12. 1 Cor. 11,23. Eph. 3,3); quapropter etiam monent non apostolum ad eum missum esse, sed Ananiam discipulum (cf. *Chr. Salm.*); v. 10 *erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias,* nomen satis frequens חֲנַנְיָה (Iahve est propitius) *et dixit ad illum in visu Dominus,* ἐν ὁράματι, apparet distingui inter visiones sive per somnum sive per ecstasin oblatas et id quod Paulo in itinere accidit (*Bl.*); eodem modo quo Lucas distinguit, etiam Paulus distinguit de se narrans (cf. 1 Cor. 15,8 et 2 Cor. 12, 2-4) : *Anania; at ille ait : ecce ego, Domine;* respondet ut olim Samuel (1 Reg. 3,1) i. e. praesto sum, paratus ad peragendum quae iubere tibi placuerit (*Beel.*); v. 11 *et Dominus ad eum : surge et vade in vicum qui vocatur rectus* ἐπὶ τὴν ῥύμην in plateam, vicum; nomen plateae inditum eo quod recta tendebat a porta orientali ad occidentalem (*Felt.*); unde totus tractus plateae utrinque aedificiis septus, vicus *rectus* appellabatur; hodie quoque vicus eius nominis Damasci esse dicitur, quamvis hodie via illa (es-sultani) minime *sit* recta (cf. *Camus,* L'œuvre des Apôtres, p. 183) *et quaere in domo Iudae Saulum nomine Tarsensem,* natum in Tarso Ciliciae 22,3; *ecce enim orat;* en documentum mentis conversionis; efflagitabat per eos dies a Domino, ut compleretur verbum ipsius : ibi dicetur tibi quid te oporteat facere (v. 7); implorabat veniam; v. 12 *et vidit virum Ananiam nomine introeuntem et imponentem sibi manus, ut visum recipiat;* Saulus iam de adventu eius edoctus est et hisce Ananias simul edocetur quid primo sibi faciendum sit. Et id quidem, si verba sunt Christi (*Felt.*). Alii putant verba adiecta esse a Luca (*Beel. Lap. Patr.*), quae sententia forte exprimitur in editione vulg. verbis parenthesi inclusis. Sed e contextu id non exigitur; etiam Ananiae intererat scire Saulum iam esse certiorem factum de suo adventu. Pro Saulo haec visio etiam utilis erat, voluit Dominus eum consolari visione imaginaria et voluit, ut cum veniret Ananias statim sciret eum esse a Christo missum et impositionem manuum esse argumentum quod signum a Deo fieret (*Salm.*).

Sauli nomine audito praeoccupatur admiratione de tali Domini mandato (*Salm.*); unde quid sibi admirationem movet, candide ex-

ponit et ita simul suas pandens angustias quaerit quid in ea rerum conditione sibi praestandum sit v. 13 *respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem* bene dicit fideles *sanctos*, nam regnum messianum ut sanctitate eminens a prophetis celebratur (cf. Is. 11,5 seq.; 61,3; 66, 12. Ps. 71,7 etc); baptismo fideles Christo mancipati, a mundo separati, Spiritu sancto ditati sunt; eadem appellatione frequentissime utitur Paulus (Rom. 1,7. 1 Cor. 1,2; 3,17; 6,1. 2. Eph. 1,1 etc.); fideles autem Christi sunt : vos estis Christi (1 Cor. 3,23), sive vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom. 14,8); v. 14 *et hic,* Damasci scil. *habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum,* invocare nomen Iesu idem est atque adorare Iesum; ita in vet. test. dicitur invocare nomen Domini (Gen. 4,26; 21,33; 26,25. Ex. 34,5. Is. 43,7. Ioel 2,32 etc.) et in epistolis paulinis de Iesu (Rom. 10,13. 1 Cor. 1,2). Christus autem dissipat angustias et difficultates Ananiae eumque, uti ex sequentibus elucet, ulterius docet quid ipse iam Saulo contulerit et quid sit Ananiae munus apud eum; v. 15 *dixit autem ad eum Dominus : vade, quoniam vas electionis est mihi iste* vas electum, praeclarissimum, σκεῦος vas i. e. instrumentum, organum aptissimum, selectum, *ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel,* en, ex persecutore acerrimo facio eum propagatorem evangelii celeberrimum; *gentium* apostolus primo loco designatur; nam haec est ratio peculiaris eius vocationis ad apostolatum, id quod Paulus saepe effert (Rom. 1,5; 11,13 sum gentium apostolus; Gal. 1,16. Eph. 2,8 etc.). Atque idem quoque ipsa verborum collocatione et constructione effertur : ἐθνῶν τε καὶ βασιλέων υἱῶν τε Ἰσραήλ; vis praecipua est et manet in priore membro (τε καὶ), cui adiungitur alterum de filiis Israel (cf. *Klotz*, Devar. II p. 744). Nomen Iesu portavit coram regibus : Agrippa, Nerone.

Iam ulterius explicat cur sit vas electum futurus et quomodo portaturus sit nomen Iesu coram gentibus et Iudaeis (*Lap. Beel. Felt.*) v. 16 *ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati;* verba sunt praedicentis (*Chr. Oec.*); « haec est carissimorum discipulorum hereditas et eorum, quos Iesus amicos habet inter paucos : dura scil. et ardua plura exantlare » (*Calm.*). Dixerat scil. Christus : gaudete et exsultate, iis qui maledicta et persecutiones et calumnias propter nomen Iesu experientur (Matth. 5,12). Qui igitur fideles antea varie afflixit, is praedicator fidelis effectus plurimas ipse afflictiones subibit, ita expians quae aliis intulit, ita suum in Iesum amorem et zelum comprobans. Et quanta revera expertus sit, satis ostenditur longa illa aerumnarum enumeratione 2 Cor. 11,23-29,

neque ibi finem vitae et molestiarum attigerat; procul ab utroque termino aberat. Contendit *Hilg.* esse additamenta illud *filiis Israel* v. 15 et v. 16; quaerit enim, ubi in Act. ostenderit Christus Paulo omnia quae passurus esset? nec se intelligere dicit, quomodo v. 16 *ego enim* declaratio quaedam sit vel explicatio praecedentium. Nexus tamen valde obvius est et iam disci potuit ex 5,41. Quod autem exigit, illud ὑποδείξω debere intelligi ita ut in Act. monstrentur a Christo Paulo singulae afflictiones, ridiculum est. Quam necessario ad apostolatum Pauli etiam *filii Israel* pertineant, ipse satis declarat Rom. 1,16; 11,14. 1 Cor. 9,20 etc.

Verbis Domini edoctus Ananias iussa facit v. 17 *et abiit Ananias et introivit in domum et imponens ei manus dixit : Saule frater, Dominus misit me Iesus qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu sancto;* illud scil. manuum impositione, hoc administratione baptismi; ad haec duo se missum fatetur; v. 18 *et confestim ceciderunt ab oculis eius tamqam squamae,* impositio manuum illa est, de qua Christus dixit : supra aegros manus imponent et bene habebunt (Marc. 16,18). Squamae deciderunt, ait *Oec.* vehementiam caecitatis ostendentes et sanitatis certitudinem. Alii quoque putant tegumentis vel pelliculis oculos fuisse obfuscatos nulla laesione ipsius oculi facta (*Lap. Beel.*); vel explicant squamas veluti « concretiones quasdam quae in oculis efformatae prohibebant ne lucis usura frueretur; concretiones istae coaluerunt postquam lux illa validior oculorum Pauli aciem ferierat » (*Calm.* sim. *Felt.*). Alii existimant comparatione ea solum describi quomodo Saulus sibi visus sit caecitatis ablationem percipere et quasi sentire. Spiritus sancti autem gratiam consecutus est baptismo *et surgens baptizatus est;* cf. 22,16; v. 19 *et cum accepisset cibum, confortatus est;* cf. v. 9 tempus illud donec ei diceretur quid oporteret facere, tempus praeparationis et poenitentiae ieiunus egit; *confortatus est,* « ergo infirmus erat ex itinere, ex metu, ex fame, ex moerore » (*Chr.*) « et cibi quoque perceptione refectus est, quippe triduano fuerat ieiunio fatigatus » (*Cassiod.*).

Verba Ananiae explicatius referuntur 22,13 seq., ita « ut appareat sententiae generalis tantum vel Lucam vel Paulum eius auctorem rationem habuisse; ceterum profecto re vera multo plura dicta sunt quam hic vel illic leguntur » (*Bl.*). Ananiam aliqui unum fuisse dicunt de 70 discipulis (*Oec. Theoph. Salm.*). Ceterum quae de eo traditione perhibentur, vide apud Bollandianos, die 25. Ian. tomo 2 Ian. p. 613.

Quae de Anania narrantur, aliqui critici in dubium vocant. Et alii quidem propterea quia 10,3 seq. 11 etiam de duplici visione sermo sit, unde

ex hac similitudine narrationem esse conformatam, et quia Ananias 22,12 laudetur : testimonium habens ab omnibus Iudaeis vir secundum legem, qua laude scil. peculiare consilium scriptoris appareat, qui Paulum a crimine adversarii legis purgare vult (ita *Baur* eiusque schola tubingensis). Verum horum sententiae et opinationes de compositione et consilio Act. iam sunt antiquatae et derelictae. Sed ex alia ratione *Weizs.* (l.c. p. 85) partes quae Ananiae tribuuntur, etiamsi omnia quae ad miraculum pertinent abscindantur et relinquantur, parum habet probabiles; Paulum enim non modo nihil dicere de eo quod in eius conversione homo aliquis intercesserit, verum talem intercessionem plane excludere. At criticus non attendit, qualem intercessionem et qua in re Paulus excludat. Eam solum excludit, qua doctrinam evangelii quam tamquam apostolus praedicat, ab homine quodam accepisset. Ceterum illa ratiuncula et opinatio quam *Weizs.* in medium affert ab aliis criticis refutatur qui orationem illam 22,3 ex optimo fonte derivatam et genuinam esse docent.

Scribit apostolus Galatis : si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi (Gal. 4,15); exinde aliqui concludunt apostolum oculis laborasse, quam aegritudinem derivari volunt ex apparitione habita et caecitate subsequente (vide v. g. apud *Sieffert*, Brief an die Galater, l. c.) quam sententiam *Weizs.* quoque admittere videtur (p. 76). Eandem oculorum aegritudinem etiam designari aliqui opinantur stimulo illo carni infixo de quo apostolus loquitur 2 Cor. 12,7, quam interpretationem etiam *Felt.* probabilissimam habet, et putat eam aegritudinem secutam esse ex apparitione, sed auctam commoratione in deserto et Damasci facta, quae regiones oculis noxiae sunt. Cui opinioni congruere ipsam vocem σκόλοψ τῇ σαρκί; nam describi tunicarum oculi inflammationem cum dolore analogo ac si esset spina oculo infixa (Blancard, Lexicon medicum s. v.). Verum utrumque parum probabile videtur; ex Gal. 4,15 id non sequi iam eo patet quia locutiones proverbiales ab oculis petitae quibus maxima eorum et necessitas et aestimatio exprimitur, ubique gentium in usu sunt. Et ego quidem puto, si stimulus ille carni infixus derivandus esset ab illa apparitione, in qua eum de caelo lux circumfulsit, apostolum nunquam fuisse scripturum : stimulus carni meae (graece) datus est mihi, *angelus satanae qui me colaphizet* — quae descriptio profecto ea in explicatione plane aliena esset. Ceterum de huius loci interpretatione vide *Cornely,* Comment. in 2 Cor. p. 324 seq.

Quanti momenti pro re christiana sit conversio Sauli, *Chr.* perpendit in hunc modum : « et cur, inquies, non ab initio id factum est, sed postea? Ut ostenderetur Christum vere resurrexisse. Qui enim persequebatur illum, nec credebat eius mortem et resurrectionem, qui discipulos eius persequebatur, unde, quaeso, credidisset, nisi magna fuisset crucifixi virtus? esto, illi ipsi favorem exhibuerint (ἐχαρίζοντο), quid ad hunc dices? Alioquin vero ideo post resurrectionem accessit, neque statim, ut manifestius ipsius bellum videatur. Nam qui sic insanit, ut et sanguinem effundat et in carcerem coniiciat, statim credit. Non satis erat quod cum Christo

non fuisset, sed oportuit ut fideles ab ipso fortiter impugnarentur. Nullum non furorem retro reliquit, omnibus hic acrior erat. Quomodo qui sanguinem expetierat, qui ad sacerdotes accesserat, qui in pericula se coniiciebat, qui externos etiam pellebat et puniebat, simulasset? Hic igitur post haec omnia dominationem confitetur ».

γ) Primi Pauli labores 9,19-30.

9,19. Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in synagogis praedicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant : Nonne hic est qui expugnabat in Ierusalem eos qui invocabant nomen istud, et huc ad hoc venit ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?

22. Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Iudaeos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Quum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Iudaei ut eum interficerent. 24. Notae autem factae sunt Saulo insidiae eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte ut eum interficerent. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

26. Quum autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis; et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. 27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos; et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. 28. Et erat cum illis intrans et exiens in Ierusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Graecis; illi autem quaerebant occidere eum. 30. Quod quum cognovissent fratres, deduxerunt eum Caesaream, et dimiserunt Tarsum.

9,19. Ἐγένετο δὲ μετὰ τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν ἡμέρας τινάς· 20. καὶ εὐθέως ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἐκήρυσσεν τὸν Ἰησοῦν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. 21. ἐξίσταντο δὲ πάντες οἱ ἀκούοντες καὶ ἔλεγον, Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ πορθήσας ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦτο, καὶ ὧδε εἰς τοῦτο ἐληλύθει ἵνα δεδεμένους αὐτοὺς ἀγάγῃ ἐπὶ τοὺς ἀρχιερεῖς;

22. Σαῦλος δὲ μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο, καὶ συνέχυννεν Ἰουδαίους τοὺς κατοικοῦντας ἐν Δαμασκῷ, συμβιβάζων ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός. 23. ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναί, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν· 24. ἐγνώσθη δὲ τῷ Σαύλῳ ἡ ἐπιβουλὴ αὐτῶν. παρετηροῦντο δὲ καὶ τὰς πύλας ἡμέρας τε καὶ νυκτὸς, ὅπως αὐτὸν ἀνέλωσιν· 25. λαβόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς, διὰ τοῦ τείχους καθῆκαν αὐτὸν χαλάσαντες ἐν σπυρίδι.

26. Παραγενόμενος δὲ εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἐπείραζεν κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς· καὶ πάντες ἐφοβοῦντο αὐτὸν, μὴ πιστεύοντες ὅτι ἐστὶν μαθητής· 27. Βαρνάβας δὲ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἤγαγεν πρὸς τοὺς ἀποστόλους, καὶ διηγήσατο αὐτοῖς πῶς ἐν τῇ ὁδῷ εἶδεν τὸν Κύριον, καὶ ὅτι ἐλάλησεν αὐτῷ, καὶ πῶς ἐν Δαμασκῷ ἐπαρρησιάσατο ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ. 28. καὶ ἦν μετ' αὐτῶν εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος εἰς Ἱερουσαλήμ, παρρησιαζόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου, 29. ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς· οἱ δὲ ἐπεχείρουν ἀνελεῖν αὐτόν. 30. ἐπιγνόντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ κατήγαγον αὐτὸν εἰς Καισάρειαν, καὶ ἐξαπέστειλαν αὐτὸν εἰς Ταρσόν.

In v. 21 εἰς Ιερ ℵ A; al εν. In v. 22 gig ostendens hunc esse Christum in quo Deus

bene sensit. In v. 26 επειραζεν ℵABC; gig haerere discipulis. In v. 29 am demid tol Bed gig non habent cum gentibus; habent vulg aeth. In v. 30 δια νυκτος syr ph c* gig sah.

Narrat apostolus in epistola ad Galatas 1,17 seq. se post conversionem suam abiisse in Arabiam et iterum reversum esse Damascum; deinde post annos tres venisse Ierosolymam videre Petrum; ibique apud eum mansisse diebus quindecim et praeter Petrum non a se visum esse alium apostolum, nisi Iacobum fratrem Domini. Ab hac narratione plane recedere eique contradicere scriptorem Actuum clamant *Hilg. Wendt, Weizs. Weiss* aliique. Verum est illud iter arabicum a Luca non narrari; sed aliquid omittere non est idem atque illud negare. Et praeterea advertendum est sat multa a Luca non narrari, de quibus tamen ex epistolis paulinis certiores reddimur. Exemplum habes 2 Cor. 11,24-29; refert apostolus : a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi — de his nihil in Act. —; ter virgis caesus sum — ex hisce unum habes 16,22; ter naufragium feci — de hisce nihil in Act., nam naufragium 27,41 seq. accidit post epistolam scriptam; porro scribit de periculis fluminum, latronum, in solitudine, in mari, a falsis fratribus etc.; de hisce omnibus silet Lucas. Proinde non est mirum, si etiam iter illud arabicum tacet; « idcirco autem Lucas Arabiam praetermittere videtur, quia ibi minime praedicaverit, iuxta quod ipse in sequentibus Agrippae regi loquens ait : quia Damasci primum et Ierosolymis et in omni regione Iudaeae et gentibus praedicabam »; ita iam *Beda* bene notat, quem alii sequuntur (cf. *Cornely* ad Gal. 1,17). Verum ab omni erroris accusatione vel contradictione contra ea quae Paulus Gal. 1,17 narrat Lucas immunis est et ut talis iam eo debuit agnosci, quia adeo distincte in commoratione damascena effert prius ἡμέρας τινάς et dein : cum autem complerentur dies multi ἡμέραι ἱκαναί v. 23. Unde aperte narrat Saulum post conversionem per aliquot dies versatum esse Damasci; dein commemorat alteram moram Damasci factam, post quam profectus sit Ierusalem. Qui autem ita narrat, eo ipso indicat inter priorem commorationem et alteram aliquid intercessisse urbe damascena relicta. Quid intercesserit, discimus Gal. 1,17.

Baptismo itaque accepto v. 19 *fuit autem cum discipulis,* i. e. Christianis, *qui erant Damasci per dies aliquot* et inventum thesaurum pro eo amore quo in Iesum et in cognatos secundum carnem (Rom. 9,1-5) flagrabat, statim cum aliis communicare gestiebat v. 20 *et continuo in synagogis praedicabat Iesum quoniam hic est Filius Dei;* verum mutatio adeo subita non potuit non excitare summam omnium admirationem v. 21 *stupebant autem omnes qui audiebant et*

dicebant: nonne hic est qui expugnabat ὁ πορθήσας (cf. Gal. 1,13. 23) *in Ierusalem,* si legitur εἰς (quod quidam praeferunt, *Ti. Bl. Weiss*), indicatur fideles etiam ex aliis oppidis in Ierusalem tractos ibique in carcerem missos esse cf. 8,3; *eos qui invocabant nomen istud,* ludaei haud bene in Iesum affecti loquuntur (*istud*), sed simul testimonium exhibent fideles Iesum *invocare,* colere, adorare (cf. v. 14); et quod auget admirationem; *et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum;* verum praedicabat solum per aliquot dies (v. 19); « non erubescebat de mutatione neque metuebat destruere illa in quibus antea clarus erat » (*Chr.*). At mox relinquit urbem, se confert in Arabiam, certe gratia divina ductus, ut novam quam hauserat vitam in se ipso foveret et solitudine et oratione ad munus apostolicum se praepararet. In ea solitudine censendus est accepisse a Domino doctrinam plenissimam evangelii (cf. 1 Cor. 11,23. Gal. 1,12. Eph. 3,3; vide *Cornely,* Comment. in 2 Cor. Gal. p. 408 seq.).

Ex illa autem solitudine reversus et in illa consecutus ab ipso Domino amplissimam de regno messiano institutionem etiam maiore vi et fervore, maiore argumentorum apparatu praedicabat v. 22 *Saulus autem multo magis convalescebat,* invalescebat, animos maiores sumebat, fiebat animosior in praedicando evangelio (*Beel.*), ut aliqui addunt τῷ λόγῳ, *et confundebat Iudaeos qui habitabant Damasci affirmans* συμβιβάζων, *Chr.* διδάσκων, cf. 1 Cor. 2,16. *LXX* Is. 40,13; ex ratione etymologica videtur significare: docere locis rebusve inter se collatis (cf. *Beel.*), *quoniam hic est Christus;* uti duplex tempus indicat Lucas, ita bis quoque modo distincto loquitur de praedicatione, modo magis simplici in v. 20, modo ampliore hic; ibi annuntiat veritatem simpliciter, hic pugnaciter probat, confundit, refutat, ad silentium cum pudore adigit adversarios, dum ipse maiore animi vigore munere suo fungitur. Unde hoc versu 22 aliam satis clare indicat periodum a priore illa aliquot dierum distinctam; quare ante v. 22 et post 20. 21 iter arabicum collocandum est. Ceterum generali eiusmodi descriptione Lucas longius temporis spatium designare solet (cf. Luc. 8,1; 21,37.38. Act. 2,42; 4,32; 5,42). Quod longius tempus etiam indicatur v. 23 *cum autem implerentur dies multi,* cum transacti essent dies multi, tempus ut mensura quaedam consideratur; cf. 7,23. Luc. 1,23. 57; 2,6. 21; est hebraismus מלא (Gen. 29,27. Iob 15,32; 39,2. Dan. 9,2 etc.); quantum temporis in hac altera commoratione damascena insumpserit, Lucas accuratius non designat; ἡμέραι ἱκαναί tempus dicunt sat longum (*Bl.;* cf. v. 43; 18,18; 27,7). Quodsi aliqui clamant dies multos non posse designare spatium trium annorum, ideoque adesse contradictionem cum Gal. 1,18 (*Wendt, Hilg. Weiss*),

illi non attendunt, dies hos clare referri ad id quod v. 22 dictum est, ad Sauli praedicationem in altera commoratione damascena; proin tempus illud commorationis in Arabia non includitur; quantum temporis in Arabia fuerit nescimus; Lucas nil aliud refert nisi eum per tempus sat longum Damasci praedicasse et tunc in Ierusalem profectum esse. A Paulo autem discimus, a conversione usque ad iter fere tres fluxisse annos i. e. priore et altera commoratione damascena et commoratione in Arabia; Lucas loquitur solum de utraque commoratione in urbe; hanc per dies aliquot et per dies multos fuisse dicit; ergo concludere licet eum diutius in Arabia fuisse. Ubi igitur est contradictio? imo ne contradictio quidem merito affirmaretur, si spatium annorum trium diceret Lucas dies multos; nam 3 Reg. 2,38 revera tale spatium hebraice et latine designatur diebus multis (et 4 Reg. 8,2 Hieronymus spatium annorum septem expressit per dies multos).

Iudaei cum Saulum argumentis refutare non possent recurrunt ad vim et violentiam; conspirant ad eius interemptionem: *consilium fecerunt in unum Iudaei, ut eum interficerent* συνεβουλεύσαντο commune consilium inierunt; quod ut exsequerentur, eos ope praefecti civitatis, ethnarchae regis Aretae (IV scil., regis Nabataeorum, qui diu regnavit) usos esse discimus ex 2 Cor. 11,32; v. 24 *notae autem factae sunt Saulo insidiae eorum; custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent;* 2 Cor. 11,32: ethnarcha Aretae regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. Num ergo contradictio? eam negat *Bl.* quoque cum catholicis interpretibus consentiens: « quae autem ethnarcha fecit, auctoribus profecto, fortasse etiam ministris Iudaeis fecit; itaque nihil Lucas ab rerum veritate discedit ». Et « evidens esse puto, regis arabici praefectum, nisi a Iudaeis Paulo infensis fuisset incitatus, rationem cur eum comprehenderet non habiturum fuisse, nec Iudaeos, nisi praefectum civitatis instigassent, portas custodire potuisse; una igitur relatione alteram complentes ambas facillime conciliamus » (*Cornely* l. c. p. 311); v. 25 *accipientes autem eum discipuli* i. e. fideles, Christiani, discipuli Christi (*Bed. Salm.*), proin discipuli eum induxerunt, ut periculum evitaret et se insidiis subduceret, cum ipse pro animo forti et perpessionum appetente fortasse fugam non meditaretur, *nocte per murum dimiserunt eum submittentes in sporta,* 2 Cor. 11,33 per fenestram in sporta dimissus sum per murum; in ipso igitur muro ea fenestra erat, scil. ad tormenta mittenda (*Bl.*).

Tempore Augusti et Tiberii numi romani in usu erant Damasci; ex tempore autem Caligulae et Claudii numi romani non sunt reperti; reperiuntur

iterum ex tempore Neronis. Inde aliqui concludunt : ergo tempore Caligulae et Claudii Damascus erat sub ditione Aretae regis (cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter I. Ch. I p. 618; II p. 68); posset addi Aretam fortasse Damascum occupasse post mortem Tiberii, cum Vitellius accepto hoc nuntio iam non bellum contra Aretam prosequeretur, sed militibus in castra hiberna consignatis Romam proficisceretur; qua opportunitate usus videtur Aretas ad urbem occupandam. De bello quod Aretas Herodi Antipae intulit vide apud *Iosephum*, Antiq. 18,5,1. 3. Verum haec tamen incerta sunt, neque ex eo quod Aretas urbem possidet aliquid pro determinatione temporis certo colligi potest. Nam regnum Nabataeorum ultra Damascum protendebatur etiam Traiani tempore; ex defectu numorum nihil posse concludi, e contra Damascum aliqua ratione semper subditam fuisse regibus Nabataeorum contendit *Mommsen* (Roemische Geschichte V p. 477). De illo autem bello Aretae contra Herodem Antipam et contra Vitellium parum notum est. Unde pro ratione chronologica ex 2 Cor. 11,32 nihil colligi potest certi.

Insidias Saulo structas esse postquam ex commoratione arabica rediit Damascum, idque a Luca altera illa temporis designatione indicari, bene iam perspexerunt veteres interpretes (*Oec. Salm. Cai. Har. Lap. Calm.*) et ostendunt recentiores catholici (*Beel. Windischmann, Hake, Felt.*). Venit igitur Saulus in urbem Ierusalem tribus post conversionem suam annis (Gal. 1,18); v. 26 *cum autem venisset in Ierusalem, tentabat se iungere discipulis, et omnes timebant eum non credentes quod esset discipulus* κολλᾶσθαι adhaerere, proprie conglutinari; proin familiariter cum illis conversari. Notat *Bl.* : « ἐφοβοῦντο, hoc parum verisimile dicunt, postquam per integros annos se Damasci Christianum professus est. Credo, si contrarium exstaret, hoc rursus mirarentur, neque sine causa. Videmus autem unum certe Hierosolymis fuisse, cui ea res satis comperta esset, Barnabam; ceteros vero tam singulari nuntio haud cito fidem habuisse minime mirum est ». Bene indicatur hisce indoles quorundam criticorum, qui apud scriptorem sacrum facile quidvis in dubium vocant. Discipulos hierosolymitanos nondum accepisse certum nuntium facile explicatur. Nam diu latebat in Arabia Saulus; si ad fidem conversus est anno 34, venit ergo Ierusalem anno 37; iam anno 36 bellum exortum est inter Herodem Antipam et Aretam; quo bello etiam fieri potuit ut commercium inter Ierusalem et Damascum perturbaretur vel interrumperetur (cf. *Baronius, Tillemont* aliique apud *Calm.*); alii censent inter ecclesiam hierosolymitanam et paucos Christianos damascenos vix crebros fuisse commeatus. Praeterea considerandum est *qualis* persecutor notus fuerit Saulus in urbe 8,3; 9,1. 2; etsi

fama quaedam allata esset in urbem de eius conversione, nemo sane tam facile fidem adhibuisset; forte nonnulli suspicarentur de simulatione aliqua qua eo certius Christianos nosset et comprehensos traderet. Profecto quicumque conditiones omnes perpendit sine praeiudicata opinione fatebitur, ex hominum indole non credere in tali casu multo magis esse probabile, imo certum; statim vero fidem adhibere vel quasi ruere in fidem homines minime solere res maxime sinistras expertos.

Quomodo Barnabas certum nuntium acceperit, non indicatur. Non opus est assumere illum ei a Damasco esse allatum; potuit colloquio et commercio cum Saulo mox convinci de sincera conversione; v. 27 *Barnabas* (cf. 4,36. 37) *autem apprehensum illum duxit ad apostolos* i. e. ad Petrum et Iacobum fratrem Domini, uti Gal. 1,18. 19 discimus : veni Ierusalem videre Petrum; alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini — in qua sententia evidens est Iacobum fratrem Domini vocari apostolum; *et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum et quia locutus est ei et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu;* quod ultimum testimonio est apparitione illa quam se habuisse Saulus affirmabat veram animi vitaeque mutationem esse effectam. Commendatione itaque Barnabae et argumento vitae in familiarem cum apostolis consuetudinem admittitur v. 28 *et erat cum illis intrans et exiens in Ierusalem* i. e. familiariter conversans; cf. 1,21, *et fiducialiter agens in nomine Domini,* se libere et cum omni confidentia tamquam discipulum Christi profitebatur et quantum mutatus esset ab illo priore persecutore palam demonstrabat v. 29 *loquebatur quoque* (*gentibus*) *et disputabat cum Graecis* i. e. cum Hellenistis; cf. 6,1; illud *gentibus* est omittendum; neque enim illud habent testes graeci, neque versiones (syr. memph. sah. arm.), abest quoque a melioribus codicibus vulg. (vide lect. var.); neque tum iam apostolatum gentium auspicatus est; primum ethnicum Petrus divinitus edoctus in Ecclesiam recepit (cf. *Cornely,* Comment. in 2 Cor. Gal. p. 411); verum sicuti Iudaei Hellenistae Stephano resistebant, ita Saulo quoque; imo eandem ei sortem parare studebant : *illi autem quaerebant occidere eum;* per quindecim solum dies versabatur in urbe Gal. 1, 18; quanto autem desiderio flagrarit salutis eorum et quantopere desiderarit illis praedicare, ipse narrat 22,17-21, ubi simul discimus eum iussum esse a Domino relinquere urbem. Insidiae Hellenistarum non latebant Christianos; v. 30 *quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Caesaream,* non Caesaream Philippi (*Beda*), sed Caesaream Palaestinae, vide ad 8,40; quod ab aliquibus testibus additur,

nocte, periculum exprimit quo profectionem eius et festinatam et occultam esse debere existimabatur *et dimiserunt Tarsum* « urbem maritimam ad ostia fluvii Cydni qui eam mediam secabat, primam Ciliciae, Sauli patriam 21,39 » (*Patr.*). Ipse narrat : deinde veni in partes Syriae et Ciliciae (Gal. 1,21); quodsi de eodem itinere accipitur, videtur itinere terrestri profectus esse. At verba illa Gal. 1,21 etiam aliter concipi possunt (cf. *Cornely* l. c. p. 414). Quare eum itinere maritimo a Caesarea Tarsum petiisse probabile est, quo itinere certius etiam insidiis subtrahebatur, quam itinere terrestri, et illud iter videtur iam commendari ipsa urbe Caesarea in quam tendunt, ut eum dimitterent Tarsum; vel si Gal. 1,21 huc referre malueris, dic eum a Caesarea navi Antiochiam Syriae profectum esse, inde pedestrem.

Contendit *Wendt* illa quae in v. 28-30 dicuntur non posse esse historica, quia Paulus affirmet Gal. 1,22 se fuisse ignotum facie *ecclesiis Iudaeae;* bene respondet cum catholicis *Bl. :* « quasi verba ea de ecclesia ea intelligi possent quam Saulus persecutus erat ». Eandem obiectionem in medium profert *Weiss.* l. c. p. 86, quasi ecclesiae Iudaeae ad solam ecclesiam in urbe referrentur.

4. *Petri labores* 9,31-12,25.

a) Petrus in Lydda et Ioppe 9,31-43.

9,31. Ecclesia quidem per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur.

32. Factum est autem ut Petrus, dum pertransiret universos, deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddae. 33. Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Aeneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34. Et ait illi Petrus : Aenea, sanat te Dominus Iesus Christus : surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. 35. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddae et Saronae; qui conversi sunt ad Dominum.

36. In Ioppe autem fuit quaedam discipula, nomine Tabitha, quae interpretata dicitur Dorcas. Haec erat plena operibus bonis, et eleemosynis quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus

9,31. Ἡ μὲν οὖν ἐκκλησία καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας εἶχεν εἰρήνην. οἰκοδομουμένη καὶ πορευομένη τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου, καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ Ἁγίου Πνεύματος ἐπληθύνετο.

32. Ἐγένετο δὲ Πέτρον διερχόμενον διὰ πάντων, κατελθεῖν καὶ πρὸς τοὺς ἁγίους τοὺς κατοικοῦντας Λύδδα. 33. εὗρεν δὲ ἐκεῖ ἄνθρωπόν τινα ὀνόματι Αἰνέαν, ἐξ ἐτῶν ὀκτὼ κατακείμενον ἐπὶ κραβάττου, ὃς ἦν παραλελυμένος, 34. καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ Πέτρος, Αἰνέα, ἰᾶταί σε Ἰησοῦς (ὁ) Χριστός· ἀνάστηθι καὶ στρῶσον σεαυτῷ. καὶ εὐθέως ἀνέστη· 35. καὶ εἶδαν αὐτὸν πάντες οἱ κατοικοῦντες Λύδδα καὶ τὸν Σάρωνα, οἵτινες ἐπέστρεψαν ἐπὶ τὸν Κύριον.

36. Ἐν Ἰόππῃ δέ τις ἦν μαθήτρια ὀνόματι Ταβειθά, ἣ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς· αὕτη ἦν πλήρης ἔργων ἀγαθῶν καὶ ἐλεημοσυνῶν ὧν ἐποίει· 37. ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἀσθενή-

illis ut infirmata moreretur. Quam quum lavissent, posuerunt eam in coenaculo. 38. Quum autem prope esset Lydda ad Ioppen; discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes : Ne pigriteris venire usque ad nos. 39. Exsurgens autem Petrus venit cum illis. Et quum advenisset, duxerunt illum in coenaculum; et circumsteterunt illum omnes viduae flentes et ostendentes ei tunicas et vestes quas faciebat illis Dorcas. 40. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit et conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro, resedit. 41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et quum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam. 42. Notum autem factum est per universam Ioppen : et crediderunt multi in Domino.

43. Factum est autem ut dies multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quemdam coriarium.

σασαν αὐτὴν ἀποθανεῖν· λούσαντες δὲ ἔθηκαν ἐν ὑπερῴῳ. 38. ἐγγὺς δὲ οὔσης Λύδδας τῇ Ἰόππῃ οἱ μαθηταὶ ἀκούσαντες ὅτι Πέτρος ἐστὶν ἐν αὐτῇ, ἀπέστειλαν δύο ἄνδρας πρὸς αὐτὸν παρακαλοῦντες, Μὴ ὀκνήσῃς διελθεῖν ἕως ἡμῶν. 39. ἀναστὰς δὲ Πέτρος συνῆλθεν αὐτοῖς· ὃν παραγενόμενον ἀνήγαγον εἰς τὸ ὑπερῷον, καὶ παρέστησαν αὐτῷ πᾶσαι αἱ χῆραι κλαίουσαι καὶ ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια ὅσα ἐποίει μετ' αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς. 40. ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος καὶ θεὶς τὰ γόνατα προσηύξατο, καὶ ἐπιστρέψας πρὸς τὸ σῶμα, εἶπε, Ταβειθά, ἀνάστηθι, ἡ δὲ ἤνοιξεν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς· καὶ ἰδοῦσα τὸν Πέτρον, ἀνεκάθισεν. 41. δοὺς δὲ αὐτῇ χεῖρα, ἀνέστησεν αὐτήν· φωνήσας δὲ τοὺς ἁγίους καὶ τὰς χήρας παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν. 42. γνωστὸν δὲ ἐγένετο καθ' ὅλης Ἰόππης, καὶ ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐπὶ τὸν Κύριον.

43. Ἐγένετο δὲ ἡμέρας ἱκανὰς μεῖναι ἐν Ἰόππῃ παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ.

n v. 31 αι.. εκκλησιαι etc. plurali HLP al longe plu ph Chr Aug gig. In v. 32 factum est autem Petrum transeuntem per omnes civitates et regiones devenire ad sanctos — ita antiqua versio lat.; item in v. 39 circumsteterunt viduae ostendentes pallia et vestimenta et narrabant quanta faciebat, cum esset simul cum eis Damula. In v. 40 surge in nomine Domini nostri Iesu Christi ph c* sah arm gig Cyp Ambr.

Caligula Imperator honores divinos sibi fieri voluit, iussit quoque statuam suam templo hierosolymitano inferri. Unde in Iudaea maxima quaedam exstitit commotio; plurimae hominum ac mulierum turbae supplices adibant Petronium deprecantes eiusmodi profanationem templi (cf. *Iosephus,* Antiq. 18,7,2; 18,8,1 seq. Bell. iud. 2,10,1 seq. *Philo,* Legatio ad Cai. §. 30 seq.). Voluit enim Caligula exercitu misso Iudaeos cogere, ut exsecutioni mandaretur quod iusserat; qui resisterent occidi iussit. Sed prudentia Petronii et morte Caligulae maior quaedam calamitas aversa est. Hac itaque temporum conditione censet *Felt.* etiam effectum esse, ut Iudaeis ad alias curas et sollicitudines easque molestissimas avocatis Christiani fruerentur pace et tranquillitate; v. 31 *ecclesia quidem* μὲν οὖν particula transitioni inservit et cum de alio subiecto fit sermonis transitio, hanc inchoatam κατ' ἀπόστασιν dicunt (cf. *Klotz,* Devar. I p. 126; II 662), latine : et quidem, vel itaque, igitur, *per totam Iudaeam et Galilaeam et Sa-*

mariam habebat pacem, de praedicatione in Galilaea non narravit Lucas; habes aliud exemplum (cf. 8,2) eum multa supponere facta quae noluit ab origine referre; unam omnes fideles constituere Christi familiam declaratur; pacem alii repetunt ex tempore quo Saulus acerrimus persecutor erat conversus. Ad bonum hoc tranquillitatis et securitatis ab adversariorum impugnationibus accedebant duo alia : incrementum pietatis et augmentum numeri fidelium; prius declaratur : *et aedificabatur ambulans in timore Domini,* aedificari de incremento interno, spirituali dici solet (20,32 et saepius apud Paulum; cf. Rom. 14,19; 15,2. 1 Cor. 8,1; 10,23; 14,4. 17. 2 Cor. 12,19. 1 Thess. 5,11 etc.) et petitur metaphora ex eo quia fideles sunt « Dei aedificatio » 1 Cor. 3,19, domus spiritualis 1 Petr. 2,5, templum Dei 1 Cor. 3,16; haec itaque domus spiritualis ab unoquoque aedificanda est pietate et exercitio virtutum; haec aedificatio habetur, dum quis *ambulat* i. e. totam vitae rationem, sentiendi agendique modum instituit *in timore Dei* in illa erga Deum reverentia et observantia, qua Dei voluntatem ac beneplacitum suam sibi vivendi normam constituit.

Accedebat augmentum externum : *et consolatione sancti Spiritus replebatur* ἐπληθύνετο i. e. multiplicabatur, uti in graeco scriptum est (*Beda*); consolatione παρακλήσει, « unde claret manifeste, quod ideo Spiritus sanctus Paracletus cognominatur, quia fidelium corda illustrans Ecclesiam toto orbe multiplicat et sua gratia replet » (*Beda*). Etiam *Patr.* monet : multiplicabatur seu augebatur, qui est proprius graeci huius verbi sensus et in quem illud interpres latinus plerumque accepit in novo testamento. Crescit ecclesia gratia Spiritus sancti i. e. docente et admonente, confortante Spiritu sancto; augmentum itaque adscribitur operationi Spiritus, τῇ παρακλήσει alloquio, adhortatione, qui Spiritus interne admonet et illustrat, dum alii externe doctrinam evangelii annuntiant. — Alii incrementum ecclesiae numero fidelium exprimi censent verbo οἰκοδομουμένη (*Chr. Lap. Calm. Beel. Felt.*); sed quia verbum hoc a Paulo constanter de incremento pietatis, sanctitatis, virtutis adhibetur (cf. 1 Cor. 8,1; 10,23; 14,4. 17. 1 Thess. 5,11) non videtur ab hac notione recedendum; dein ἐπληθύνετο *multiplicabatur* voce ipsa hoc incrementum externum designatur; insuper magis convenit, ut hoc augmentum exprimatur ea parte sententiae tamquam propria in sede, neve subiungatur quasi adiecta conditio quaedam ad priorem partem de pace ac pietate fidelium.

Cum persecutio saeviret in Ierusalem, Petrus non relinquebat urbem (8,1). Nunc pace concessa quasi dux (στρατηγός) circuibat, ordines

considerans, quae pars esset coadunata, quae ornata, quae sua praesentia indigeret (*Chr.*) v. 32 *factum est autem ut Petrus dum pertransiret universos* « ut pastor bonus oves omnes suas visitabat, et ut dux in exercitu cuncta obambulans loca considerat, ut singulis prospiciat et ea muniat » (*Salm.* sim. *Lap. Calm. Beel.*) *deveniret ad sanctos* (cf. v. 13) *qui habitabant Lyddae,* לֹד (1 Chron. 8,12. Esdr. 2,33. Neh. 11,35), postea Diospolis vocata, inter Ierusalem et Ioppen posita, ab hac distabat quattuor vel sex millia passuum, ab illa duo et triginta; *Iosephus* vocat Λύδδαν κώμην, πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν (Antiq. 20,6,2); hodie vicus Ludd; v. 33 *invenit autem ibi hominem quendam, nomine Aeneam,* ex nomine videtur Hellenista fuisse; Christianum fuisse negant aliqui, quia non dicatur discipulus, dum tamen in v. 36 indoles christiana sedulo notetur (cf. *Salm. Beel.*), sed ex modo agendi et loquendi Petri v. 34 merito concludunt alii eum fuisse (*Patr. Bels. Felt.*); *ab annis octo iacentem in grabato* (cf. 5,15), *qui erat paralyticus* (cf. 8,8) v. 34 *et ait illi Petrus : Aenea, sanat te Dominus Iesus Christus;* cf. 3,12. 16; *surge et sterne tibi,* στρῶσον scil. τὴν κλίνην, sterne tibi lectum; fac quod alii eousque tibi facere debebant, in documentum sanitatis receptae. Credidit homo et sensit sibi robur restitutum; στρῶσον imperativo aoristi id praecipi dicunt quod continuo et immediate fieri debet; *et continuo surrexit.* Aliqui rationalistae narrationem esse confictam et conformatam ad Ioan. 5 statuunt; id quod nemo mirabitur qui eorum interpretandi rationem noverit. Sed quam arbitrarie id fiat, attende discrimina; habetur morbus alius, aliud spatium temporis, alius agendi, loquendi, sanandi modus, aliud restitutae sanitatis argumentum; alius miraculi effectus.

Iam audi quantum lucrum inde exstiterit (*Chr.*); singulari itaque Spiritus ductu factum est, ut Petrus eum virtute et nomine Iesu sanaret v. 35 *et viderunt eum omnes qui habitabant Lyddae et Saronae,* Saron שָׁרוֹן (Is. 33,9; 65,10. 1 Chr. 27,29), est planus ac campestris regionis tractus a Caesarea Palaestinae usque ad Ioppen, vel ut Hieronymus ait : Saron, omnis iuxta Ioppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur; omnis regio circa Lyddam, Ioppen, Iamniam apta est pascendis gregibus (in Is. 33,9; 65,10). Videtur interpres noster Saronem habuisse pro oppido Lyddae vicino. Fama miraculi innotuit incolis Lyddae et regionis saroniticae; videntes eum sanum quem aegrotum per longum tempus noverant et audientes uno verbo esse sanatum credunt : *qui* οἵτινες quippe qui ideo quia viderunt eum *conversi sunt ad Dominum* (cf. 3, 19; 11,21; 14,14. 15,19, etc.); nota hac quoque dictione indicari

divinam Iesu naturam, uti alias dicitur ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν 26,20; 1 Thess. 1,9.

Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis Petrus praedicat; id ex altero quoque signo patefit; v. 36 *in Ioppe*, יָפוֹ Ios. 19,46. Ion. 1,3. 2 Chron. 2,15; quod nomen venustatem explicant; urbs maritima, in confinio tribuum Dan et Ephraim; hodie Jâfa; olim Phoenicum erat, tempore Machabaeorum eam possidebant Iudaei (1 Mach. 10,76; 12,33; 13,11 etc.); Pompeius urbem Iudaeis abstulit, Caesar autem eam illis restituit; eam possederunt Herodes et Archelaus, dein subdita erat procuratoribus romanis (cf. *Iosephus*, Antiq. 14,4,4; 14,10,6; 15,7,3; 17,11,4. Bell. iud. 1,7,7; 1,20,3; 2.6,3); in Ioppe *autem fuit quaedam discipula, nomine Tabitha*, טְבִיתָא, hebr. צְבִי, *quae interpretata dicitur Dorcas*, Δορκὰς i. e. damula, vel caprea silvestris (*Bed. Salm. Calm.*); idem nomen mulierum etiam apud Graecos reperitur (cf. *Wetst. Bl.*), pariter apud talmudistas (*Wetst.*). Notat *Chr.* : non sine causa nomen mulieris profertur, sed ut ostendatur nominis cum vita consonantia; ita nempe erat ἐγρηγορυῖα καὶ νήφουσα, ὥσπερ δορκάς (sim. *Oec.*) i. e. Gazelle; nomina mulierum ab animalibus peti minime erat alienum, v. g. Rachel (ovis), Sephora (avicula), Iemima (columba, uti recentiores explicant ad Iob 42,14); *haec erat plena operibus bonis et eleemosynis quas faciebat*, magnum mulieris encomium (*Chr.*). Hanc laudem taxat *Hilg.* parum consonam doctrinae Pauli (paulinisch ist es gerade nicht); nunquam videtur legisse 2 Cor. 8,9. Gal. 6,9. 10. 1 Thess. 1,3; 1 Tim. 5,10. Tit. 3,8. Hebr. 13,2. 16 etc. quibus locis Paulus bona opera et eleemosynas laudat et commendat; v. 37 *factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur* eo scil. tempore quo Petrus Lyddae commorabatur; *quam cum lavissent, posuerunt eam in coenaculo* ἐν ὑπερῴῳ in conclavi superiore domus (1,13. 20,8).

Quanta in aestimatione Petrus sit habitus et quam frequenter miracula ad fidei praedicationem Deus fieri permiserit, ostenditur agendi modo discipulorum, qui lacrimis et lamentationibus pauperum suam benefactricem deflentium commoti Petrum accersunt sperantes fore, ut talis discipula, ecclesiae adeo utilis, ei reddatur; v. 38 *cum autem prope esset Lydda ad Ioppen*, qua conditione et opportunitate, uti fieri solet, facile ad eiusmodi petitionem proni erant, *discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum rogantes : ne pigriteris*, μὴ ὀκνήσῃς « ne graveris, ne cuncteris, ne tardes — haec enim omnia significat ὀκνῆσαι; non enim verisimile est eos Petrum insimulasse pigritiae » (*Lap.*) cf. Num. 22,16 ne cuncteris venire ad me. Distat Lydda circa quindecim millia metrorum

nostrorum (*Bl.*). Miratur *Weiss* petitionem : ne cuncteris; cur enim festinatio requiritur, postquam mortem iam obiit? abripitur pruritu cavillandi; unde obliviscitur vir doctus solitos esse Hebraeos sepulturam non differre; unde rogant : ne tardaveris *venire usque ad nos;* v. 39 *exsurgens autem Petrus venit cum illis*; *et cum advenisset, duxerunt illum* ἀνήγαγον sursum duxerunt, ascendere fecerunt *in coenaculum.* Videt ibi cuius rei causae sit advocatus et cur expetant illam vitae restitui, quippe quae adeo necessaria sit ad pauperes sublevandos : *et circumsteterunt illum omnes viduae flentes et ostendentes* ἐπιδεικνύμεναι in se ostendentes *ei tunicas et vestes,* vestes superiores et inferiores (*Calm.*) *quas* ὅσα quanta, quot, dicitur de copia et multitudine (v. 13. 16; 15,12) *faciebat illis Dorcas,* μετ' αὐτῶν οὖσα, cum apud illas esset; faciebat, « aut propriis laborando manibus, quod verisimilius est, ut et in eo maius sibi meritum compararet, aut quod sumptu suo indigentibus vestes emerit » (*Salm.*) vel utrumque?

Non dubitavit Petrus, quin piae largitiones et opera religiosa iunctis tot pauperum lacrimis impetrarent a Deo prodigium longe illustrius quam quod Lyddae patratum erat (cf. *Calm.*) v. 40 *eiectis autem omnibus foras,* quo instantius oret, sine arbitris esse vult; abire iubet, ne sacra ad Deum supplicatio tumultu lugentium quasi profanetur, turbetur, *Petrus ponens genua oravit,* intensae orationis hoc est indicium (*Chr.*); qui sola umbra corporis aegrotos sanaverat, hic supplex flexis genibus orat, ex quo discimus, ait *Calm.,* viris vel sanctissimis non ad nutum praesto esse prodigia, sed postulanda esse. En quam diverso modo Iesus miracula patravit, *et* oratione facta in qua certus divinitus reddebatur de exauditione *conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge,* addunt aliqui testes : in nomine Domini nostri I. Chr. *at illa aperuit oculos suos et viso Petro resedit;* concludit *Weiss :* ergo novit Petrum, ergo (in contradictione cum v. 38) res geritur, dum Petrus versatur in Ioppe — mirandum est acumen ad cavillandum! sed magis mirandum, quod auctori adeo secum ipso pugnanti laborem impendit; v. 41 *dans autem illi manum erexit eam; et cum vocasset sanctos,* fideles, v. 13, *et viduas, assignavit eam* παρέστησεν, 1,3, exhibuit, sistebat *vivam,* aliis ad consolationem, viduis ad patrocinium (*Chr. Theoph.*). Neque fructu carebat miraculum v. 42 *notum autem factum est per universam Ioppen, et crediderunt multi in Domino,* ἐπὶ τὸν Κύριον; dicitur ἐπί inter alia de directione in aliquem; fides autem tendit in Deum; credunt sese convertentes ad Dominum (cf. v. 35); ceterum in latinitate vulgari saepe inter se commutari *in* cum ablativo et accusativo notum est.

Cum itaque illo prodigio ostium apertum esset evangelio Petrus ibi remansit v. 43 *factum est autem, ut dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quendam coriarium;* apud Graecos et apud Iudaeos coriarii propter immunditiem artis erant despectui (vide *Wetst.*); Iudaeis negotium imprimis erat immundum, nam : qui cadaver tetigerit, immundus erit usque ad vesperam (Lev. 11,39), ubi tamen agitur de animalibus mundis quae mortua reperiuntur; nam mundorum occisorum (ad usus sacros vel profanos) contactus non proscribebatur (cf. *de Hummelauer,* Comment. in Ex. Lev. p. 422). Illam itaque quae existimabatur artis immunditiem non curabat Petrus neque putabat damnum inferri rei christianae, si apud hominem non adeo nobilem hospitium eligeret. Animi demissionem prae se ferre maluit.

Etiam hanc narrationem conformatam esse ad illam de suscitatione filiae Iairi (Marc. 5,38. Luc. 8,51) aliqui volunt. Verum tota denique similitudo in eo consistit, ut utrimque dicatur : surge; cetera omnia sunt inter se diversa, quibus enumerandis non opus est immorari.

b) Conversio Cornelii centurionis 10, 1-11, 18.

Divina manifestatione iam ostenditur dirutum esse medium parietem maceriae, quae olim a Deo exstructa erat inter Israel et gentes, iam tempus adesse, ut in Christo Iesu in unum condantur hominem duo illi (Eph. 2,14. 15). Nam praecipuum et singulare in hac narratione, quo nova regni annuntiandi epocha inauguratur et pleno sensu ex omnibus gentibus sine ullo discrimine unum Dei populum constituendum esse declaratur, est illud quod Petrus ex visione didicit et enuntiat : mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem (10,28). Ad aliquam bonorum communionem posse alienigenas admitti, ostensum est in iis qui proselyti portae vocari solent; at plena vitae quotidianae societas in victu et habitatione et omni commercio non poterat iniri nisi cum circumcisis; omnis incircumcisus reputabatur immundus; valebat illud : vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam (10,11). Nunc vero haec separatio qua Deus olim dividi voluit gentes a populo suo (cf. Is. 56,3) divinitus tollitur, et adesse tempus id palam annuntiandi Petrus apostolorum primus edocetur et per eum Iudaeo-christiani ad hanc rerum mutationem et intelligendam et accipiendam praeparantur. Praecipuum itaque huius narrationis momentum ac significatio potissima in eo consistit quod initur societas victus et habitationis cum alienigena sublato

discrimine inter Iudaeum et alienigenam, et ea in re verus consistit huius narrationis progressus : exhibetur scil. abrogatio legis mosaicae etiam in iis quae ad victum et societatem familiarem et domesticam referuntur; inauguratur illud : non est Iudaeus, neque Graecus : omnes vos *unus* estis in Christo Iesu (Gal. 3,28 graece).

α) Cornelius iubetur accersere Petrum 10,1-8.

10,1. Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, centurio cohortis quae dicitur Italica, 2. Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper. 3. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi : Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi : Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Ioppen, et accersi Simonem quemdam qui cognominatur Petrus : 6. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius est domus iuxta mare; hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et quum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum ex his qui illi parebant. 8. Quibus quum narrasset omnia, misit illos in Ioppen.

10,1. Ἀνὴρ δέ τις ἐν Καισαρείᾳ ὀνόματι Κορνήλιος, ἑκατοντάρχης ἐκ σπείρας τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, 2. εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν σὺν παντὶ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, ποιῶν ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ, καὶ δεόμενος τοῦ Θεοῦ διαπαντός, 3. εἶδεν ἐν ὁράματι φανερῶς, ὡσεὶ περὶ ὥραν ἐνάτην τῆς ἡμέρας ἄγγελον τοῦ Θεοῦ εἰσελθόντα πρὸς αὐτὸν, καὶ εἰπόντα αὐτῷ, Κορνήλιε. 4. ὁ δὲ ἀτενίσας αὐτῷ καὶ ἔμφοβος γενόμενος εἶπεν, Τί ἐστιν, Κύριε; εἶπεν δὲ αὐτῷ, Αἱ προσευχαί σου καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ. 5. καὶ νῦν πέμψον ἄνδρας εἰς Ἰόππην, καὶ μετάπεμψαι Σίμωνά τινα ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος· 6. οὗτος ξενίζεται παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ, ᾧ ἐστὶν οἰκία παρὰ θάλασσαν· 7. ὡς δὲ ἀπῆλθεν ὁ ἄγγελος ὁ λαλῶν αὐτῷ, φωνήσας δύο τῶν οἰκετῶν καὶ στρατιώτην εὐσεβῆ τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, 8. καὶ ἐξηγησάμενος ἅπαντα αὐτοῖς ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὴν Ἰόππην.

In v. 1 testes pler non habent ην. In v. 2 gig in plebe. In v. 3 add περι ℵABCE al 25 cat syr ph cop Ir Dam. In v. 6 post : iuxta mare nil add ℵABCELP mu minusc am fu tol gig syr ph sah arm Chr.; quandoque in minusc adscribitur ex 11, 14. In v. 8 gig et enarrans illis visum.

Ad magnam hanc innovationem inaugurandam, ut sublato omni discrimine in vitae consuetudine unus efficiatur populus Dei ex Iudaeis et gentibus, peculiariter seligit Deus principem apostolorum, quo maiore fulta auctoritate haec innovatio accipiatur et in opus deducatur; v. 1 *vir autem quidam erat,* graece v. 1-3 una est sententia et verbum finitum v. 3 vidit; *in Caesarea* palaestinensi, cf. 8,40, *nomine Cornelius,* vir romanus, ut nomine proditur; eratne ex celebri gente romana Corneliorum? negat *Felt.;* rem ita declarare ac suadere

studet *Patr.* : nomen gentis non gerebant nisi qui vel ex ipsa essent vel eius liberti horumve filii aut posteri, vel denique qui alicuius ex ea gente beneficio aut opera civis romanus factus fuerat. Centurionis munus, quo Cornelius fungebatur, argumento est eum conditione libertina non fuisse sed ingenua. Si per aliquem e gente Cornelia obtinuisset civem romanum fieri, illud quoque nomen habuisset quo iam prius vocabatur eoque utpote notiore Lucas ipsum vocasset, quemadmodum Claudius Lysias 23,26 non Claudius, sed Lysias 24,7. 22 vocari solet. Fuit igitur noster centurio ex ipsa gente Cornelia, una de praecipuis gentium romanarum. Hactenus ille. Sed fortasse tutius est rem incertam in medio relinquere; *centurio cohortis quae dicitur italica,* quia scil. in ea merebant milites in Italia nati (*Baronius* ad an. 41 § 3, *Beel. Patr. Felt. Wendt*); apud Arrianum ἡ σπεῖρα ἡ Ἰταλική alio loco dicitur οἱ Ἰταλοί; ceterum habentur inscriptiones : cohors I Italica civium romanorum voluntariorum, et cohors militaria Italica voluntariorum quae est in Syria (*Schürer* l. c. I p. 386). Unde conclusum est cohortem italicam fuisse ex civibus romanis. Sed ex Arriano ad nomen videtur sufficere, si milites erant Itali. Notat *Bl.* : « non erat legio in Iudaea, sed cohortes tantum auxiliares, Caesareae quidem quinque, ut videtur, e Caesarensibus et Sebastenis conscriptae; de « cohortibus italicis civium R. voluntariorum », ex civibus Rom. in Italia natis compositis, quae multae erant per provincias, v. Marquardt — Mommsen Röm. Alt. V. 452. Quod autem negat Schürer (Gesch. d. jüd. V. I 386) fuisse videri illo tempore Caesareae cohortem Italicam, quaesierim equidem ex viro doctissimo, quidni in illis quinque cohortibus una fuerit ex civibus R. qui Caesareae Sebastaeve domicilium constituerant ». Ceterum iam *Baronius* monuit nomen non esse commutandum cum legione Italica; nam primam legionem Italicam a Nerone demum esse institutam, secundam et tertiam a Marco Aurelio Antonio (cf. *Patr. Felt.;* plura quoque apud *Wetst.*). Bene dicitur ἑκατοντάρχης ἐκ σπείρης (ita plerique) centurio *ex* cohorte; cohors enim ex sex centuriis constabat; centuriis praeerant centuriones. Decem tandem cohortes unam efficiebant legionem.

Cornelius centurio erat v. 2 *religiosus* εὐσεβής 2,5 pius, *ac timens Deum,* 13,16.26 ea locutione designantur proselyti, gentiles qui synagogam frequentabant, qui alias σεβόμενοι τὸν Θεόν appellantur (13,43. 50; 16,14; 17,4. 17, 18,7); quare Cornelius aliquibus etiam proselytus fuisse videtur (*Calm. Wendt, Weiss*). Negant alii ob v. 28. 35 et 11,1. 18; 15,7. Sed iis in memoriam revocandum est quod legimus Gal. 2,12; ipsi Iudaeo-christiani abhorrebant societatem mensae cum ethnico-christianis; nonne hoc sufficienti est argumento

etiam cum proselytis incircumcisis Iudaeos non inisse vitae societatem? At ex ea appellatione ne probabile quidem argumentum eum esse proselytum colligi potest, uti ex v. 35 planum fit. Ut ipse pius erat Deus cultor, ita quoque familiam suam instituit, *cum omni domo, sua,* curam domesticorum exemplo doceri monet *Salm.*: « non se putabat vere religiosum, nisi etiam totam familiam suam doctrina et exemplo ad verum Dei cultum traduxisset »; eius pietas erat frugifera : *faciens eleemosynas multas plebi,* observat quod baptista docuerat, ut fieret praeparatio ad regnum messianum Luc. 3,11 *et deprecans Deum semper* διαπαντός Luc. 24,53; *semper* id facere dicimur quod assidue, frequenter facimus, quoties per negotia alia licet; ita loquimur: hic semper legit, semper ludit etc.

Optime itaque duce gratia sese praeparabat ad ingressum in regnum messianum. Quid in illa assidua precatione potissimum a Deo efflagitarit si quaeris, potest responderi cum *Beel.*, ut Deus ipsum in recta salutis via capessenda dirigeret; v. 3 *is vidit in visu manifeste quasi hora diei nona,* quam horam orationis observasse videtur cf. 3,1; notant ea hora qua Christus in cruce pro nobis emisit spiritum ei ex merito Christi nuntium salutarem esse missum (cf. *Bed. Salm.*), *angelum Domini introeuntem ad se et dicentem sibi : Corneli;* ei vigilanti visionem esse oblatam et sensibus exterioribus perceptam, tota narratione ostenditur; v. 4 *at ille intuens eum timore correptus,* « id humanae imbecillitati tribuendum est, et bonorum angelorum est initio perterrefacere » (*Salm.*): cf. Iud. 6,22; 13,22. Dan. 10,8. Luc. 1,12 etc. *dixit : quid est, Domine? dixit autem illi : orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei;* hisce duabus vocibus pietas in Deum et caritas in proximum comprehenditur; dicuntur ascendisse in memoriam, tanquam memoriale quoddam, ut Deus recordatus illa ampliore gratia remuneraret (*Salm. Beel. Patr. Felt.*); ascenderunt, ita ut tui memoria sit apud Deum, ut essent quoddam memoraculum. Apud LXX haec vox μνημόσυνον ponitur pro hebr. אַזְכָּרָה (Lev. 2,2. 9,16; 5,12 etc. cf. Eccli. 38,11; 45,16; vulg. 20), quo nomine ea pars ferti intelligitur quae in altari comburitur; unde hanc notionem aliqui etiam hic retinent: ascenderunt tamquam sacrificium memoriale (cf. *Calm. Wendt*), quae tamen acceptio in locutione ad alienigenam subtilior videtur. Iam ei indicatur, qua ratione Deus intuitu obsecrationum et eleemosynarum eum in viam salutis velit adducere : v. 5 *et nunc mitte viros in Ioppen et accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus;* v. 6 *hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare;* « quid, si contigisset alium esse Simonem et ipsum coriarium? sed et aliam no-

tam habebat, quod habitaret iuxta mare; tria autem illa non concurrere poterant » (*Chr.*). A talmudistis statuitur : cadavera et sepulcra separant et coriarium quinquaginta cubitos a civitate (Baba bathra 2,9; *Surenhusius* IV p. 164); *hic dicet tibi quid te oporteat facere;* vide lect. var.; « haec absunt a ceteris translationibus vetustis aeque ac a plerisque codicibus graecis; nemo tamen non sentit ea vel certe eorum similia necessaria fuisse ad Cornelium edocendum quorsum vocari Petrum oporteat; quod quidem se ab angelo doctum esse tum ipse Petro v. 32 gr. (secundum plures testes), tum Petrus Christianis hierosolymitanis 11,14 narrarunt » (*Patr.*), et antea iam viri a Cornelio missi v. 22.

Cornelius nihil cunctatur (v. 33); visio facta est φανερῶς, ita ut omnis deceptio sensuum excludatur (*Weiss*); locutionem audivit; habet testimonium duorum sensuum; mandatum ipsum ea respicit quae oratione tacita efflagitavit. Unde rem esse coelitus factam omni ex parte constare ei potuit; v. 7 *et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos,* servos seu famulos, *et militem metuentem Dominum,* εὐσεβῆ pium, *ex his qui illi parebant* τῶν προσκαρτερούντων qui assiduo illi aderant ministerii causa. Milite romano comite tuti erant in itinere ab omni molestia. Hisce qui omnes viri erant religiosi (v. 2. 7) quid sibi evenerit et cur eos mittat ad Iudaeos exponere potuit v. 8 *quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen,* urbem distantem a Caesarea 44 kilometr. (*Felt.*).

β) Visio Petro oblata 10,9-16.

10,9. Postera autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam. 10. Et quum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus : 11. Et vidit coelum apertum, et descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de coelo in terram. 12. In quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia coeli. 13. Et facta est vox ad eum : Surge, Petre; occide, et manduca. 14. Ait autem Petrus : Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum : quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.

10,9. Τῇ δὲ ἐπαύριον ὁδοιπορούντων ἐκείνων καὶ τῇ πόλει ἐγγιζόντων, ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι περὶ ὥραν ἕκτην. 10. ἐγένετο δὲ πρόσπεινος καὶ ἤθελεν γεύσασθαι· παρασκευαζόντων δὲ αὐτῶν, ἐγένετο ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις, 11. καὶ θεωρεῖ τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, καὶ καταβαῖνον σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην, τέσσαρσιν ἀρχαῖς καθιέμενον ἐπὶ τῆς γῆς, 12. ἐν ᾧ ὑπῆρχεν πάντα τὰ τετράποδα καὶ ἑρπετὰ τῆς γῆς καὶ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. 13. καὶ ἐγένετο φωνὴ πρὸς αὐτὸν, Ἀναστὰς, Πέτρε, θῦσον καὶ φάγε. 14. ὁ δὲ Πέτρος εἶπεν, Μηδαμῶς, Κύριε· ὅτι οὐδέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον. 15. καὶ φωνὴ πάλιν ἐκ δευτέρου πρὸς αὐτὸν, Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισεν σὺ μὴ κοίνου. 16. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ

16. Hoc autem factum est per ter; et statim receptum est vas in coelum.	τρίς. καὶ εὐθὺς ἀνελήμφθη τὸ σκεῦος εἰς τὸν οὐρανόν.

In v. 11 δεδεμενον και καθιεμενον C* LP 61. al pler; sim d syr ph sah gig (et quattuor principiis ligatum vas quoddam... quod deferebatur in terram). In v. 16 παλιν DLP al pler e ph Chr gig denuo.

Visione Petrus a Domino praeparatur, ut, quemadmodum Hieronymus ait, de circumcisionis angustiis ad praeputii latitudinem transferatur (ep. 79; M. 22,725); v. 9 *postera autem die iter illis facientibus et appropinquantibus civitati*, sunt a Caesarea Ioppen triginta millia passuum (*Bl.*), circiter quadraginta (*Patr.*), *ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam* ἐπὶ τὸ δῶμα, in tectum more regionis planum; in Palaestina enim, inquit Hieronymus, et in Aegypto non habent in tectis culmina, sed δώματα, quae Romae vel solaria vel moeniana vocant, id est, plana tecta quae transversis trabibus sustentantur (ep. 106; *M.* 22,859); cf. Matth. 10,27; 24,17; ascendit, ut seorsim et in quiete oraret (*Chr.*); v. 10 *et cum esuriret, voluit gustare*, cibum capere; *parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus*, ecstasis, spiritualis contemplatio (θεωρία, *Chr.*) abalienatis a communi vitae commercio sensibus et soli manifestationi coelesti apertis et intentis; cf. 2 Cor. 12,2 seq. Uti haud raro pro varia corporis dispositione dormientibus varia oriuntur somnia — ita somniat esuriens se comedere Is. 29,8 — ita placuit hic quoque Deo visionem adaptare proxime ad Petri esuriem quam sentiebat eo diei tempore, hora sexta post solis ortum; v. 11 *et vidit coelum apertum et descendens vas quoddam velut linteum magnum quattuor initiis* ἀρχαῖς i. e. extremitatibus *submitti de coelo in terram;* linteum videt submissum quattuor extremis angulis, unde apparet tamquam receptaculum superiore parte apertum, quare speciem habet quasi vasis; quod saepius additur δεδεμένον, ligatum, explicationis gratia additum videtur, ut intelligatur quasi funibus ad extremitates additis esse linteum e coelo demissum; v. 12 *in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia coeli;* repraesentantur viventia v. 13; unde explicant, cur desint pisces, qui utique vivi in linteo exhiberi commode non poterant; πάντα omne genus (*Bl.*); plerumque explicant, omnia animalium genera pura et impura ibi Petro exhibita fuisse (*Calm. Beel. Patr. Felt. Bl. Wendt*); verum ex responsione Petri concludendum erit cum *Salm. Lap.* sola immunda ibi ostensa esse; cf. ad v. 14.

Cum Petrus esuriret, v. 13 *et facta est vox ad eum : surge, Petre,* vel quia in genua procumbens videt visionem (*Chr. Felt.*) vel ut sit

idem quod : accinge te ad opus, incipe (8,26; 9, 11 etc.) *occide*, macta (*Cassiod.*) *et manduca;* v. 14 *ait autem Petrus : absit,* μηδαμῶς, minime, nequaquam scil. τοῦτο γένοιτο, *Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum,* nunquam... omne, hebraismus est : nunquam quidquam (cf. Eccli. 7,14 noli velle mentiri omne mendacium, i. e. ullum; Luc. 1,37. Rom. 3,20 etc.). Ex quo responso consequitur sola immunda esse ei in visione oblata. Si enim munda quoque vidisset sibi proponi, potuisset et debuisset mandatum ita concipere, ut ex mundis mactaret et manducaret, neque erat ullo modo cur protestaretur se nunquam aliquid immundi attigisse. Nam si munda adfuissent, ea accepisset relictis immundis; iam autem videns omnia immunda exhorrescens dixit : nequaquam (*Lap.*). Neque enim supponi potest mandatum fuisse, ut omnia quae videt, munda et immunda simul mactaret et manducaret; solum in hac suppositione responsio mundis quoque exhibitis posset apte explicari. Bene iam dicitur in responsione ad quaest. 89 ad orthodoxos : Petrum respondisse ad aspectum omnium quae ei monstrata fuerant, non de quibusdam, sola immunda in linteo fuisse (*M.* 6, 1332). Dicit autem utrumque : commune (cf. Marc. 7,2. 5) et immundum ad significandum suum magnum horrorem augendo sermonem (*Cai.*). De immundis animalibus vide Lev. 11 et Deut. 14.

Verum coelitus aliter docetur v. 15 *et vox iterum secundo ad eum : quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris;* eo iam quod linteum illud de coelo in terram demittitur, quae in eo sunt, coram Deo non esse immunda colligi potuit; nunc vero declaratur discrimina illa legis inter munda et immunda a Deo esse abrogata; v. 16 *hoc autem factum est per ter;* cf. Gen. 41;32 quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est (*Calm.*); ter fit quo certius de re constet; « tertio repetita figura, ut beatus Ambrosius interpretatur, operationem Trinitatis expressit, et ideo in mysteriis interrogatio trina defertur et confirmatio trina celebratur; unde ipse Petrus in Evangelio tertio interrogatur, utrum diligat Dominum, ut trina responsione vincula quae Dominum negando ligavit absolveret » (*Beda*); *et statim receptum est vas in coelum,* quo symbolo patefit, omnia illa esse munda coram Domino.

γ) Petrus venit ad centurionem 10,17-27.

10,17. Et dum intra se haesitaret Petrus quidnam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant a Cornelio, inquirentes domum Simonis, adsti-

10,17. Ὡς δὲ ἐν ἑαυτῷ διηπόρει ὁ Πέτρος, τί ἂν εἴη τὸ ὅραμα ὃ εἶδεν, ἰδού, οἱ ἄνδρες οἱ ἀπεσταλμένοι ὑπὸ τοῦ Κορνηλίου, διερωτήσαντες τὴν οἰκίαν τοῦ Σίμωνος,

terunt ad ianuam. 18. Et quum vocassent, interrogabant si Simon qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei : Ecce viri tres quaerunt te. 20. Surge itaque, descende, et vade cum eis nihil dubitans; quia ego misi illos.

21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit : Ecce ego sum quem quaeritis; quae causa est propter quam venistis? 22. Qui dixerunt : Cornelius centurio, vir iustus, et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Iudaeorum, responsum accepit ab angelo sancto accersire te in domum suam, et audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis; et quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introivit Caesaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et necessariis amicis. 25. Et factum est quum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes eius adoravit. 26. Petrus vero elevavit eum, dicens : Surge; et ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant.

ἐπέστησαν ἐπὶ τὸν πυλῶνα· 18. καὶ φωνήσαντες ἐπύθοντο, εἰ Σίμων ὁ ἐπικαλούμενος Πέτρος ἐνθάδε ξενίζεται. 19. Τοῦ δὲ Πέτρου διενθυμουμένου περὶ τοῦ ὁράματος, εἶπεν τὸ Πνεῦμα, Ἰδοὺ, ἄνδρες δύο ζητοῦντές σε. 20. ἀλλὰ ἀναστὰς κατάβηθι, καὶ πορεύου σὺν αὐτοῖς, μηδὲν διακρινόμενος, ὅτι ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτούς.

21. Καταβὰς δὲ Πέτρος πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶπεν, Ἰδοὺ, ἐγώ εἰμι ὃν ζητεῖτε· τίς (ἡ) αἰτία δι' ἣν πάρεστε; 22. οἱ δὲ εἶπαν, Κορνήλιος ἑκατοντάρχης, ἀνὴρ δίκαιος καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, μαρτυρούμενός τε ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, ἐχρηματίσθη ὑπὸ ἀγγέλου ἁγίου, μεταπέμψασθαί σε εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, καὶ ἀκοῦσαι ῥήματα παρὰ σοῦ. 23. εἰσκαλεσάμενος οὖν αὐτοὺς ἐξένισε. Τῇ δὲ ἐπαύριον ἀναστὰς ἐξῆλθεν σὺν αὐτοῖς, καί τινες τῶν ἀδελφῶν τῶν ἀπὸ Ἰόππης συνῆλθον αὐτῷ. 24. τῇ δὲ ἐπαύριον εἰσῆλθεν εἰς τὴν Καισάρειαν· ὁ δὲ Κορνήλιος ἦν προσδοκῶν αὐτοὺς, συνκαλεσάμενος τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ καὶ τοὺς ἀναγκαίους φίλους. 25. Ὡς δὲ ἐγένετο τοῦ εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον, συναντήσας αὐτῷ ὁ Κορνήλιος, πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας προσεκύνησεν· 26. ὁ δὲ Πέτρος ἤγειρεν αὐτὸν λέγων, Ἀνάστηθι. καὶ ἐγὼ αὐτὸς ἄνθρωπός εἰμι. 27. καὶ συνομιλῶν αὐτῷ, εἰσῆλθεν καὶ εὑρίσκει συνεληλυθότας πολλούς.

In v. 19 ανδρες sine addit DHLP al fere 60 ph Cyr Chr Theoph Aug Amb; addunt τρεις ℵ ACE vulg sah cop syr ph (marg) aeth Theoph (b); B δυο. In v. 21 D τι θελετε, η τις etc; item ph. In v. 25 D προσεγγιζοντος δε του πετρου εις την Καισαριαν προδραμων εις των δουλων διεσαφησεν παραγεγονεναι αυτον. ο δε Κορνηλιος εκπηδησας και συναντησας αυτω πεσων προς τους ποδας etc., sim ph (mg) gig. In v. 26 D τι ποιεις; sim ph; add D* E ως και συ, gig sicut tu; sim cop aeth.

Non verbis, sed reipsa declarat Dominus quo tendat visio; v. 17 *et dum intra se haesitaret Petrus, quidnam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant a Cornelio inquirentes* διερωτήσαντες percontati, postquam perrogando invenerunt *domum Simonis astiterunt ad ianuam* πυλῶνα, ad vestibulum (*Patr.*), ad anteriorem aedium partem; cf. 12,13; v. 18 *et cum vocassent* unum alterumve ex servis vel domesticis, *interrogabant, si Simon qui cognominatur Petrus illic haberet hospitium;* v. 19 *Petro autem cogitante de visione,* διενθυμουμένου multum animo perpendente, quid sibi vellet visio;

idem fere est atque διαπορεῖν v. 17 (*Bl.*); « facile anima solutionem accipit quae prius dubitavit » (*Chr.*), unde *dixit Spiritus ei : ecce viri tres quaerunt te,* v. 20 *surge itaque, descende ἀλλά,* sed surgens descende; « coniunctio adversativa ἀλλὰ spectat ad id quod Petrus illis viris rogantibus oppositurus erat, quodque postea explicate professus Cornelio est v. 28; videlicet quemadmodum antea iussus edere de cibis quibus vesci haud licebat, opposuerat se ne faceret religione impediri v. 13. 14, itidem tunc rogatus alienigenae domum adire religionem excusasset. Est igitur in oratione ellipsis, idque deest ad quod referas illud ἀλλὰ, plenaque oratio sic foret : ecce viri quaerunt te; ambiges quidem an ire cum eis tibi liceat, sed surgens descende » (*Patr.* sim. *Wendt*); cf. *Klotz,* Devar. I p. 7; vel generatim dici potest ἀλλὰ ante imperativum significare transitum ad rem in qua cardo vertatur (cf. 9,7; *Bl.*); *et vade cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos;* iam Petrus perspicit ad quid spectaverit visio, cf. v. 28.

Internae allocutioni Spiritus sancti obsequitur v. 21 *descendens autem Petrus ad viros dixit : ecce ego sum quem quaeritis, quae causa est propter quam venistis?* v. 22 *qui dixerunt : Cornelius centurio, vir iustus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Iudaeorum,* « laudes proferunt, ut suadeant quod angelus apparuerat ei » (*Chr.*); commemorant dignitatem eius, dein qualis habeatur apud suos et quam bono testimonio ab omni populo iudaico commendetur, *responsum accepit* ἐχρηματίσθη, dicitur de responsis quoque oraculorum; proin divinitus admonitus est (*Beel.*), oraculo monitus est (*Patr.*) *ab angelo sancto, accersire te in domum suam et audire verba abs te;* cf. v. 6; v. 23 *introducens ergo eos recepit hospitio,* nulla iam religione impeditus; didicerat ex visione et responsione Spiritus (v. 20) quod in v. 28 aperte profitetur; *sequenti autem die surgens profectus est cum illis, et quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum,* sex Christiani Ioppenses (11,12), τῶν ἀπὸ Ἰόππης, natione Iudaei (v. 45); v. 24 *altera autem die introivit Caesaream; Cornelius vero exspectabat illos convocatis cognatis suis et necessariis amicis* i. e. intimis amicis (*Beel.*); Cornelii fides et pium desiderium describitur in eo quod dicitur Simonem Petrum exspectasse nuntii divini audiendi cupidus; est et aliud pietatis argumentum, quod invitavit cognatos et familiares, ut ii quoque nuntium divinum perciperent (*Salm.*). Simul magnum exhibet Petro honorem tali virorum corona ad eum salutandum convocata.

Maximam ipse Petro reverentiam exhibet v. 25 *et factum est cum introisset Petrus* in urbem, nam in domum demum intrat v. 27; id

quod in altero textu ampliore clare exprimitur; ita textum praebet gig; cum adpropinquaret autem Petrus, unus ex servis percurrens (procurrens?) nunciavit eum venisse; tunc obviavit ei Cornelius etc.; graece habetur : ὡς δὲ ἐγένετο τοῦ εἰσελθεῖν i. e. cum in eo esset ut intraret (cf. *Bels.*), qua igitur dictione idem indicatur quod in textu ampliore legitur et propter v. 27 requiritur; *obvius venit ei Cornelius et procidens ad pedes eius adoravit;* v. 26 *Petrus vero elevavit eum dicens : surge et ego ipse homo sum;* cum centurio ab angelo iussus esset Petrum advocare et ab eo discere (v. 22), maxima quadam in eum reverentia imbuebatur; unde eum more orientalium veneratur ei obviam procedens et sese prosternens; Petrus autem familiariter cum eo colloqui incipit et « confabulando cum illo intravit » (gig) v. 27 *et loquens cum illo intravit* in ipsam domum *et invenit multos qui convenerant* v. 24. Nota honorem illum adorationis, quem Petrus recusat et qui recusatur quoque Apoc. 19,10; 22,8, nunquam recusari a Iesu.

δ) Petrus in domo centurionis 10,28-48.

10,28. Dixitque ad illos : Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam : sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me. 30. Et Cornelius ait : A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea; et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait : 31. Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Ioppen, et accersi Simonem qui cognominatur Petrus; hic hospitatur in domo Simonis coriarii iuxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te; et tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus audire omnia quaecumque tibi praecepta sunt a Domino.

34. Aperiens autem Petrus os suum dixit : in veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus; 35. Sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi. 36.

10,28. Ἔφη τε πρὸς αὐτούς, Ὑμεῖς ἐπίστασθε ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ· κἀμοὶ ὁ Θεὸς ἔδειξεν μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον· 29. διὸ καὶ ἀναντιρρήτως ἦλθον μεταπεμφθείς. πυνθάνομαι οὖν, τίνι λόγῳ μετεπέμψασθέ με; 30. Καὶ ὁ Κορνήλιος ἔφη, Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην τὴν ἐνάτην προσευχόμενος ἐν τῷ οἴκῳ μου· καὶ ἰδού, ἀνὴρ ἔστη ἐνώπιόν μου ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, 31. καί φησι, Κορνήλιε, εἰσηκούσθη σου ἡ προσευχὴ, καὶ αἱ ἐλεημοσύναι σου ἐμνήσθησαν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· 32. πέμψον οὖν εἰς Ἰόππην, καὶ μετακάλεσαι Σίμωνα ὃς ἐπικαλεῖται Πέτρος· οὗτος ξενίζεται ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος βυρσέως παρὰ θάλασσαν· 33. ἐξαυτῆς οὖν ἔπεμψα πρὸς σέ· σύ τε καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος· νῦν οὖν πάντες ἡμεῖς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πάρεσμεν ἀκοῦσαι πάντα τὰ προστεταγμένα σοι ὑπὸ τοῦ Κυρίου.

34. Ἀνοίξας δὲ Πέτρος τὸ στόμα εἶπεν, Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήμπτης ὁ Θεὸς, 35. ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστί. 36. τὸν λόγον ἀπέστειλεν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ,

Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum Christum (hic est omnium Dominus) : 37. Vos scitis quod factum est verbum per universam Iudaeam : incipiens enim a Galilaea, post baptismum quod praedicavit Ioannes : 38. Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute; qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo; quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Iudaeorum et Ierusalem; quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, 41. Non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. 42. Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum. 43. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

44. Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? 48. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, (οὗτός ἐστιν πάντων Κύριος,) 37. ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάνης· 38. Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς Πνεύματι Ἁγίῳ καὶ δυνάμει, ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν καὶ ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ὅτι ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ· 39. καὶ ἡμεῖς μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησεν ἔν τε τῇ χώρᾳ τῶν Ἰουδαίων καὶ Ἱερουσαλήμ· ὃν καὶ ἀνεῖλαν κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου. 40. τοῦτον ὁ Θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, 41. οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν, οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ, μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· 42. καὶ παρήγγειλεν ἡμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ, καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. 43. τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν.

44. Ἔτι λαλοῦντος τοῦ Πέτρου τὰ ῥήματα ταῦτα ἐπέπεσεν τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον. 45. καὶ ἐξέστησαν οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ οἳ συνῆλθον τῷ Πέτρῳ, ὅτι καὶ ἐπὶ τὰ ἔθνη ἡ δωρεὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου ἐκκέχυται· 46. ἤκουον γὰρ αὐτῶν λαλούντων γλώσσαις, καὶ μεγαλυνόντων τὸν Θεόν. 47. τότε ἀπεκρίθη ὁ Πέτρος, Μήτι τὸ ὕδωρ δύναται κωλῦσαί τις τοῦ μὴ βαπτισθῆναι τούτους, οἵτινες τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἔλαβον ὡς καὶ ἡμεῖς; 48. προσέταξεν δὲ αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ βαπτισθῆναι· τότε ἠρώτησαν αὐτὸν ἐπιμεῖναι ἡμέρας τινάς.

In v. 30 ημην νηστευων και DEHP al pler syr ph gig Chr Bed. In v. 32 add ος παραγενομενος λαλησει σοι CDEHLP al pler cat syr ph arm sah Chr Bed gig (is cum advenerit loquetur tibi). In v. 36 λογον ον ℵ* CDEHLP al fere omn cat syr ph Cyr Chr. In v. 41 add και συνανεστραφημεν D, sim ph gig et conversati sumus, ph per 40 dies; in fine add DE sah gig Bed per 40 dies. In v. 45 gig donum Dei Spiritus sanctus effudit. In v. 46 sah aliis linguis.

Lege quidem non erat statutum accessu ad alienigenam contaminari Iudaeum. At ea proponebantur ex quibus eiusmodi contaminatio facile derivari poterat, imo saepius debebat. Cum enim alienigena praecepta illa munditiei non observaret, per se iam erat quam maxime immundus. Praeterea erant quae attactu immunditiem ad alios transferebant (cf. Lev. 15,2 seq. 19 seq. Agg. 2,13) et generatim terra alienigenarum erat immunda (Am. 7,17); si vero terra, cur non etiam domus eorum? Atque revera legimus : ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur (Ioan. 18,28; cf. 4,9. Marc. 7,2 etc.) et *Iosephus* quoque ait extraneos in consuetudinem non admitti (ἀναμίγνυσθαι ταῖς συνηθείαις οὐκ ἠθέλησεν ὁ νομοθέτης, c. Ap. II n. 28) et *Tacitus* de Iudaeis scribit : adversus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus (Hist. 5,5) et in tractatu mischnico habitationes gentium dicuntur immundae טמאים (Ohaloth 18,7; *Surenhusius* VI p. 210). Unde est, cur Petrus accessum suum et apud alienigenas et apud suos excuset v. 28 *dixitque ad illos : vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo* ἀθέμιτον illicitum, lege interdictum, *coniungi aut accedere ad alienigenam* et itinere longiore facto non solum agebatur de ingressu in domum, sed etiam quod maioris quoque contaminationis erat, de societate mensae; *sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem*, proin ipse explanat quo spectaverit visio sibi oblata (*Cai.*) et hoc effert etiam ad comites suos securos reddendos; simul quoque indicat, se sine isto divino mandato non venturum fuisse (*Irenaeus* cat.), non quia non dignaretur accedere ad alienum, sed quia more nationis esset prohibitum (*Chr.*).

Ne igitur putarent etsi res illicita esset, se utpote principi ea de causa obtemperasse, sed ut ambo totum Deo imputarent (*Chr.*) dixit v. 29 *propter quod sine dubitatione veni accersitus* ἀναντιρρήτως sine contradictione, nihil scil. opponens excusationis, nihil contra oblocutus; indicatur ipsum Deum Christianis vitae societatem cum alienigenis permisisse (*Ammonius* cat.); *interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?* audivit causam e narratione militum v. 22; voluit tamen consulto a Cornelio causam coram omnibus explicari, ut omnes qui aderant et praesertim Iudaei intelligerent et pietatem Cornelii et angeli apparitionem mandatumque, atque ita divino consilio vocationem gentium geri cognoscerent (*Salm.*); v. 30 *et Cornelius ait : a nudiusquarta die usque ad hanc horam orans eram hora nona in domo mea* « quartum diem determinat retrocedendo supputando usque ad hanc horam; fortasse illamet hora erat hora nona, hoc enim videtur significare » (*Cai.*); Caesaream pervenit Petrus eadem ferme

hora qua Cornelius ante quartum diem angelum spectavit, circa horam tertiam pomeridianam (*Calm.*); proin quarto abhinc die (*Lap. Cai. Beel. Calm. Felt. Wendt*) i. e. in distantia (ἀπὸ) quarti diei usque ad hanc horam, id quod nostro considerandi modo dicitur : quarto abhinc die ab hac ipsa hora computando; habes simile quid in computatione Ioan. 11,18; 21,8. Apoc. 14,20; alia exempla vide *Winer* § 61,5.

Cum itaque ante quartum diem oraret hora nona (v. 3) : *et ecce vir stetit ante me,* angelus scil. in forma viri, *in veste candida,* fulgenti, splendida (λαμπρὸς), ipso splendore se non esse hominem manifestans; de angelo sancto loquuntur missi a Cornelio v. 22, *et ait :* v. 31 *Corneli, exaudita est oratio tua et eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei;* cf. v. 4; v. 32 *mitte ergo in Ioppen et accersi Simonem qui cognominatur Petrus; hic hospitatur in domo Simonis coriarii iuxta mare;* vide lect. var. et v. 6; tale quid facile requiritur : is cum advenerit loquetur tibi; nam idem in v. 33 indicatur τὰ προστεταγμένα etc. et ad plenam narrationem desideratur; v. 33 *confestim ergo misi ad te, et tu bene fecisti veniendo; nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus* (ita quoque D syr, sah, aeth; alii : coram Deo adsumus), *audire omnia quaecumque tibi praecepta sunt a Domino.* « Quoties magna evangelizanda sunt, ministri dicuntur os aperire, ut Philippus evangelizaturus eunucho et Dominus Matth. 5 » (*Salm.*) v. 34 *aperiens autem Petrus os suum dixit;* exordium capit ab eo quod modo audivit Deum laudans qui omnibus benigne prospicit; dein docet in Iesu concedi salutem; modum redemptionis factae, vitam Iesu, mortem, resurrectionem brevi perstringit et testimonio probat; sibi munus praedicandi commissum esse asserit, Iesum esse iudicem omnium, credentes in eum accipere remissionem peccatorum.

Ex Cornelii narratione iterum infert ac monet quod pro Iudaeis ut bene intelligatur maximi momenti est et quod simul alienigenis honori est ac solatio quippe qui a Iudaeis se posthaberi religionis causa sciant : *in veritate comperi* καταλαμβάνομαι deprehendo, cognosco vere, *quia non est personarum acceptor Deus;* cf. Deut. 10,17. 2 Par. 19,7. Sap. 6,8. Eccli. 35,16. Rom. 2,11 etc.; non tangitur studio partium, neque ita favet uni, ut alterum abiiciat; opponitur acceptio personarum iustitiae; illa enim externa conditio hominis consideratur quae ad rem iudicandam nihil facit, in ferenda sententia et mercede aut poena distribuenda. Ita v. g. si Deus peccatori ideo parceret quia Iudaeus est; si alteri operanti bonum praemium negaret, quia gentilis vel alienigena est (cf. *Cornely,* Comment. in Rom. p. 126). Iudaeis

hoc erat inculcandum, quam longe Deus absit ab eiusmodi acceptione personarum, quare Petrus iam ex particulari Cornelii causa normam infert generalem, qua illa acceptio personarum penitus excluditur v. 35 *sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi,* δεκτός i. e. ἄξιος δεχθῆναι (*Theoph.*); eum scil. Deus, ut in Cornelio patet, ampliore gratia ad salutis notitiam et viam adducet, et bene notat *Chr.:* vide quomodo hic acceptus erat : simulatque audivit, etiam obtemperavit! Cornelius sua pietate et bonis operibus ita acceptus erat, ut ad cognitionem Iesu eiusque doctrinae et ad unam Ecclesiam Christi per baptismum adduceretur. Proinde verus sensus plane perverteretur, si quis diceret ea sententia commendari vitam honestam nulla religionis particularis ratione habita, praedicari, ut aiunt, indifferentismum religiosum.

Iam declarat se missum ad unam salutis viam docendam (v. 33; 11,14) v. 36 *verbum misit Deus filiis Israel,* salus enim est ex Iudaeis (Ioan. 4,22; cf. Is. 2,2 seq.) et quale sit verbum : *annuntians pacem* est pax quasi quaedam comprehensio bonorum messianorum, nam Messias vocatur et annuntiatur princeps pacis, in regno eius non erit finis pacis (cf. Is. 9,6. 7; 11,6 seq.; 52,7; 54,10; 57,19. Ps. 71,7 etc.) *per Iesum Christum* (*hic est omnium Dominus*) i. e. omnium et Iudaeorum et gentium; per eum Deus omnibus vult salutem obtingi; hoc additur, ut statim intelligatur, licet verbum miserit Deus filiis Israel, id tamen minime apud eos concludi debere; verum pacem esse annuntiatam per eum qui ut est Dominus omnium, ita omnes quoque bonorum suae dominationis participes reddere gestit. Iesu mentione facta ea iis in memoriam revocat, quorum notitiam iam aliquam habent ex rebus palam in Iudaea gestis v. 37 *vos scitis quod factum est verbum,* explica ῥῆμα ut hebr. דבר, rem scil. quae evenit *per universam Iudaeam, incipiens enim a Galilaea post baptismum quod praedicavit Ioannes* ἀρξάμενος tuentur quidem plerique codices; at, sicut *incipiens,* soloecismus est et anacoluthon, quia non pergitur *Iesus,* quem unxit, pertransiit etc., sed constructio redit ad *vos scitis* v. 38 *Iesum a Nazareth,* qua scil. appellatione maxime plebi innotuit (Matth. 21,11. Marc. 10,47; 14,67), *quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute* (cf. ad Matth. 3,16; 4,1; 12,28), *qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo,* ex miraculis ea effert, quae maxime et eius potentiam manifestant et gentilibus admirationi erant; cum enim diabolum superaret, ingentem eius virtutem ac potentiam fuisse oportet (*Chr.*); hisce miraculis et signis se probavit a Deo missum, *quoniam Deus erat cum illo,* ei testimonium divinum praesto erat; cf. Ioan. 6,27 : hunc Pater signavit Deus; vide

Ioan. 5,36; 10,37; v. 39 *et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Iudaeorum et Ierusalem;* cf. 1,21. 22; *quem occiderunt suspendentes in ligno* scil. Iudaei, eo sensu quo eos accusat auctores fuisse caedis Christi 2,23; 3,17; 5,30 et eodem modo locutus est Stephanus 7,52; v. 40 *hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri,* v. 41 *non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo,* antea electis, designatis; cf. 1,2. 8. 22. Luc. 24,48; *nobis qui* οἵτινες quippe qui, qui nempe *manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis;* cf. 1,4. Luc. 24,41-43. Ioan. 21,12. 13; additur apud aliquos testes : et conversati sumus (per dies 40; cf. 1,3) i. e. signis quam maxime manifestis deprehendimus eum vere resurrexisse; v. 42 *et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum;* ea itaque praedicatione testes esse debent; vide ad Matth. 28,19. Marc. 16,15. Luc. 24,47. Ioan. 15,27; est iudex constitutus cf. Ioan. 5,22. 27 et Matth. 25,31 seq.; iudicabit in secundo adventu eos qui tum vivi deprehendentur (*Cai.*, vide 1 Thess. 4,14 et 1 Cor. 15,51 graece; cf. *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 507 seq.; vide 2 Cor. 5,4. 1 Petr. 4,5) et iudicabit eos qui e monumentis egressi coram tribunali sistentur (Ioan. 5,28. 29). Quo iudicio a Patre sibi commisso exhibetur Dominus omnium (1 Cor. 15,25).

Exordium praedicationis faciendum erat a populo (v. 42) i. e. a Iudaeis (cf. 1,8. Rom. 1,16) attamen ibi minime esse sistendum, iam ex oraculis patet prophetarum v. 43 *huic omnes prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius* i. e. per eum qui ut talis innotescit et cognoscitur, *omnes qui credunt in eum;* Messias enim serpentis caput conterit et qui cum eo coniunguntur eius victoriae redduntur participes; in eo benedicuntur omnes gentes (cf. Gen. 3,15; 22,18. Ps. 71,17); Messias enim pacem affert et iustitiam (Is. 9,6. 7; 11,9; 42,7), ipse iustificabit multos (Is. 53,11), in novo foedere Deus, propitiabor, inquit, iniquitati eorum et peccati eorum non memorabor amplius (Ier. 31,34; cf. Ez. 11,19. 20; 36,26. Dan. 9,24. Os. 13,14. Ioel 2,32; 3,21. Mich. 7,18. Soph. 3,13 etc.). — In quo sermone Petrus simul adumbrat v. 37-42 modum quo synoptici de vita Iesu referunt, id quod praeprimis cernitur in evangelio Marci, comitis et interpretis Petri, etiam eo quod ibi quam maxime potestas Iesu in daemones exhibetur (cf. *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 108; Comment. Marc. p. 6).

Non absolvisse Petrum sermonem censet *Chr.;* quae ab ipso ad illorum institutionem dicta sunt, solum per compendium hic referri patet; plura quoque quae hic non innuantur Petrum docuisse, iam eo

liquet quia eos iubet baptizari, baptismo autem praemissam esse doctrinam de baptismo, de mysterio Trinitatis etc. nemo in controversiam vocabit. Novo signo placuit benignae Dei providentiae confirmare coram Iudaeis, gentibus quoque cuncta bona tribui messiana lege mosaica nullatenus intermedia (cf. 15,7-9) v. 44 *adhuc loquente Petro verba haec,* sermone nondum ad finem perducto (*Beel. Felt.*), sermone iam finito (*Bl. Weiss;* cf. Matth. 12,46; 17,5. Luc. 8,49; 22,47; sed dubitare licet, num hisce ostendatur quod volunt, scil. sermoni iam esse finem impositum), *cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum* scil. super Cornelium et quos convocaverat (v. 24. 33); signo sensibili adventus eius manifestabatur v. 46. Iudaeos nondum perspexisse ordine eodem in regno messiano habendos esse alienigenas, eruitur ex eorum admiratione maxima v. 45 *et obstupuerunt,* cf. 2,7 *ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro,* socii eius, non ipse Petrus; is enim bene iam intellexit quomodo Deus alienigenas considerari vellet, *quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est,* idque sine lege mosaica et circumcisione intermedia; unde autem id cognoverint, dicitur v. 46 *audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum;* cf. 2,11. 1 Cor. 13,1; 14,5 seq. Notat *Severus* in cat. prodigia maxime debuisse efflorescere tum temporis, quando difficultas credendi plurimum obtinebat; in novo scil. rerum ordine instituendo. « Ne baptisma gentibus tradere dubitetur, Spiritus sancti testimonio confirmatur, ipsas lavacri aquas quas sanctificare solet novo ordine praecurrentis quod semel in testimonium fidei gentium, nunquam vero in Iudaeis evenisse reperitur » (*Bed.*). Accidit hoc Deo ordinante etiam ad magnam Petri defensionem (*Oec.*) apud fideles ex circumcisione (11,3) v. 47 *tunc respondit Petrus* i. e. ex re facta loquendi et obiectionem romovendi occasionem capit, ad tacitam Iudaeorum cogitationem quasi respondit : *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?* attende dici sicut et nos; proin loqui linguis, quo in eis Spiritus manifestatur, eiusdem rationis esse affirmatur atque apud apostolos et discipulos 2,6 seq.

Ipsa autem loquendi forma ostenditur Petrum haec ideo dixisse ut ante occuparet quod videbat Iudaeos oppositurος fortasse vel cogitaturos, nefas esse alios ex alia atque ex ipsorum gente Christo initiari (*Patr.* sim. *Beel. Calm.*). Neque dixit : quorsum aqua opus est, cum supervenerit in eos Spiritus sanctus ? noverat enim, quod in aqua complerentur divina signa (σύμβολα), nempe mors et sepultura, resurrectio et vita (*Oec.* cf. Rom. 6,3-7). Quare sine ulla mora reipsa ostendit Petrus sibi iam esse perspectum gentes immediate ad omnia

bona messiana debere admitti neque ullum a Iudaeis discrimen statui posse v. 48 *et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi;* cf. 2,38; ipsos socios iubet eos baptizare, quo magis omnem opinionem praeiudicatam vincant et removeant. Ceterum ipsos apostolos raro baptizasse, sed aliis id muneris commisisse, etiam ex 1 Cor. 1,14 collegeris; *tunc rogaverunt eum, ut maneret apud eos aliquot diebus*, quo et eius, utpote viri Dei, consuetudine fruerentur, et magis in doctrina Christi instituerentur.

In hac narratione a probabilitate alienum esse v. 28 contendit *Hilg.*; proselytos enim iam dudum agnitos esse a Iudaeis. Sed quaeritur, in quantum sint agniti. Id nobis ostenditur clare Gal. 2,12, quoniam ipsi Iudaeo-christiani omnino recusant mensae societatem cum ethnico-christianis. Quare iure concluditur etiam magis Iudaeos evitasse consuetudinem cum iis qui circumcisionem non assumpserant; quamvis ceteroquin Deum colerent. Idem improbabile dicit v. 37, Cornelium aliosque nosse quidquam de Iesu eiusque vita, quasi Iesus cum apostolis in aliquo angulo semper latuisset; evangelia de maxima populi commotione testantur; Ioan. 12,20 etiam gentiles Iesum videre volunt. Reprehendit quod Cornelius non motu proprio, sed solum ex mandato divino Petrum advocaverit. Verum unde Cornelius scire poterat tum temporis, necesse esse ex Dei ordinatione ad salutem, ut quis Petro obediat, cum ipse Petrum ne nomine quidem nosset? Idem sermonem Petri multum deficere dicit a nativa simplicitate, et valde diversum esse a priore sermone. Verum utrumque gratis asseri, ipsa explicatione sermonis est ostensum; sermo ad occasionem adaptatus est atque ea recolit quae alias quoque Petrum concionantem audimus. — *Weiss* invenit in v. 41 additamentum redactoris, quia Luc. 24, 41 seq. tangatur, id quod male congruat ad « manifestum fieri »! quasi non eo loco firmum exhiberetur argumentum pro « manifestum fieri ». Miratur quoque, quod nulla fiat mentio Philippi, « qui secundum 8,40 ibi erat » — ubi scriptum est, eum semper remansisse Caesareae?

ε) Petrus quod egit defendit 11,1-18.

11,1. Audierunt autem apostoli et fratres qui erant in Iudaea, quoniam et gentes receperunt verbum Dei. 2. Quum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, 3. Dicentes : Quare introisti ad viros praeputium habentes et manducasti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens : 5. Ego eram in civitate Ioppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de coelo, et venit usque ad me. 6. In quod intuens considerabam, et vidi qua-

11,1. Ἤκουσαν δὲ οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀδελφοὶ οἱ ὄντες κατὰ τὴν Ἰουδαίαν, ὅτι καὶ τὰ ἔθνη ἐδέξαντο τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. 2. ὅτε δὲ ἀνέβη Πέτρος εἰς Ἱερουσαλήμ, διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς, 3. λέγοντες, ὅτι εἰσῆλθεν πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας, καὶ συνέφαγεν αὐτοῖς. 4. Ἀρξάμενος δὲ Πέτρος ἐξετίθετο αὐτοῖς καθεξῆς λέγων, 5. Ἐγὼ ἤμην ἐν πόλει Ἰόππῃ προσευχόμενος, καὶ εἶδον ἐν ἐκστάσει ὅραμα, καταβαῖνον σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην τέσσαρσιν ἀρχαῖς καθιεμένην ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἦλθεν ἄχρι ἐμοῦ· 6. εἰς ἣν ἀτενίσας κατενόουν, καὶ εἶδον τὰ τετράποδα τῆς γῆς καὶ τὰ θηρία

drupedia terrae et bestias et reptilia et volatilia coeli. 7. Audivi autem et vocem dicentem mihi : Surge, Petre; occide, et manduca. 8. Dixi autem : Nequaquam, Domine, quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum. 9. Respondit autem vox secundo de coelo : Quae Deus mundavit, tu ne commune dixeris. 10. Hoc autem factum est per ter; et recepta sunt omnia rursum in coelum.

11. Et ecce viri tres confestim adstiterunt in domo in qua eram, missi a Caesarea ad me. 12. Dixit autem Spiritus mihi ut irem cum illis nihil haesitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri. 13. Narravit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi : Mitte in Ioppen, et accersi Simonem qui cognominatur Petrus. 14. Qui loquetur tibi verba in quibus salvus eris tu et universa domus tua. 15. Quum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. 17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus sicut et nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum? 18. His auditis, tacuerunt; et glorificaverunt Deum dicentes : Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.

καὶ τὰ ἑρπετὰ καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. 7. ἤκουσα δὲ καὶ φωνῆς λεγούσης μοι, Ἀναστὰς, Πέτρε, θῦσον καὶ φάγε. 8. εἶπον δὲ, Μηδαμῶς, Κύριε· ὅτι κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον οὐδέποτε εἰσῆλθεν εἰς τὸ στόμα μου. 9. ἀπεκρίθη δὲ ἐκ δευτέρου φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισεν, σὺ μὴ κοίνου. 10. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρὶς, καὶ ἀνεσπάσθη πάλιν ἅπαντα εἰς τὸν οὐρανόν.

11. Καὶ ἰδοὺ, ἐξαυτῆς τρεῖς ἄνδρες ἐπέστησαν ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἐν ᾗ ἤμεν, ἀπεσταλμένοι ἀπὸ Καισαρείας πρός με. 12. εἶπεν δὲ τὸ Πνεῦμά μοι συνελθεῖν αὐτοῖς, μηδὲν διακρίναντα. ἦλθον δὲ σὺν ἐμοὶ καὶ οἱ ἓξ ἀδελφοὶ οὗτοι, καὶ εἰσήλθομεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀνδρός, 13. ἀπήγγειλεν δὲ ἡμῖν πῶς εἶδεν τὸν ἄγγελον ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ σταθέντα καὶ εἰπόντα Πέμψον εἰς Ἰόππην καὶ μετάπεμψαι Σίμωνα τὸν ἐπικαλούμενον Πέτρον, 14. ὃς λαλήσει ῥήματα πρὸς σὲ, ἐν οἷς σωθήσῃ σὺ καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου· 15. ἐν δὲ τῷ ἄρξασθαί με λαλεῖν, ἐπέπεσεν τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐπ' αὐτοὺς, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἡμᾶς ἐν ἀρχῇ. 16. ἐμνήσθην δὲ τοῦ ῥήματος τοῦ Κυρίου, ὡς ἔλεγεν, Ἰωάνης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν Πνεύματι Ἁγίῳ. 17. εἰ οὖν τὴν ἴσην δωρεὰν ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς ὡς καὶ ἡμῖν, πιστεύσασιν ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐγὼ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν Θεόν; 18. Ἀκούσαντες δὲ ταῦτα ἡσύχασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν, λέγοντες, Ἄρα καὶ τοῖς ἔθνεσιν ὁ Θεὸς τὴν μετάνοιαν εἰς ζωὴν ἔδωκεν.

In v. 2 textum ex D ph c* al ita statuunt : ο μεν ουν Πετρος δια ικανου χρονου ηθελησεν πορευθηναι εις Ιερ. και προσφωνησας τους αδελφους και επιστηριξας αυτους πολυν λογον ποιουμενος (ανεδαινεν) δια των χωρων διδασκων αυτους εως κατηντησεν εις Ιερ. και απηγγειλεν αυτοις την χαριν του θεου· οι δε εκ περιτομης αδελφοι διεκρινοντο προς αυτον. In v. 3 εισηλθεν, συνεφαγεν BL pl minusc syr ph (textu); al uti vulg. In v. 7 D φωνην λεγουσαν, αναστα, gig surge. In v. 11 ημεν ℵ ABD; al ημην. In v. 13 B πεμψον; rell αποστειλον. In v. 17 D add in fine του μη δουναι αυτοις πνευμα αγιον πιστευσασιν επ αυτω, sim ph c* Aug.

Commemorat iam *Calm.* quod in altero textu explicatius refertur, scil. Petrum non solum per aliquot dies, ut illi petierant, Caesareae remansisse, sed per multum temporis et antequam proficisceretur fra-

tres esse allocutum eosque longo sermone habito confirmasse; dein per regiones docuisse donec veniret Ierusalem. Quam rerum descriptionem *Bels.* firmum censet esse argumentum, haec non ab extraneo quodam esse adscripta, sed ad priorem Lucae narrationem esse referenda (p. 63). Quanti momenti habita sit haec innovatio instituendi vitae mensaeque societatem cum alienigenis, etiam eo liquet quod Lucas iterum totum illum eventum iisdem fere verbis refert occasione disceptationis et querelarum Iudaeo-christianorum. Vocatur enim in disceptationem modus agendi Petri, ut quo magis controvertatur, eo magis illustris reddatur ac perspicua haec Dei ordinatio et aliter sentientes perspecta veritate acquiescant (cf. *Salm.*); v. 1 *audierunt autem apostoli et fratres qui erant in Iudaea* κατὰ i. e. per Iudaeam scil. dispersi; merito οἱ ὄντες referunt ad apostolos et fratres (*Salm. Beel. Patr. Felt.*), *quoniam et gentes receperunt verbum Dei;* et si Petrus diutius Caesareae versabatur, probabile est praeter domum Cornelii alios quoque ex gentibus verbum recepisse. Neque obstat (quod aliqui monentes obiiciunt), de solo Cornelio reddi rationem a Petro; nam Petrus arguit ex visione habita verbisque auditis quae non ad unum tantum eventum coarctari possunt; atque ita visionem a Petro esse intellectam, iam 10,34. 35 est enuntiatum.

Bene notant *Chr. Salm.* aliique Iudaeos fideles non oggerere Petro: cur illis praedicasti? verum iis offensioni esse vitae mensaeque societatem cum illis initam v. 2 *cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant adversus illum;* quid est διεκρίνοντο; ἐσκανδαλίζοντο, φησίν, οὐ μικρῶς (*Chr.*), *qui erant ex circumcisione,* non igitur apostolis offensioni id erat, sed Iudaeo-christianis, qui ipsa hac dictione iam quasi pars quaedam nimia aestimatione traditionum imbuta designantur; cf. οἱ ἐκ περιτομῆς Rom. 4,12; iis opponuntur οἱ ἐκ πίστεως (Rom. 3,26. Gal. 3,7); v. 3 *dicentes : quare introisti ad viros praeputium habentes et manducasti cum illis,* ὅτι (recitativum); dicunt et murmurantes oggerunt : introisti et manducasti; ergo Petrum violatae religionis accusant. In interpretatione *Chr.* quoque ponit (pro ὅτι) διὰ τί; sed gravior reprehensio et animorum indignatio exprimitur in affirmatione : hoc fecisti quod minime licet facere; nam inquisitio causae fieri potest sine ulla vituperatione, quae utique hoc loco iam verbo διεκρίνοντο designatur.

Petrus facit quod postea in sua epistola priore commendat : parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea quae in vobis est spe (3,15; *Calm.*) v. 4 *incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem* καθεξῆς rem enarrare secundum seriem ordinemque temporis (cf. ad Luc. 1,3) *dicens :* v. 5 *ego eram in civitate Ioppe*

orans et vidi in excessu mentis i. e. in ecstasi (10,10) *visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quattuor initiis* extremitatibus, *submitti de coelo,* et nunc accuratius additur quod 10,11 non habetur ; *et venit usque ad me;* v. 6 *in quod intuens considerabam,* ita plenius suam depingit attentionem et exponit quid animadverterit : *et vidi quadrupedia terrae et bestias* καὶ τὰ θηρία feras bestias, de quibus 10,12 non facta est mentio, *et reptilia et volatilia coeli;* rationem facti sui egregie reddit et prudenter; totam huius rei causam ad Deum auctorem refert, ita ut nihil ipse nisi praemonitus et iussus fecisse deprehendatur (cf. *Chr. Oec. Theoph. Salm.*); v. 7 *audivi autem et vocem dicentem mihi : surge Petre, occide et manduca;* v. 8 *dixi autem : nequaquam, Domine, quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum,* est locutio hebraismum redolens (*Bl.*), 10,14 nunquam manducavi; « videte, quod meum erat feci : dixi nunquam comedi; hoc ad id quod dicebant illi : introisti et comedisti cum illis » (*Chr.*); v. 9 *respondit autem vox secundo de coelo : quae Deus mundavit, tu ne commune dixeris;* v. 10 *hoc autem factum est per ter et recepta sunt omnia rursum in coelum,* ἀνεσπάσθη ἅπαντα, 10,16 ἀνελήμφθη τὸ σκεῦος.

Vide quomodo se defendat nolens doctoris auctoritate uti; sciebat enim se quanto modestius loquebatur, tanto magis illos capturum esse (*Chr.*); v. 11 *et ecce viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram,* vel graece : eramus, scil. iam respicit socios v. 12 quos secum adhibuit, *missi a Caesarea ad me;* v. 12 *dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis nihil haesitans,* brevius quam 10,19. 20 res refertur; hic μηδὲν διακρίναντα non faciens discrimen, inter Iudaeum scil. et alienigenam; ibi μηδὲν διακρινόμενος nihil haesitans, dubitans, i. e. utrum liceat necne ire cum iis. Sed utrumque eundem tandem sensum exhibet; nam eo ipso quod iubetur ire nihil dubitans, iubetur nullum facere discrimen, sed cum iis ire ac si Iudaei essent. Uti in triplici narratione de conversione Sauli, ita hic Lucas minime sollicitus est plane eadem verba servare; exinde autem distinguere inter fontem et redactorem (*Weiss*) subtilius est et omnino gratuito infertur; quotus enim quisque eventum eundem quem bis terve narrat semper iisdem plane verbis sine ulla mutatione explicabit? Concedatur itaque etiam auctori sacro quod inter homines fieri assolet! Bene notat *Chr. :* « vide, quod Spiritus sit legislatio »? Ergo valide suam tuetur causam : visio ter ei fuit exhibita, ac per Spiritum discit legationem adesse a Cornelio et ab eo iubetur ire (*Salm.*); *venerunt autem mecum et sex fratres isti;* numerum sociorum nunc discimus; simul hos adesse tamquam testes eorum quae apud Cornelium evene-

rint; « quid Petro humilius, qui etiam hic fratrum testimonium adhibet » (*Chr.*), *et ingressi sumus in domum viri;* v. 13 *narravit autem nobis, quomodo vidisset angelum in domo sua stantem et dicentem sibi : mitte in Ioppen et accersi Simonem qui cognominatur Petrus,* explicatius 10,30. 31. 32; omnino probabile est Petrum ea quoque commemorasse coram Iudaeis quibus pietas Cornelii commendatur, quae Lucas pro iis scribens qui iam legerunt cap. 10 utique commode omittere poterat; additur quod 10,6 non ita effertur v. 14 *qui loquetur tibi verba in quibus,* per quae, utpote subsidia ad viam salutis ostendendam, *salvus eris tu et universa domus tua;* atque eiusmodi fuisse dicta ad Cornelium, satis elucet ex 10,22. 33.

« Ergo Spiritu mittente, Deo iubente, per angelum inde vocante, hinc urgente, rerum discrimen solvente, quid faciendum erat » (*Chr.*)? Cornelio non loquitur nisi cognita causa (*Salm.*); porro aliud idque manifestissimum accepit documentum voluntatis divinae v. 15 *cum autem coepissem loqui*, videtur indicare se non absolvisse sermonem, vide ad 10,44, *cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio* scil. die pentecostes, qui erat initium praedicationis apostolicae et muneris obeundi quod illis demandatum erat; cum dicat *sicut et in nos* et adventus Spiritus sancti ex glossolalia sit cognitus (10,46), apparet glossolaliam esse eandem de qua 2,11; tum Petrus meminit verbi Domini v. 16 *recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto,* 1,5 et simul perspexit illud *vos* minime ad apostolos et Iudaeos esse restrictum a Christo. Non solum adventum Spiritus in medium profert, sed etiam verbum Domini commemorat; itaque nihil novi accidit, sed id quod praedixerat (*Chr.*). Ipse Deus itaque pares demonstravit Iudaeos et gentiles; id quod declaratur v. 17 *si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum?* πιστεύσασιν sine articulo videtur potius referendum esse ad αὐτοῖς et addere illam conditionem qua impleta gentilibus Deus τὴν ἴσην δωρεὰν dederit, quia scil. crederent in Dominum Iesum Christum; ad utramque vocem αὐτοῖς et ἡμῖν referunt *Beel. Patr.*, ad ἡμῖν *Wendt, Felt.* « Ergo Deus illos baptizavit, non ego. Non dixit : post haec omnia annon oportebat demum aquam addere? sed quasi nihil deficeret : ego quis eram, inquit, δυνατὸς κωλῦσαι τὸν Θεόν; βαβαί, οἵα ἡ ἀπολογία! Papae, qualis defensio! Neque enim dixit : haec ergo cum sciatis quiescite, sed quid? excipit illorum impetum et illis accusantibus se purgat; vehementer et graviter se defendit » (*Chr.*). Duae sunt quaestiones concisae, quasi cum indi-

gnatione disceptantibus propositae : quis eram ego? scil. cum Deo eiusque voluntate comparatus; an poteram ego Deum prohibere et impedire? Num igitur Deo rem vituperationi vertere vultis? Non contra me, sed in Deum disceptatis.

Ubique igitur non se, sed Deum auctorem ostendit (*Chr.*) v. 18 *his auditis tacuerunt et glorificaverunt Deum dicentes : ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam,* ἡσύχασαν acquieverunt et abiecta vanitate nationali Deo laudes dixerunt, quia gentilibus quoque aditum ad vitam, ad regnum messianum eiusque bona concessit. Utinam omnes Iudaei eandem animi dispositionem induissent! Verum plerique cum viderent gentes admitti sine circumcisione, malebant iacturam facere regni messiani quam suae nationis (cf. 13,45. Gal. 6,12. 13). Notandum est firmissimum hac narratione praeberi argumentum pro necessitate baptismi, ut quis evadat membrum Ecclesiae. Quamvis enim Cornelius aliique iam accepissent Spiritum sanctum et charisma eius, tamen prorsus necessarium censuit Petrus baptisma. — De Cornelio quae traditione feruntur vide Constitut. apost. 6,12; 7,46 (*M.* 1,940. 1049 : Caesareae primum episcopum fuisse Zachaeum, post eum Cornelium); vita cius, labores, martyrium *M.* Patrol. gr. 114, 1293-1312 apud Metàphrasten; Baronius ad annum 41 n. 2-12; Acta SS. Bolland. Febr. tom. 1 p. 279 seq. ad 2 diem Febr.; Graeci Cornelium venerantur die 13 Sept. uti ex Menologio et Menaeis patet.

c) Primordia ecclesiae antiochenae 11,19-30.

11,19. Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione quae facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phoenicen, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudaeis. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenaei, qui quum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Graecos, annuntiantes Dominum Iesum. 21. Et erat manus Domini cum eis; multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.

22. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiae quae erat Ierosolymis super istis : et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. 23. Qui quum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est; et hortabatur omnes in proposito cordis

11,19. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ διῆλθον ἕως Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Ἀντιοχείας, μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. 20. ἦσαν δέ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες ἐλθόντες εἰς Ἀντιόχειαν ἐλάλουν καὶ πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον Ἰησοῦν. 21. καὶ ἦν χεὶρ Κυρίου μετ' αὐτῶν· πολύς τε ἀριθμὸς ὁ πιστεύσας ἐπέστρεψεν ἐπὶ τὸν Κύριον.

22. Ἠκούσθη δὲ ὁ λόγος εἰς τὰ ὦτα τῆς ἐκκλησίας τῆς οὔσης ἐν Ἱερουσαλὴμ περὶ αὐτῶν· καὶ ἐξαπέστειλαν Βαρνάβαν ἕως Ἀντιοχείας. 23. ὃς παραγενόμενος καὶ ἰδὼν τὴν χάριν τὴν τοῦ Θεοῦ ἐχάρη, καὶ παρεκάλει πάντας τῇ προθέσει τῆς

permanere in Domino : 24. Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto et fide. Et apposita est multa turba Domino. 25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quaereret Saulum; quem quum invenisset, perduxit Antiochiam. 26. Et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia; et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli, Christiani.

27. In his autem diebus supervenerunt ab Ierosolymis prophetae Antiochiam. 28. Et surgens unus ex eis, nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio. 29. Discipuli autem, prout quis habebat proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudaea fratribus : 30. Quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabae et Sauli.

καρδίας προσμένειν ἐν τῷ Κυρίῳ. 24. ὅτι ἦν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ πλήρης Πνεύματος Ἁγίου καὶ πίστεως. καὶ προσετέθη ὄχλος ἱκανὸς τῷ Κυρίῳ. 25. Ἐξῆλθεν δὲ εἰς Ταρσὸν ἀναζητῆσαι Σαῦλον, καὶ εὑρὼν ἤγαγεν εἰς Ἀντιόχειαν. 26. ἐγένετο δὲ αὐτοῖς καὶ ἐνιαυτὸν ὅλον συναχθῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ διδάξαι ὄχλον ἱκανὸν, χρηματίσαι τε πρώτως ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς.

27. Ἐν ταύταις δὲ ταῖς ἡμέραις κατῆλθον ἀπὸ Ἱεροσολύμων προφῆται εἰς Ἀντιόχειαν. 28. ἀναστὰς δὲ εἷς ἐξ αὐτῶν, ὀνόματι Ἄγαβος, ἐσήμαινεν διὰ τοῦ Πνεύματος, λιμὸν μεγάλην μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην· ἥτις ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου. 29. τῶν δὲ μαθητῶν καθὼς εὐπορεῖτό τις, ὥρισαν ἕκαστος αὐτῶν εἰς διακονίαν πέμψαι τοῖς κατοικοῦσιν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀδελφοῖς. 30. ὃ καὶ ἐποίησαν, ἀποστείλαντες πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους διὰ χειρὸς Βαρνάβα καὶ Σαύλου.

In v. 20 Ελληνας ℵ^c AD* Eus (h. e. 2,3,3) Chr Oec Theoph syr Ti; al Ελληνιστας. In v. 25 ampliorem textum praebent D ph (mg) gig : audiens autem quod Saulus esset Tharso, exivit requirere eum et cum invenisset eum, duxit Antiochiam (gig), D και ως συντυχων παρεκαλεσεν ελθειν εις αντ. sim ph. In v. 26 gig contigit autem illis totum annum commisceri ecclesiae; sim D. In v. 28 D ην δε πολλη αγαλλιασις συνεστραμμενων δε ημων εφη εις εξ αυτων ον. αγ. σημενων, item Aug eratque magna exsultatio. Congregatis autem nobis surgens unus ex illis (serm. dom. 2 n. 57; M. 34,1295); item in antiqua versione latina (cf. *S. Berger*, Un ancien texte latin des Actes des Apôtres, Paris 1895).

Non parum ad verbi profectum contulit persecutio (*Chr.*). Hoc iam ostensum 8,4 seq. et iterum declaratur v. 19 *et illi quidem* οἱ μὲν οὖν, illi ergo, οὖν est particula resumentis; narrationem 8,4 inceptam iterum resumit, *qui dispersi fuerant a tribulatione quae facta fuerat sub Stephano* ἐπὶ Στεφάνῳ propter Stephanum, ob eius zelum et libertatem in arguendis Iudaeis (*Beel. Salm. Cai. Patr. Felt.*); interpres latinus legit sine dubio ἐπὶ Στεφάνου (uti habent A E et aliqui minusc.), *perambulaverunt usque Phoenicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Iudaeis;* alium hic statuit *Hilg.* narratorem, qui priori contraria referat; nam *Hilg.* 8,25 dicit omnes illos dispersos reversos esse in Ierusalem, quomodo ergo nunc possunt venire Phoenicen? sed 8,25 ipse perperam sibi finxit interpretationem; nam ex claro contextu ibi solum Petrus et Ioannes dicuntur

reversi. Nulla ergo contradictio, dummodo narratio non corrumpatur! Hi igitur solis Iudaeis praedicabant. At cum increbruisset fama de rebus Caesareae gestis, etiam alii gentibus praedicare coeperunt v. 20 *erant autem quidam ex eis,* scil. ex illis dispersis (*Cai. Beel.*), *viri Cyprii et Cyrenaei* Iudaeo-christiani, Hellenistae; cf. 2,10, *qui cum introissent Antiochiam loquebantur et ad Graecos annuntiantes Dominum Iesum,* Ἕλληνας, gentiles esse intelligendos patet iam ex oppositione ad v. 19 : illi solis Iudaeis, hi (καὶ πρὸς τοὺς...) et ad Graecos loquuntur; et ita explicant *Chr.* (in commentario, in textu fertur Ἑλληνιστάς?) *Cassiod. Cai. Calm. Patr. Beel. Felt.* etc. et ita explicandum est necessario, etsi cum pluribus testibus Ἑλληνιστὰς legeris. Tum esset assumendum vocem hic aliena prorsus notione usurpari. Sed profecto prior lectio est praeferenda, quam syrus quoque interpres ob oculos habuit; nam ubi de Hellenistis sermo est, habet 6,1 graecos discipulos, et 9,29 Iudaeos illos qui sciebant graece; nostro autem loco simpliciter vertit : loquebantur cum Graecis.

Quod hic narratur ab aliquibus negatur, quia id contradicat Paulo, qui apostolatum gentium primus auspicatus sit sibique attribuat. At nullibi apostolus id sibi vindicat, ut *primus* omnium gentibus praedicarit; id sibi attribuit se esse debitorem omnium, se esse gentium apostolum, se plus aliis laborasse (Rom. 1,14; 11,13. 1 Cor. 15,10; cf. *Felt. Wendt*). Haec autem praedicatio fructum tulit insignem v. 21 *et erat manus Domini cum eis,* Deus per eos exserebat suam virtutem, eorum praedicationi potenter sua gratia assistebat (cf. 4,30. Luc. 1,66); *multusque numerus credentium conversus est ad Dominum;* ita igitur Antiochiae, in urbe totius Syriae primaria, in urbe morum corruptione male celebri, primus exstitit maior quidam coetus gentilium conversorum; v. 22 *pervenit autem sermo ad aures ecclesiae quae erat Ierosolymis super istis et miserunt Barnabam,* Cyprium genere 4,36, *usque ad Antiochiam;* ut Cyprius genere mittitur, cum fama de his viris Cypriis et Cyrenaeis et de felici successu perlata esset ad apostolos; qui adfuerint nescimus; fortasse ex cap. 12 concludere licet Petrum et Iacobum tum quoque adfuisse. Mittebatur, « ut conversos plenius informaret, confortaret, consolaretur, regeret » (*Dion.*). In qua missione cernitur cura apostolorum, ut in ecclesia nascenti omnia rite disponantur ad eum modum qui in ecclesia hierosolymitana adoptatus erat; v. 23 *qui cum pervenisset et vidisset gratiam Dei,* quae scil. in optima credentium conversatione et vitae sanctitate efficax cernebatur, *gavisus est et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino,* ut essent in bono coepto sta-

biles (*Dion.*), ut firmo animorum proposito maneant in illa cum Domino unione et coniunctione quam scil. cum eo inierant baptismo (cf. Rom. 6,3). Eum cum auctoritate missum esse, etiam *Cassiodorus* indicat : « missus autem ab apostolis Barnabas quod de ipsis dictum fuerat adprobavit » et quam bene munere suo functus sit, apparet ex laude v. 24 *quia erat vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide*, commendatur ut Stephanus 6,5. Cum itaque Spiritus sanctus in eo esset et ipse Christi doctrinam animo sincero amplexus bene perspiceret, conversionem gentilium non solum approbabat, verum omni studio promovebat; *et apposita est multa turba Domino;* cf. 2,41; 5,14. Deus hoc ipso augmento praedicationem gentibus factam commendat.

Barnabas autem vocationem Sauli noscens, cui Ananias dixerat missus a Domino : eris testis illius ad omnes homines (9,27; 22,15) hunc sibi adiutorem accersendum duxit ad opus aptissimum v. 25 *profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quaereret Saulum, quem cum invenisset perduxit Antiochiam,* atque in hac metropoli Syriae, quae teste Iosepho magnitudine simul aliaque felicitate (καὶ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας) tertium sine dubio inter urbes orbis terrarum romanae ditionis locum obtinebat (Bell. iud. 3,2,4) strenue pro Christo laborabant v. 26 *et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia* συναχθῆναι convenire, congregari (13,44; 15,6. Matth. 28,12) : contigit eis ut in coetu fidelium convenirent (cf. ἐν 1 Cor. 11,18); proin coetus sacros agebant inter fideles antiochenos (*Beel.*); quod alii quandoque explicant : recipi in coetu, hospitio apud eos recipi (*Weiss, Wendt*), ab usu vocis alienum est; praeterea vide Matth. 22,41; 27,17. Marc. 2,2. Luc. 22,66. Act. 20,7 etc. Proin *et* fideles in conventibus sacris instituebant (καὶ) *et docuerunt turbam multam* i. e. magnum gentilium numerum salutari doctrina imbutum Christo aggregabant, *ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christiani;* quia fidelium coetus quam maxime ex gentilibus, alienigenis natione erat constitutus, etiam coetus iste iam satis in omnium oculis distinguebatur a Iudaeorum synagogis; unde fidelibus mox novum nomen ab incolis urbis est inditum. Iam nomen proprium quo designabantur contestatur magnum fidelium numerum, ita ut illi iam non possent ignorari.

Nomen Χριστιανοί non est inditum ab ipsis fidelibus; hi enim constanter vocantur sancti, fratres, discipuli; neque a Iudaeis, qui eos Nazarenos appellabant (24,5) neque ullo pacto iis nomen a Messia petitum concessissent; proin datum est ab aliis gentilibus. Ipsa nominis forma designantur qui stent a partibus Christi, eius sint asseclae, eius causam tueantur, ad eum pertineant; talium enim nominum formatio

eo tempore erat usitata : Herodiani (Matth. 22,16 etc.), Carpocratiani, Simoniani etc. (cf. Hegesippus apud Eus. 4,22) 'Ἀττικιανὰ (ἀντιγραφὰ) ab 'Ἀττικός (*Bl.*), quam formationem vocant τύπον 'Ασιανόν, et formatio in ιανος reperitur in cognominibus partium, sectarum. In א* et uno minusc. 61 habetur Χρηστιανους, quae nominis forma Graecis ex nomine Χρηστός satis frequenti (exstat terdecies in Corp. Inscr. Att. vol. 3, *Bl.*) erat magis familiaris, et quam formam gentiles saepe usurpasse Tertullianus iis exprobrat : perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis; nam nec nominis certa est notitia apud vos (Apol. 3; *M.* 1,281). Legitur nomen 26,28 ab Agrippa usurpatum et 1 Petr. 4,16 ex sententia gentilium positum. Ex tempore Neronis nomen refertur apud Tacitum (Annal. 15,44) et Suetonium (Nero 16). Negavit *Lipsius* (Ursprung, Gebrauch d. Christennamens, Iena 1873) quod a Luca asseritur, contendens nomen hoc non ortum esse nisi tempore multo posteriore. Verum consentiens catholicis bene reponit *Bl.* : « vanissima ipsaque specie argumenti destituta sunt, quae contra fidem huius testimonii Lucani a quibusdam sunt prolata; etenim ne poterat quidem Antiochiae secta novicia ex Graecis maximam partem composita communem notitiam effugere, neque, cum esset in vulgus nota, nomine apud vulgus carere ».

Inter subsidia et decora quibus Dominus Ecclesiam suam iuvare et exornare voluit etiam refertur charisma prophetiae (cf. 1 Cor. 14,3. 4. 24.25). Prophetae singulari Spiritus sancti impulsu loquebantur ad aedificationem, exhortationem, consolationem; occulta quoque cordium quandoque pandebant et futura annuntiabant. Viros eo charismate donatos per varios fidelium coetus transiisse ad fidelium institutionem, tum ex hoc loco colligitur, tum ex Doctrina duodecim apostolorum (cf. 11.13); v. 27 *in his autem diebus* commorationis Barnabae et Sauli *supervenerunt ab Ierosolymis prophetae Antiochiam;* hoc loco textus in D et apud Augustinum pergit : eratque magna exsultatio; congregatis autem nobis surgens unus ex illis — qua lectione significatur tum temporis iam Lucam fuisse cum fidelibus Antiochiae; eodem modo legitur in antiqua versione latina, cuius quaedam fragmenta reperit et edidit S. Berger 1895 (vide quoque *Belser* in Theol. Quartalschrift, Tübingen 1896 p. 491); v. 28 *et surgens unus ex eis nomine Agabus* surgens, in publico fidelium conventu (cf. 1 Cor. 14,29. 30), nisi malueris dicere verbum poni more Hebraeorum adeoque fere abundare ; Ἄγαβος forte עגב; sed Esdr. 2,45 חגבה redditur apud *LXX* 'Αγαβά; item Neh. 7,48; eius quoque mentio fit 21,10; *significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum;* sufficit explicare de imperio romano, quod in scriptura et

apud profanos vocari solebat ἡ οἰκουμένη, orbis terrarum (vide quae dixi ad Luc. 2,1). Perperam explicat *Wendt* praedici famem quae uno eodemque tempore omnem occupet terram; verum ex modo prophetico loquendi iam a priore constat nullatenus hunc sensum requiri; sed solum enuntiari famem in ditione romana; utrum haec fames eodem tempore totam occupatura sit regionem, an alio tempore aliam, neque affirmatur neque negatur. Prophetae enim ea quoque quae tempore discreta sunt saepe una eademque dictione complectuntur (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 298 seq.).

Quam praedictionem addit Lucas tempore Claudii Caesaris esse eventu probatam : *quae* fames *facta est sub Claudio;* praedictio itaque facta indicatur sub Caligula vel antea. De qua annonae caritate in Iudaea sub Claudio varia refert *Iosephus* (Antiq. 3,15,3; ὡς τεσσάρων δραχμῶν πωλεῖσθαι τὸν ἀσσάρωνα, 20,2,5 et 20,5,2 misisse Helenam reginam frumentum ex Aegypto); de annonae caritate in imperio romano etiam profani narrant; ita *Suetonius* refert de arctiore annona ob assiduas sterilitates (Claudius 18), *Tacitus* de frugum egestate et orta ex ea fame (Annal. 12,43), *Dio Cassius* λιμοῦ ἰσχυροῦ γενομένου (60,11), Sextus *Aurelius Victor* scribit de annonae egestate pariter sub Claudio (de Caesaribus, cap. 4); de fame in Graecia orta mentio est apud *Eusebium* in chronico versione armena et apud *Hieronymum* (cf. *Schoene,* Eusebii Chronicon II p. 152. 153 : modius unus sex didrachmis venumdatus) vide praeterea *Euseb.* h. e. 2,12 (*M.* 20,165) et *Orosium* 7,6 (*M.* 31,1075). Porro non opus est, ut in unaquaque regione fames orta sit; quare immerito *Schürer* obiicit contra textum (l. c. I p. 454 et 474 ungeschichtliche Generalisirung, asseri famem in universa terra contra fidem historiae; Ausdehnung über die ganze Welt asseri extensionem in universum mundum).

Verum perperam affirmari et eodem tempore fore famem et omnem ea afflictum iri regionem poterant viri critici statim videre (si apud *sacrum* auctorem vellent videre id quod maxime reprehenderent, si quis apud profanum *non* videret) ex v. 29. 30; nam si uno eodemque tempore ubique fames exstitisset, ipsi Antiocheni non habuissent quae mitterent; debuissent fidelibus suis prospicere, non iis vacasset in longinquam mittere subsidia regionem; v. 29 *discipuli autem prout quis habebat,* καθὼς εὐπορεῖτό τις, prout quis opes habebat, pro ratione facultatum seu pecuniarum quas habebat, *proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudaea fratribus;* haec facta sunt tum cum erat fames, non annis ante (cf. *Beel. Bl.*); *quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabae et Sauli;* πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, presbyteri constituebantur

in singulis fidelium coetibus, qui, cum apostoli abessent, fidelibus praeessent, docerent, sacramenta administrarent, cultum divinum peragerent; cf. 14,22; 20,17; 21,18. 1 Tim. 5,17. Tit. 1,5 : reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros. Cum hic solum presbyteri nominentur, concludendum erit nullum adfuisse apostolorum in urbe; alias enim et apostoli et presbyteri nominantur (15,4. 6. 22. 23; 16,4); proinde iter illud susceptum esse post annum 42, cum Petrus aliique apostoli iam discessissent; id quod confirmatur 12,25 (cf. *Bels.* Theol. Quart. 1898 p. 207).

Iter hoc Sauli contra fidem historiae fingi contendere solent (cf. *Wendt, Jülicher* p. 266, *Weizs.* p. 88). Idque probare volunt ex Gal. 1,18 et 2,1; ipsum scil. apostolum itinera sua hierosolymitana recensere; prius tertio anno a conversione, alterum post annos quattuordecim ad conventum apostolorum (15,2 seq.) et sollemni modo asserere : quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior (Gal. 1,20). Unde dicunt fieri nullatenus posse, ut unum iter omiserit, verum debuisse Galatis enumerare. Verum viri critici non attendunt quid apostolus sibi proponat probare in epistola ad Galatas. In primo enim capite id unum ob oculos habet, ut ostendat se suam doctrinam non ab hominibus, non ab apostolis, sed ab ipso Domino accepisse; id ostendit narratione 1,11 seq. ideoque refert se solum post tres annos venisse Ierusalem et solum per quindecim dies apud Petrum mansisse et alium apostolum a se non esse visum nisi Iacobum fratrem Domini; dein se profectum esse in partes Syriae et Ciliciae. Hac narratione probatum est, eum non ab hominibus doctrinam accepisse. Dein probat in altero capite, 2,1-21 suam docendi rationem esse approbatam a conventu apostolorum et seniorum in Ierusalem et postea iterum a Petro in urbe Antiochia. Iam ex hoc consilio quod prosequitur apparet in illa epistola nullatenus potuisse commemorari iter hoc ad subsidia perferenda. Ubinam eius faceret mentionem? Probationem priorem iam absolvit narrans primum iter; ad probationem alteram hoc iter nihil contulit, in quo neque de apostolis neque de doctrina agitur. Falso illi supponunt apostolum velle quasi memorabilia de tota sua vita Galatis scribere. Isti critici merito reprehenduntur a viro philologico, qui scribit : « tacet de eo itinere Paulus quo silentio vulgo Lucam erroris convinci putant : quasi illic Paulo propositum fuerit itinera sua hierosolymitana enumerare, qui nihil nisi congressus suos cum veteribus apostolis et maxime Petro enumerat, partim Hierosolymis, partim Antiochiae factos » (*Bl.* ad h. l.). Criticorum obiectiones iam praevenerat *Patr.* adnotans : de hoc itinere Paulus nihil dixit in epistola; nihil enim ad

huius argumentum pertinebat (de evang. lib. 3 diss. 51 n. 10); easdem obiectiones egregie refutant *Cornely* (Comment. in 2 Cor. et Gal. p. 420) et *Felten* p. 229.

d) Petrus liberatur e carcere 12,1-17.

12,1. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia. 2. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. 3. Videns autem quia placeret Iudaeis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. 4. Quem quum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

6. Quum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus; et custodes ante ostium custodiebant carcerem. 7. Et ecce angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens; Surge velociter. Et ceciderunt catenae de manibus eius. 8. Dixit autem angelus ad eum: Praecingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. 9. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre. 10. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream quae ducit ad civitatem; quae ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum; et continuo discessit angelus ab eo.

11. Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Iudaeorum. 12. Consideransque venit

12,1. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν ἐπέβαλεν Ἡρῴδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας κακῶσαί τινας τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. 2. ἀνεῖλεν δὲ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν Ἰωάνου μαχαίρᾳ. 3. ἰδὼν δὲ ὅτι ἀρεστόν ἐστιν τοῖς Ἰουδαίοις, προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον· (ἦσαν δέ ἡμέραι τῶν ἀζύμων·) 4. ὃν καὶ πιάσας ἔθετο εἰς φυλακὴν, παραδοὺς τέσσαρσιν τετραδίοις στρατιωτῶν φυλάσσειν αὐτὸν, βουλόμενος μετὰ τὸ πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν τῷ λαῷ. 5. ὁ μὲν οὖν Πέτρος ἐτηρεῖτο ἐν τῇ φυλακῇ, προσευχὴ δὲ ἦν ἐκτενῶς γινομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας πρὸς τὸν Θεὸν περὶ αὐτοῦ.

6. Ὅτε δὲ ἤμελλεν αὐτὸν προσαγαγεῖν ὁ Ἡρῴδης, τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ἦν ὁ Πέτρος κοιμώμενος μεταξὺ δύο στρατιωτῶν, δεδεμένος ἁλύσεσιν δυσὶν, φύλακές τε πρὸ τῆς θύρας ἐτήρουν τὴν φυλακήν. 7. καὶ ἰδοὺ, ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη, καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι· πατάξας δὲ τὴν πλευρὰν τοῦ Πέτρου, ἤγειρεν αὐτὸν λέγων, Ἀνάστα ἐν τάχει. καὶ ἐξέπεσαν αὐτοῦ αἱ ἁλύσεις ἐκ τῶν χειρῶν. 8. εἶπεν δὲ ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὸν, Ζῶσαι, καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. ἐποίησεν δὲ οὕτως· καὶ λέγει αὐτῷ, Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, καὶ ἀκολούθει μοι. 9. καὶ ἐξελθὼν ἠκολούθει· καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι ἀληθές ἐστι τὸ γινόμενον διὰ τοῦ ἀγγέλου, ἐδόκει δὲ ὅραμα βλέπειν. 10. διελθόντες δὲ πρώτην φυλακὴν καὶ δευτέραν, ἦλθαν ἐπὶ τὴν πύλην τὴν σιδηρᾶν, τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν, ἥτις αὐτομάτη ἠνοίγη αὐτοῖς· καὶ ἐξελθόντες προῆλθον ῥύμην μίαν, καὶ εὐθέως ἀπέστη ὁ ἄγγελος ἀπ' αὐτοῦ.

11. καὶ ὁ Πέτρος ἐν ἑαυτῷ γενόμενος εἶπεν, Νῦν οἶδα ἀληθῶς ὅτι ἐξαπέστειλεν ὁ Κύριος τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐξείλατό με ἐκ χειρὸς Ἡρῴδου, καὶ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων· 12. συνιδών τε ἦλθεν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τῆς

ad domum Mariae matris Ioannis qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes. 13. Pulsante autem eo ostium ianuae, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens, nuntiavit stare Petrum ante ianuam. 15. At illi dixerunt ad eam : Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant : Angelus eius est. 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Quum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. 17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque : Nuntiate Iacobo et fratribus haec. Et egressus abiit in alium locum.

Μαρίας τῆς μητρὸς Ἰωάνου τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου, οὗ ἦσαν ἱκανοὶ συνηθροισμένοι καὶ προσευχόμενοι. 13. Κρούσαντος δὲ αὐτοῦ τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, προσῆλθεν παιδίσκη ὑπακοῦσαι, ὀνόματι Ῥόδη· 14. καὶ ἐπιγνοῦσα τὴν φωνὴν τοῦ Πέτρου, ἀπὸ τῆς χαρᾶς οὐκ ἤνοιξε τὸν πυλῶνα, εἰσδραμοῦσα δὲ ἀπήγγειλεν ἑστάναι τὸν Πέτρον πρὸ τοῦ πυλῶνος. 15. οἱ δὲ πρὸς αὐτὴν εἶπαν, Μαίνῃ. ἡ δὲ διισχυρίζετο οὕτως ἔχειν. οἱ δὲ εἶπαν, Ὁ ἄγγελός ἐστιν αὐτοῦ. 16. ὁ δὲ Πέτρος ἐπέμενεν κρούων· ἀνοίξαντες δὲ εἶδον αὐτὸν καὶ ἐξέστησαν. 17. κατασείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ σιγᾶν διηγήσατο αὐτοῖς πῶς ὁ Κύριος αὐτὸν ἐξήγαγεν ἐκ τῆς φυλακῆς. εἶπεν τε, Ἀπαγγείλατε Ἰακώβῳ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ταῦτα. καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον.

In v. 1 D add εν τη Ιουδαια; item phc*; item D ph (marg) add in v. 3 η επιχειρησις αυτου επι τους πιστους. In v. 5 phc*; add a cohorte regis, D πολλη προσευχη ην εν εκτενεια; gig instantissime fiebat. In v. 7 add D phc* sah επεστη τω Πετρω, D νυξας gig pungens.. et surrexit et ceciderunt; sim Lcif. In v. 10 D εξελθοντες κατεβησαν τους επτα βαθμους και. In v. 12 gig om et orantes. In v. 15 gig at illa perseverabat ita esse; quidam autem dixerunt; D τυχον ο αγγελος, sim syr. In v. 17 gig movens itaque ad eos manus; D syr phc* add εισηλθεν και.

Caligula, imperator factus, Agrippae dedit tetrarchiam quam Philippus habuerat et tetrarchiam Lysaniae simul cum titulo regio, mox quoque (anno 39 vel 40) tetrarchiam quae fuerat Herodis Antipae. Caligulae successor, Claudius, cui ad imperium obtinendum Agrippa adiutor exstiterat, adiecit praeterea quidquid Iudaeae et Samariae ad eius avi Herodis regnum pertinuerat. Ita Agrippa I, filius Aristobuli et Berenices, frater Herodiadis, nepos Herodis qui magnus vocatur, anno 41 nactus est totum regnum, quod olim Herodes avus eius habuerat (cf. *Iosephus,* Antiq. 18,6,10; 18,7,2; 19, 4,1; 19,5,1. Bell. iud. 2,9,6; 2,11,2-4). Ita dignitate et ditione auctus Agrippa Roma in Palaestinam reversus est. Per tres annos ibi regnabat et Iudaeorum gratiam multa pietate simulata sibi conciliare studebat. Multum eum laudat Iosephus : « Agrippa miti erat ingenio, in universos ex aequo beneficus... patriorum institutorum custos erat religiosus adeoque se ipsum in omnibus mundum purumque servabat neque diem unum unquam intermittebat quin sacrificium offerret » (l. c. 19,7,3). Quam pietatem simulatam fuisse ad auram

popularem captandam elucet ex studio et sumptibus, quibus Beryti, Caesareae instituta ethnica fovebat (cf. l. c. 19,7,5. 8,2. 9,1). Utrumque egregie quoque confirmatur narratione Lucae; v. 1 *eodem autem tempore* κατὰ... circa illud tempus, quod scil. in antecedentibus designatum est; Agrippa anno 41 in Palaestinam rediit; non est probabile eum statim in Christianos saevisse; annum 42 (*Patr.*), 44 (*Salm.*) assignant; *misit Herodes rex*, qui cognominatus est Agrippa, additur in versione syriaca, *manus, ut affligeret quosdam de ecclesia* i. e. de coetu fidelium; « non iam Iudaei, non synedrium, sed rex immittit manus, ut affligeret; maior potestas, gravius bellum, maxime quia ad gratiam Iudaeorum » (*Chr.*).

Et quam serio coetum fidelium supprimere studuerit, collige eo quod apostolos aggrediebatur v. 2 *occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio*, filium Zebedaei, unum ex tribus apostolis qui Christo familiariores reliquis erant. Impletur iam in eo quod Christus dixerat : calicem quidem quem ego bibo bibetis, et baptismo quo ego baptizor baptizabimini (Marc. 10,39; *Chr.*) More romano, uti Herodes Antipas, huius Herodis patruus gladio occidit baptistam, ita Iacobus quoque trucidatur gladio (*Lap.*). Plura de eius martyrio refert Eusebius (h. e. 2,9) ex Clemente alexandrino, quae pariter recitant *Bed. Salm. Lap. Bl.* illum scil. qui detulerat Iacobum constantia eius victum se Christianum professum esse unaque cum eo capitis damnatum; cum ad mortem ducerentur rogasse ut sibi ignosceret; respondisse Iacobum : pax tibi, eumque esse osculatum; et ita ambo simul capite plexos esse; v. 3 *videns autem quia placeret Iudaeis apposuit ut apprehenderet et. Petrum; erant autem dies azymorum*, qui sunt a die 14 (15) — 21 mensis nisan; proin a plenilunio primo verni temporis; additur in D explicite placuisse Iudaeis quod manus iniiceret in fideles; quare perrexit in eorum vexatione, προσέθετο et addidit; v. 4 *quem cum apprehendisset misit in carcerem tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha* i. e. post septem dies azymorum, post 21. diem nisan; *producere eum populo* ἀναγαγεῖν in locum editum scil. ad iudicium pronuntiandum in conspectu populi cui hoc spectaculum gratum praebere voluit. Tempore paschali Iudaeorum plurimi ex variis regionibus in urbe aderant; illis innotuit zelus qui esse videbatur Agrippae pro lege; fortasse simul affectabat sacram dierum festorum reverentiam, ne eorum sanctitas caede turbaretur.

Modus quo Petrum servandum curabat morem sapit romanum. Nam quaternos milites excubias agere Vegetius refert : de singulis centuriis quaterni equites et quaterni pedites excubitum noctibus

faciunt (de re milit. 3,8); idemque notat : quia impossibile videbatur per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare (l. c.). Quaterni igitur milites per vices Petrum custodiebant, e quibus, ut colligitur ex v. 6. 10, duo intra carcerem prope Petrum, duo ad carceris ianuas atque aditus adstabant (*Patr.*); v. 5 *et Petrus quidem servabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione* ἐκτενῶς intente, assidue, gig : instantissime *ab ecclesia ad Deum pro eo* « amoris indicium erat oratio; audite quo fuerint affectu erga doctores; non tumultuabantur, non turbabantur, sed ad orationem versi sunt, verum et inexpugnabile commilitium (τὴν ὄντως συμμαχίαν τὴν ἄμαχον); ad illam confugiebant » (*Chr.*). En primum idque praeclarum exemplum, quod fideles constanter per saeculorum cursum imitabantur, quoties in pastores Ecclesiae saevitum est! Fideles enim pro Petro pugnantes, *Salm.* ait, non fregerunt carcerem, non occiderunt milites, non confregerunt catenas, sed ad orationem confugiunt, memores praecepti Domini, ut bene precentur ipsis persequentibus. Arma Christianorum in eiusmodi adversis patientia sunt et precatio.

Et Deus precibus fidelium annuit; nondum venerat tempus quo tali pastore et apostolo Ecclesia carere potuit; v. 6 *cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus;* etiam hic habes morem romanum; nam « eadem catena et custodiam et militem copulat » (*Seneca,* epist. 5,6); eiusmodi exemplum habes etiam in Antiq. 18,6,7; imo hic Petrus maioris securitatis causa ab utraque parte, utraque igitur manu, catena alligatus coniunctusque cum duobus militibus erat (cf. Act. 28,16. 20) et S. Ignatius martyr scribit : a Syria Romam usque cum bestiis pugno terra marique, noctu et interdiu, alligatus ad decem leopardos, quae est militum turma (ad Rom. 5; cf. *Beel. Patr.*) *et custodes ante ostium custodiebant carcerem,* reliqui duo milites agebant excubias ante ostium. « Sed quo accuratior custodia, eo mirabilius spectaculum; vide Petrum dormientem, nec terrore mortis nec ullo metu detentum, omnia Deo committens » (*Chr. Oec. Theoph.*). Inter tot pericula securus profundo somno vacabat; quam recte dictum est : iustus quasi leo confidens absque terrore erit (Prov. 28,1; *Salm.*); v. 7 *et ecce angelus Domini astitit* ἐπέστη Petro derepente adstitit *et lumen refulsit in habitaculo* οἴκημα ex Atticorum euphemismo carcerem denotat (*Bl.*), idque exemplis probat *Wetst.* ad h. l.; at potuit vox etiam accipi latiore sensu de conclavi quolibet. Lumen nemo vidit nisi Petrus; dor-

miebant milites quibus erat alligatus; ideo nihil gestorum sentiebant (*Chr.*); *percussoque latere Petri excitavit eum dicens : surge velociter, et ceciderunt catenae de manibus eius;* non fractae aut solutae dicuntur catenae, sed e manibus eius *excidisse* (*Beel.*) vel e brachiis; nam etiam apud Homerum, Herodotum, alios, item nonnunquam in lingua hebraica vocabulo χείρ (יד) brachium quoque comprehenditur (*Bl.*).

Petro ex gravi somno difficile evigilanti et obstupescenti et nondum sibi conscio singula praecipit angelus, sicuti semisopito fieri solet v. 8 *dixit autem angelus ad eum : praecingere,* ζῶσαι cingulo tunicam adstringe; dormiebat scil. laxato cingulo, *et calcea te caligas tuas* ὑπόδησαι subliga tibi sandalia tua; *et fecit sic; et dixit illi : circumda tibi vestimentum tuum,* ἱμάτιον dicitur quidem universe de quacumque veste, sed hic, ubi Petrus iam collectam tunicam cingulo adstrinxisse dicitur, intelligitur de pallio; *et sequere me;* v. 9 *et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum; existimabat autem se visum videre;* ita stupore rei novae et plane inexspectatae erat occupatus, ut non intelligeret quae fiebant per angelum reapse fieri, sed ut videretur sibi videre visum prout antea viderat; v. 10 *transeuntes autem primam et secundam custodiam* i. e. custodiam ante portam ipsius conclavis quo Petrus erat inclusus, ubi itaque duo alii milites stabant illius quaternionis, cui haec vigilia noctis obtigerat; secunda custodia in alia parte aedificii erit cogitanda, « in alia parte arcis Antoniae, haec enim aperte gradibus septem indicatur » (*Bl.*), vide D. lect. var.; intelligit *Beel.* utramque custodiam de quatuor militibus ad Petrum custodiendum deputatis; primam scil. milites quibus erat alligatus, secundam duos ante ostium. Sed cum iam in v. 9 dictum sit : *et exiens sequebatur eum,* non videtur ita posse nunc intelligi *transeuntes autem primam constodiam* διελθόντες de duobus illis militibus qui in ipso conclavi cum Petro erant quod conclave ex v. 9 iam reliquerat.

Divinitus factum est, ut oculi militum tenerentur, ne Petrum animadverterent; *venerunt ad portam ferream quae ducit ad civitatem, quae ultro aperta est eis; et exeuntes* descenderunt septem gradus et *processerunt vicum unum;* illud de septem gradibus quos descenderunt utique ita est conformatum, ut ad accuratam scriptoris narrationem pertinere censendum sit; cur enim id ab interpolatore quodam additum sit et unde ille hunc accurate numerum scire potuerit, nequit explicari (cf. *Bels.*); ῥύμην plateam unam (9,11) processerunt *et continuo discessit angelus ab eo,* qui eousque Petrum comes deduxerat; v. 11 *et Petrus ad se reversus* ἐν ἑαυτῷ γενόμενος, ex stupore illo ad se redit, plene et clare sibi conscius fit reapse et non in vi-

sione omnia esse gesta, *dixit : nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum*, ἀληθῶς, contrarium eius quod in v. 9 dicebatur, *et eripuit me de manu Herodis*, de eius potestate, *et de omni exspectatione plebis Iudaeorum;* eius scil. supplicium et mortem avide exspectabant; nonne in hoc impio Iudaeorum desiderio, ut Petrus tolleretur, simul cerni potest agnitio maioris dignitatis et auctoritatis eius inter fideles? v. 12 *consideransque* συνιδών i. e. λογισάμενος ὅπου ἐστίν, ἢ τοίνυν τοῦτο συνεῖδεν (*Chr.*), postquam cognovit id quod erat, eorum quae gesta erant clare conscius factus, *venit ad domum Mariae matris Ioannis qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes;* cf. v. 5; Marcus Barnabae consobrinus (Col. 4, 10), quem Petrus suum vocat filium (1 Petr. 5,13; vide Comment. Marc. p. 1 seq.); hic in Act. vocatur Ioannes 13,5. 13; Marcus 15,39; utroque nomine 15,37; v. 13 *pulsante autem eo ostium ianuae* τοῦ πυλῶνος vestibuli; cf. 10,17, *processit puella ad audiendum* ὑπακοῦσαι plane ut apud atticos (*Bl.*), *nomine Rhode* i. e. rosa; nomen graecum et in mythis et in comoediis (*Bl.*); Susanna nomen habet a liliis, Hadassa a myrto, Rhode a rosa (*Wetst.*). Erat itaque domus sat ampla; v. 14 *et ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante ianuam;* prae gaudio et desiderio rem faustam lugentibus nuntiandi, hac una cogitatione occupata, omittit aperire, sed statim currit laeta ad alios εἰσδραμοῦσα ex vestibulo in interiorem partem domus. Res nativa simplicitate et facta et narrata est.

Non est mirum si illi non statim crediderunt, cum ipse Petrus ab initio nesciret vera esse quae fiebant (*Salm.*) v. 15 *at illi dixerunt ad eam : insanis; illa autem affirmabat* διϊσχυρίζετο acriter, constanter asseverabat *sic se habere; illi autem dicebant*, quidam autem dixerunt (gig) : *angelus eius est*, fortasse angelus eius est (vide lect. var.); « hinc verum est, unumquemque nostrum habere angelum » (*Chr. Oec. Theoph. Barh.*) et *Beda* idem asserens provocat ad librum Pastoris et ad multos Scripturae locos; duos affert (Matth. 18,10 et Gen. 48,16) et hic discipuli angelum Petri venire existimabant; proin testimonium habetur persuasionis eorum; v. 16 *Petrus autem perseverabat pulsans; cum autem aperuissent, viderunt eum et obstupuerunt,* v. 17 *annuens autem eis manu ut tacerent*, sane cum videntes multis exclamationibus admirationis et quaestionibus eum quasi obruere coeperunt; Petrus autem cavere voluit, ne aliorum quoque, fortasse vicinorum attentio ad eventum provocaretur; insuper cito urbe egredi consultum erat; quare κατασείσας motione manus facta iis silentium indixit, ad eos ingreditur et *narravit quomodo Dominus eduxis-*

set eum de carcere, dixitque : nuntiate Iacobo minori qui dicitur, Alphaei filio, apostolo (1,13; 15,13. Gal. 1,19; 2,9) *et fratribus haec; et egressus abiit in alium locum;* intellexit e liberatione divinitus facta esse voluntatem Dei, ut se subtraheret periculo et ditione Agrippae relicta i. e. Palaestina relicta exteris quoque regionibus nuntium inferret evangelicum. « Excellit haec tota narratio mira ἐναργείᾳ, neque recte dubitari posse videtur, quin per Marcum ab ipso Petro venerit; ita sunt omnia maiora minoraque accurate perscripta » (*Bl.*), et Lucas profitetur se accurate inquisitione facta cuncta scribere (Luc. 1,3).

Lucam narrare velle miraculum rationalistae recentiores agnoscunt. Sed cum ipsi miraculum fieri non concedant, malunt dicere verum eventum ita cum mytho et fabula esse mixtum, ut quid revera factum sit iam non possit secundum historiae fidem distingui. Rident vero quomodo veteres rationalistae narrationi dare voluerint « naturalem explicationem »; ita vel fulgure catenas esse solutas exorta nimirum tempestate; vel liberationem esse factam per custodem carceris aut alios amicos, ita ut ipse Petrus nescierit accuratius quomodo potuerint se educere e carcere; vel regem ipsum praecepisse ut dimitteretur, quia vidisset supplicium Iacobi Iudaeis parum fuisse probatum. — Statuit *Weiss* narrationem esse formatam secundum alteram 5,19 et esse depromptam ex « fonte quodam » in quo nativa simplicitate indicatum fuerit liberationem postea demum Petro miraculosam visam esse; dum enim educeretur, sibi non conscium fuisse quid secum fieret.

« Egressus abiit in alium locum ». Vetus est traditio Petrum anno secundo Claudii anno 42 Romam venisse, quam traditionem omni fide historiae carere, ne *Harnack* quidem affirmare audet (ob die alte Ueberlieferung, welche den Petrus bereits unter Claudius nach Rom bringt, ganz und gar unbrauchbar ist, ist mir fraglich; natürlich kann es sich nur um einen Besuch handeln; entscheiden lässt sich m. E. die Frage nicht mehr; Chronologie I p. 244). Eusebius quidem in eccl. hist. solum dicit Petrum ἐπὶ τῆς βασιλείας Claudii Romam venisse (2,14), sed in chronico secundum S. Hieronymum assignatur eius annus secundus; imo in versione armena eiusdem chronici Petrus iam anno 3 Gaii (Caligulae) Romam profectus esse dicitur. Priorem sententiam ii sequuntur qui Petro attribuunt annos 25 episcopatus romani; ita epitome syria chronici, catalogus liberianus (cf. *Harnack* l. c. p. 71. 85. 144). Quae Eusebius in hist. eccl. et in chronico affert de episcopis romanis et alexandrinis eorumque temporibus hausisse censetur ex chronographia Iulii africani; quare Iulius africanus quoque testis est Petrum sub Claudio Romam venisse (l. c. p. 123. 124). Ceterum de Petri adventu romano vide *Cornely*, Comment. in ep. ad Rom. p. 2 seq. et *Felten* in Comment. Act. p. 241 seq.; varia veterum testimonia et de adventu Petri romano anno 42 et de episcopatu eius romano per annos 25

vide etiam apud *Patritium,* de evangeliis lib. I cap. 2 n. 27-30. Atque esse hanc traditionem vetustissimam et veram, Petrum scil. primo sub Claudio Romam venisse, solide ostendit *Belser* (Theol. Quartalsch. 1898 p. 188 seq.).

e) De sorte Herodis 12,18-25.

12,18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. Herodes autem quum requisisset eum et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci; descendensque a Iudaea in Caesaream, ibi commoratus est. 20. Erat autem iratus Tyriis et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. 23. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo; et consumptus a vermibus, exspiravit.

24. Verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur. 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne qui cognominatus est Marcus.

12,18. Γενομένης δὲ ἡμέρας, ἦν τάραχος οὐκ ὀλίγος ἐν τοῖς στρατιώταις, τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο. 19. Ἡρώδης δὲ ἐπιζητήσας αὐτὸν καὶ μὴ εὑρὼν, ἀνακρίνας τοὺς φύλακας, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι· καὶ κατελθὼν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἰς Καισάρειαν διέτριβεν. 20. Ἦν δὲ θυμομαχῶν Τυρίοις καὶ Σιδωνίοις· ὁμοθυμαδὸν δὲ παρῆσαν πρὸς αὐτὸν, καὶ πείσαντες Βλάστον τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως, ᾐτοῦντο εἰρήνην, διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. 21. Τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ Ἡρώδης ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικὴν, καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς. 22. ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει, Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου. 23. παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος Κυρίου, ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδωκεν τὴν δόξαν τῷ Θεῷ· καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν.

24. Ὁ δὲ λόγος τοῦ Κυρίου ηὔξανεν καὶ ἐπληθύνετο. 25. Βαρνάβας δὲ καὶ Σαῦλος ὑπέστρεψαν ἐξ Ἱερουσαλὴμ, πληρώσαντες τὴν διακονίαν, συμπαραλαβόντες Ἰωάννην τὸν ἐπικληθέντα Μάρκον.

In v. 18 om D Lcif gig ουκ ολιγος. In v. 19 D αποκτανθηναι, item arm cop syr ph. In v. 20 D add εξ αμφοτερων των πολεων, item phc*; τας χωρας D Lcif gig vulg. In v. 22 D praemittit καταλλαγεντος δε αυτου τοις τυριοις, phc* reconciliatus est eis. In v. 23 D και καταβας απο του βηματος γεν σκωλ. ετι ζων και ουτως εξεψυξεν, gig vermibus scatens exspiravit. In v. 25 phc*; Saulus qui vocabatur Paulus; aliq minusc. παυλος, legunt εις ιερουσαλημ א B H L P aliq minusc ph (mg) Theoph; aliq minusc εις αντιοχειαν.

Angelus Petrum clam custodibus eduxit; omnia acta sunt divinitus illis insciis. Hoc etiam declaratur v. 18 *facta autem die erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro,* τί ἄρα, revocat ἄρα lectorem ad praesentem rerum statum qui in antecedentibus est descriptus (*Klotz,* Devar. II p. 176); v. 19 *Herodes autem cum requisisset eum et non invenisset, inquisitione facta de custodibus,* quattuor illis, post quorum vigiliam Petrus iam non est inventus; et ex v. 18 colligitur, Petrum in ultima noctis vigilia esse eductum ab

angelo, *iussit eos duci* scil. ad supplicium, ad mortem. Videtur etiam ea in re secutus esse morem romanum; nam instituto romano custodes si vinctus effugisset pro eo pares poenas luebant (Cod. Iust. 9,4,4. *Wetst. Bl.*). Ita communiter explicant ἀπαχθῆναι. At Gen. 42,16 verbum ponitur de abductione in carcerem; sim. Gen.39,22 et 40,3. Certe omnia aderant quibus custodes non esse reos probabatur; « ita sensu destitutus erat, ut etiam iniuste punire aggrederetur. Ecce causam illorum defendo; vincula erant, custodes intus, carcer clausus, nusquam perfossus paries, omnes eadem dicebant; si solvere voluissent, vel ante solvissent, vel simul exissent » (*Chr.*). Sed Herodes necessario debuit custodes culpare et punire, ne agnosceretur miraculum, sed ut pro Iudaeis saltem species servaretur evasionis culpa vel negligentia custodum (cf. *Salm.*).

Notat *Patr.* : « res Agrippae gestas post Petri discessum Lucas sic narrat, ut non modo minime sequatur illum brevi post cum vita mortem commutasse, sed ex narratione ipsa longius aliquod temporis spatium colligere liceat, quod inter Petri profectionem et Agrippae funus intercesserit »; *descendensque a Iudaea in Caesaream ibi commoratus est* καὶ κατελθών, non sequitur ex modo narrandi Herodem mox post Petri profectionem Caesaream se contulisse; nam particula καὶ, si de eadem agitur persona, Lucas haud raro illa quoque adiungit quae longiore spatio interposito evenerunt (cf. Luc. 4,14. 16; 9,10; 11,14 etc. vide Patr. de evang. lib. 3 dissert. 17 cap. 3 n. 17; dissert. 18 cap. 2 n. 7). Caesarea extra Iudaeam proprie dictam sita erat; Augustus imperator urbem eam concessit Herodi; post eius mortem cum reliqua Iudaea data est Archelao, et ex tempore mansit coniuncta cum Iudaea et erat proinde modo sub procuratoribus romanis, dein sub Agrippa, iterum sub procuratoribus, sicut Iudaea (cf. Antiq. 15,7,3; 17,11,4; 19,7,4); *ibi commoratus est;* quamdiu? nescimus; at longius tempus facile concluseris ex διέτριβεν; v. 20 *erat autem iratus Tyriis et Sidoniis;* causam nescimus; *at illi unanimiter* ex ambabus urbibus illis *venerunt ad eum et persuaso Blasto qui erat super cubiculum regis,* praefectus cubiculo vel minister cubiculi, cubicularius; uti fieri solet, aulicum oblatis muneribus in suas partes adducebant, ut apud regem intercederet causamque promoveret; nomen Βλάστος etiam in inscriptionibus occurrit (*Bl.*); *postulabant pacem;* de bello a rege iis inferendo sermo esse non poterat; Phoenice enim Syriae provinciae erat attributa; proin postulabant, ut in pristinam amicitiam a rege reciperentur; est itaque pax iterata conciliatio, amicitia (*Calm.*). Atque cur iis necessarium erat cum rege in gratiam redire, additur *eo quod alerentur regiones eorum ab illo* ἀπὸ τῆς βασιλικῆς scil. χώρας,

ex ditione regis, ex Iudaea frumentum, quo Phoenice carebat, iis afferri solebat; vide 3 Reg. 5,11 et Ez. 27,17 : Iuda et terra Israel institores tui in frumento primo, balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis, et Antiq. 14,10,6 refertur : Caius Caesar statuit... ut in Sidone secundo quoque anno tributum reddant quartam satorum partem. Si itaque Agrippa commercium prohiberet et frumentum asportari in Phoenicen vetaret, res accideret permolesta.

Intercessio Blasti quam sibi conciliarant non caruit fructu v. 21 *statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali et concionabatur ad eos* et de qua re sermonem habuerit, indicatur in additamento : et reconciliatus est Tyriis (cf. lect. var.); ad hos igitur verba fecit ἐδημηγόρει pacem et amicitiam iis promittens; quare hi de bono rei successu laeti in adulationes prorumpunt v. 22 *populus autem* δῆμος, illi scil. ad quos ἐδημηγόρει, *acclamabat : Dei voces et non hominis;* conferri iuvat narrationem quam tradit *Iosephus* (Antiq. 19,8,2) : regem Caesareae in honorem Caesaris spectacula edidisse; secundo spectaculorum die eum processisse in theatrum veste indutum tota ex argento contexta; « ibi argentum primis solarium radiorum ictibus illustratum, mirum in modum resplendescebat; mox adulatores alii aliunde acclamabant Deum appellantes dicentesque : propitius nobis esto, et licet hactenus te veluti hominem reveriti simus, dehinc tamen mortali sorte maiorem te habemus ». Dies itaque publicae legatorum admissioni statutus erat dies secundus illorum spectaculorum et festivitatis quam rex ὑπὲρ τῆς ἐκείνου-Καίσαρος-σωτηρίας celebrabat. Uti ipsa vox δημηγορεῖν indicat, haec legatorum admissio in publica celebritate facta est, uti ex more saepe fieri solebat, in theatro (cf. *Bels. Felt.*); ἐπὶ τοῦ βήματος in suggestu, in solio; ceterum narratio Lucae maiore rerum determinatione praestat; ex ea sola edocemur de disceptatione cum Tyriis et Sidoniis (cf. *Bels.*), ex ea sola refertur ratio probabilis pro illa adulatione, et ea demum aliena est ab illa fabula de bubone apud Iosephum.

Blasphemam adulationem rex non respuit, sed admisit, id quod Iosephus quoque indicat : « at rex neque illos obiurgavit neque impiam illorum adulationem reiecit ». Quare divina ultione plectitur v. 23 *confestim autem percussit eum angelus Domini eo quod non dedisset honorem Deo et consumptus a vermibus,* γενόμενος σκωληκόβρωτος vel uti D habet καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ βήματος ἐγένετο σκωλ. (a vermibus corrodebatur) ἔτι ζῶν καὶ οὕτως *exspiravit;* Iosephus quoque refert « adulatione audita post paululum μετ' ὀλίγον διακάρδιον ἔσχεν ὀδύνην, cordicitus dolebat; accesserunt autem ventris cruciatus statim ab initio vehementes;... tandem continuis per quinque dies ventris

doloribus confectus vitam finivit, annum agens quartum et quinquagesimum ». Perperam affirmat *Weiss* ex narratione Lucae regem statim exspirasse; id iam ipsa dictione γενόμενος σκωλ. postquam factus est σκωλ. i. e. a vermibus corrosus, refutatur, et etiam clarius textu in D ampliore. Alii morbi genus excogitatum esse volunt ex 2 Mach. 9,9; temere id asseritur ac frivole; quod *Iosephus* dicit τῆς κοιλίας ἄλγημα, τῷ τῆς γαστρὸς ἀλγήματι διεργασθείς, nullatenus contrarium est; Lucas maiore ἀκριβείᾳ rem investigatam refert. Morbus assignatur vermicularis, non, ut alii quandoque volebant, pedicularis, phthiriasis (φθείρ); Lucas *medicus* rem nomine proprio accurate describit.

Misera itaque morte rex, persecutor Ecclesiae, obiit; angelus dicitur eum percussisse, ut intelligatur morbum illum foedum, quo in ipso theatro correptus est (et aucto dolore ex theatro in palatium delatus est teste Iosepho), esse poenam divinitus inflictam. Eam autem esse inflictam mox post Iacobi mortem et Petri profectionem, ex narratione nequit colligi etiam ideo quia morbi causa assignatur prorsus alia et nova, neque prioris persecutionis mentio infertur. Hunc utique miserum vitae exitum Lucas propterea quoque narravit, ut manifestum fieret et qualis impietatis superbiaeque persecutor fuisset et quo tandem modo scelera eius iam hisce in terris essent castigata. Etiam Iosephus, qui ceteroquin laudator est regis, satis innuit morbum repentinum fuisse poenam, cum explicite efferat regem illos adulatores neque reprehendisse neque τὴν κολακείαν ἀσεβοῦσαν a se repudiasse. Merito itaque miraberis esse qui dicant mythica quaedam a narratione Lucae esse secernenda. A morte persecutoris redit ad rem christianam v. 24 *verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur;* cf. 6,7; 9,31; Agrippa illud supprimere studebat; verum aliter evenit; ipse mox sublatus est, sed verbum Dei in dies magis propagabatur. Dicitur verbum multiplicari, quatenus plures illud animis suis recondunt fide amplectentes et operibus bonis quasi vivum reddentes et efficax; v. 25 *Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio* (11,29. 30) *assumpto Ioanne qui cognominatus est Marcus* v. 12.; mortuo Agrippa Palaestina iterum attributa est provinciae Syriae et administrata per procuratores romanos, quorum prior erat Cuspius Fadus, alter Tiberius Alexander; horum temporibus (ἐπὶ τούτοις) evenit, ut *magna* fames Iudaeam affligeret, narrat *Iosephus* (Antiq. 20,5,2); unde facile concluseris iam ante mortem Agrippae (44 p. Ch.) aliquam annonae caritatem exstitisse; nam in regione alioquin fertili non subito magna exoritur fames, verum plurium annorum minore fertilitate. Fratres antiocheni oraculo admoniti fore annonae penuriam profecto non exspectabant, donec *magna* fames exorta sit, sed potius

subsidio suo illam praevenire studebant; quare quod Lucas narrat de tempore Agrippae, uti 11,29.30 et 12,25 apparet, nullo modo erroris argui potest ex iis quae Iosephus refert de magna fame post mortem Agrippae (Antiq. 20,2,6 et l. c. 3,15,3 tempore Ismaelis pontificis; cf. *Schürer* l. c. II p. 170).

Notatu dignum est quod *Chr.* ad v. 23 advertit : « quodsi ille hoc audito : vox Dei, non hominis, licet nihil dixerit, talia passus est, multo maiora Christus, si Deus non fuisset, passus esset, qui semper dicebat : verba mea non mea sunt, et similia » (item *Oec. Salm.*).

ALTERA PARS 13,1-21,16.

In qua parte opus describitur apostolicum Pauli eiusque itinera apostolica tria maiora nobis enarrantur. Et primo quidem ab Antiochia Syriae evocatus a Spiritu sancto cum Barnaba proficiscitur per Cyprum in Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam et ubique praedicatione facta revertitur Antiochiam (13,1-14,27). Tanta vero gentilium multitudine in Ecclesiam recepta aemulatores legis movent dissensionem propter legalia, quae decreto in conventu hierosolymitano edito componitur (15,1-35). Mox Paulus alterum ingreditur iter apostolicum per Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Macedoniam, Achaiam; inde per Ephesum, Caesaream, Ierosolymam revertitur Antiochiam (15,36-18,22). Post aliquam in urbe principe Syriae commorationem se ad tertium iter apostolicum accinxit; confirmat fratres in Galatia et Phrygia; diutius versatur Ephesi; inde se confert in Macedoniam et Graeciam; revertitur per Macedoniam, Troadem, Miletum, Tyrum, Caesaream in Ierusalem (18,23-21,16).

1. *Primum iter apostolicum* 13,1-14,27.

a) **Paulus in Cypro 13,1-12.**

13.1 Erant autem in ecclesia quae erat Antiochiae, prophetae et doctores, in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen qui erat Herodis tetrarchae collactaneus, et Saulus. 2. Ministrantibus autem illis Domino, et ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc ieiunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

13,1. Ἦσαν δὲ ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν προφῆται καὶ διδάσκαλοι, ὅ τε Βαρνάβας καὶ Συμεὼν ὁ καλούμενος Νίγερ, καὶ Λούκιος ὁ Κυρηναῖος, Μαναήν τε Ἡρῴδου τοῦ τετράρχου σύντροφος, καὶ Σαῦλος. 2. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ καὶ νηστευόντων, εἶπεν τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, Ἀφορίσατε δή μοι τὸν Βαρνάβαν καὶ Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. 3. τότε νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, ἀπέλυσαν.

4. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam; et inde navigaverunt Cyprum. 5. Et quum venissent Salaminam, praedicabant verbum Dei in synagogis Iudaeorum. Habebant autem et Ioannem in ministerio. 6. Et quum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Iudaeum, cui nomen erat Bariesu. 7. Qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. 8. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius), quaerens avertere proconsulem a fide.

9. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit : 10. O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebrae; et circuiens quaerebat qui ei manum daret. 12. Tunc proconsul quum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.

4. Αὐτοὶ μὲν οὖν ἐκπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος κατῆλθον εἰς Σελεύκειαν, ἐκεῖθέν τε ἀπέπλευσαν εἰς Κύπρον. 5. καὶ γενόμενοι ἐν Σαλαμῖνι, κατήγγελλον τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῶν Ἰουδαίων· εἶχον δὲ καὶ Ἰωάνην ὑπηρέτην. 6. διελθόντες δὲ ὅλην τὴν νῆσον ἄχρι Πάφου, εὗρον ἄνδρα τινὰ μάγον ψευδοπροφήτην Ἰουδαῖον ᾧ ὄνομα Βαριησοῦς, 7. ὃς ἦν σὺν τῷ ἀνθυπάτῳ Σεργίῳ Παύλῳ, ἀνδρὶ συνετῷ. οὗτος προσκαλεσάμενος Βαρνάβαν καὶ Σαῦλον ἐπεζήτησεν ἀκοῦσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. 8. ἀνθίστατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας, ὁ μάγος, (οὕτως γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ,) ζητῶν διαστρέψαι τὸν ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως.

9. Σαῦλος δέ, ὁ καὶ Παῦλος, πλησθεὶς Πνεύματος Ἁγίου ἀτενίσας εἰς αὐτὸν, 10. εἶπεν, Ὦ πλήρης παντὸς δόλου καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας, υἱὲ διαβόλου, ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης, οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς τοῦ Κυρίου τὰς εὐθείας; 11. καὶ νῦν ἰδοὺ χεὶρ Κυρίου ἐπὶ σέ, καὶ ἔσῃ τυφλὸς μὴ βλέπων τὸν ἥλιον ἄχρι καιροῦ. παραχρῆμα δὲ ἔπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος, καὶ περιάγων ἐζήτει χειραγωγούς. 12. τότε ἰδὼν ὁ ἀνθύπατος τὸ γεγονὸς ἐπίστευσεν, ἐκπληττόμενος ἐπὶ τῇ διδαχῇ τοῦ Κυρίου.

In v. 1 vetus lat. erant autem secundum unamquamque ecclesiam prophetae et doctores. In v. 3 D add παντες. In v. 5 D υπηρετουντα αυτοις, sim ph (mg) gig ministrum, E εις διακονιαν. In v. 8 pro Elyma D ετοιμας Lcif Etoemus; add D επιδη ηδιστα ηκουεν αυτων; sim phc*; E Bed quoniam audiebat libenter eos. In v. 12 D E εθαυμασεν και επιστευσε, Lcif gig credidit cum admiratione stupens in doctrina (am, gig) Domini.

Posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores (1 Cor. 12,28); similem sententiam generalem effert altera lectio : erant autem in unaque ecclesia prophetae et doctores, in quibus in Antiochia etc., cuius textus vestigium etiamnum cernitur in vulg. illo *in quibus;* ea textus forma verba censent arctius et commodius adiungi ad superiora facilemque esse transitum neque adeo abruptum, uti in textu tradito; textus enim traditi eam esse formam aliqui contendunt (*Hilg.*) qua narrationem ex novo fonte haustam suadeatur; id quod priore lectione excludi videtur (*Bels.*). Verum

textus quoque traditus facile fluit, ita ut *Weiss* ne vestigium quidem novi fontis hic deprehendi posse recte censeat. Et revera, si Lucas narrare volebat quod 12,24 innuit evangelium crescere atque ex pluribus doctoribus Barnabam et Saulum esse divinitus electos ad propagandum verbum, non cernitur, cur non potuerit pergere, uti scribitur v. 1 *erant autem in ecclesia quae erat Antiochiae* (11,22-27) *prophetae et doctores;* prophetae a Spiritu sancto inspirantur ad aedificationem, exhortationem, consolationem fidelium (1 Cor. 14,3), doctores charismate sermonis scientiae ornati doctrinas fidei explicant (cf. *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 387); cf. 11,27; de iisdem varia quoque traduntur in Doctrina duodecim apostolorum (10-13) *in quibus* non habetur graece; indicatur itaque hos quinque, non plures, fuisse iis charismatis donatos Antiochiae; ex textu *vulg.* plures adfuisse colligi posset; illud *in quibus* non praebet gig; *Barnabas et Simon qui vocatur Niger;* ita fuerit a colore vultus (*Beel. Felt.*) *et Lucius Cyrenensis,* ex Cyrene; cf. 6,9; incertum est, sitne idem de quo Rom. 6,21 *et Manahen qui erat Herodis tetrarchae collactaneus et Saulus;* ex ipsa enumeratione liquet Barnabam Saulumque notos supponi, dum ceteri addita aliqua determinatione designantur. Barnabas primum occupat locum, id quod ex 11,22.30; 12,25 consequitur.

Manahen מְנַחֵם consolator, σύντροφος una nutritus cum aliquo (1 Mach. 1,6 vulg.), collactaneus (2 Mach. 9,29), una cum aliquo educatus, contubernalis; utro sensu vox accipienda sit, non liquet; eum fuisse educatum cum Herode tetrarcha significant *Oec. Theoph. Cai. Beel. Patr. Wendt, Weiss;* mos enim fuit virorum principum liberis suis extraneos pueros socios ludorum studiorumque adiungere qui una cum illis educabantur (*Patr.* cf. Plutarchus, de educ. puer. 6); alii notionem collactanei retinent (*Felt.,* qui censet hunc Manahen esse sobolem illius de quo narrat *Iosephus* Antiq. 15,10,5). Herodes tetrarcha est Herodes Antipas, de quo vide Luc. 3,1 (Comment. Luc. p. 154); idem qui baptistam occidit et Iesum spretum ad Pilatum remisit. Modo enumerationis τε, καί, καί-τε, καί duo ordines videntur distingui: Barnabas, Simon, Lucius prophetae, Manahen, Saulus doctores: ita probabiliter; neque obstat quod *Felt.* obiicit, Paulum 1 Cor. 14,6 dono prophetiae esse praeditum; nam ibi non dicitur eum hoc charisma iam habuisse eo tempore de quo hoc nostro loco narratur.

Sequitur iam ulterior declaratio qua ratione Deus voluerit verbum suum crescere (12,24) v. 2 *ministrantibus autem illis Domino* λειτουργούντων, dum illi, qui modo nominati sunt (de aliis non erat sermo; proin perperam intelligeretur totus fidelium coetus), sacris operarentur, dum illi sacrificarent, publicum Deo cultum exhiberent, illum

scil. qui novo foederi proprius est et in celebratione eucharistiae consistit (ita *Erasmus, Salm. Lap. Har. Calm. Beel. Patr. Felt.*). Dicitur enim λειτουργεῖν apud *LXX* de sacerdotibus et levitis qui sacris operantur in tabernaculo (Ex. 28,35. 43 λειτ. πρὸς τὸ θυσιαστήριον; 29,30. Num. 4,39; 16,9 etc.) et in templo (Ioel 1,9. 2 Chron. 31,2. 1 Mach. 10,42); ita λειτουργός dicitur de sacerdote (Hebr. 8,2 et similiter Rom. 15,16, uti elucet oblatione gentium) et eadem quoque notione apud profanos de sacrificulis. Cum addatur τῷ Κυρίῳ, planum est non posse intelligi de praedicatione; acatholici communiter explicant de oratione; at pro oratione constanter adhibetur προσεύχεσθαι, uti statim v. 3. Quare non simplex cultus Dei qui per orationem fit intelligi potest, sed cultus qui per ministerium sacerdotale exercetur. Sacrificandi actio directe fit Deo, sive in Deum dirigitur; neutrum vero dici potest de praedicatione. Neque ad praedicationem adiungi solet ieiunium, neque inter praedicationem quae ad fideles dirigitur apte concipi potest eiusmodi alloquium Spiritus sancti, quo actio praecipitur a praedicatione plane aliena, sed cum sacrificii oblatione optime socianda.

Dixerat Dominus ablato sponso discipulos esse ieiunaturos (Matth. 9,15). Nullum autem tempus magis videri potest opportunum quam sacrificii tempus et orationis, unde hic quoque significatur sacrificium ieiunio coniunctum *et ieiunantibus;* ita igitur cultui Dei operam dantibus *dixit illis Spiritus sanctus : segregate mihi Saulum et Barnabam,* iam Saulo prior assignatur locus a Spiritu sancto, dum eousque secundo poneretur (11,25. 30; 12,25) *in opus ad quod assumpsi eos;* segregate cf. Rom. 1,1. Gal. 1,15; δή agedum, iam; additur particula, ut praecepti vis augeatur et mandatum illico esse exsequendum significetur, εἰς ὃ προσκέκλημαι ad quod eos (ad me) convocavi. Mandato obsequuntur v. 3 *tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus* νηστεύσαντες etc. i. e. cum ieiunassent et orassent et eis manus imposuissent, *dimiserunt illos;* haec manuum impositio, cui praemiserunt ieiunium et orationem, non est nuda caerimonia censenda neque vacuus quasi ritus; quare merito ibi agnoscunt sacram ordinationem et consecrationem ad munus episcopale. Nusquam enim, si mittamus parvulos quibus Salvator impositis manibus benedixit, in novo testamento deprecatoriae cuiusdam impositionis manuum exstat exemplum; sed ubique imponuntur manus aut ad sanandum vel ad revocandum ad vitam (Matth. 9,18. Marc. 5,23; 16,18. Luc. 4,40. Act. 9,12. 17; 28,8) aut ad sacrandum (Act. 6,6; 8,17; 19, 6. 1 Tim. 4,14; 5,22. 2 Tim. 1,6); ita recte *Beel.;* atque similiter explicant *Chr. Ammonius* in cat. *Salm. Lap. Patr. Felt.* Quomodo eos dimiserint, habes 14,25; commendarunt eos gratiae Dei ad opus illud subeundum.

Breviter iter eorum describitur v. 4 *et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam;* urbi nomen factum a Seleuco Nicatore qui eam denuo exstruxit; posita erat in monte Pierio ad mare, ex quo et Seleucia Pieria et maritima est appellata (*Patr.*); erat quasi portus Antiochiae, a qua 120 stadia distabat (*Bl.*); *et inde navigaverunt Cyprum,* in patriam Barnabae (4,36), ubi aliqua semina evangelii iam erant sparsa (11,19; 21,16); multi ibi Iudaei incolebant (cf. *Iosephus,* Antiq. 13,10,4); v. 5 *et cum venissent Salaminam,* γενόμενοι ἐν Σαλαμῖνι, cum essent Salaminae, in urbe sat magna sita in orientali insulae litore; seriore aetate vocabatur Constantia, nunc Porto Costanzo (*Patr.*), *praedicabant verbum Dei in synagogis Iudaeorum,* Iudaeis enim primum nuntium messianum afferri oportebat, ut Paulus saepius profitetur (Rom. 1,16; 11,14. 1 Cor. 9,20); et in synagogis etiam proselyti aderant; unde magna ibi offerebatur opportunitas eos alloquendi qui ad nuntium messianum ipsa religione et lectione Scripturarum iam erant praeparati. Diutius eos ibi praedicasse, ipsa forma vocis κατήγγελλον indicatur; *habebant autem et Ioannem in ministerio* ὑπηρέτην ministrum (gig), qui scil. in ministerio eis opem praestabat praedicando, baptizando (cf. 10,48. Luc. 1,2) « neque enim de alio ministerio cogitandum est, cuius commemorandi neque causa ulla Lucae esse poterat » (*Patr. Bels.*); duplex ministerium et corporale et spirituale praestandum ei *Felt.* assignat. De Ioanne qui et Marcus cognominatur vide 12,12; erat consobrinus ἀνεψιὸς Barnabae (Col. 4,10).

Integram perambulabant insulam, scil. praedicantes v. 6 *et cum perambulassent universam insulam usque Paphum;* intelligitur Nova Paphus, sita in occidentali insulae litore, portu instructa, a qua sexaginta stadiis distabat Palaepaphos, Paphus antiqua, celebris templo Veneris; erat Paphus sedes proconsulis; *invenerunt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudaeum, cui nomen erat Bariesu,* Bariesus, filius Iesu בַּר יֵשׁוּעַ; « valde usitatum inter Iudaeos fuit per illam praesertim aetatem nomen Iesu, adeo ut in historiis Flavii Iosephi plures quam decem viri hoc nomine vocati commemorentur praeter Christum aliosque qui ante Christum vixere » (*Patr.*). Ipso nomine hoc iam clare demonstratur vera historia; nunquam enim, si res ad similitudinem illius Simonis (8,18) ad honorem Pauli esset conficta (ut quandoque obiiciebant), eiusmodi nomen a fidelibus esset inditum. Ceterum patet, quam diversa sit haec narratio a priore illa. Erat pseudomantis ille unus ex illis praestigiatoribus, qui eo tempore creberrimi per imperium romanum reperiebantur et Chaldaei, mathematici, magi vocabantur (cf. Cicero, de Divin. 2,42-47. Horatius,

I carm. 11,2. Iuvenalis 3,13; 6,542 seq. 562; 10,90 visne tutor haberi Principis angusta Caprearum in rupe sedentis cum grege Chaldaeo; 14,248). Nomen magi varie effertur mutatione facta ob Iesu nominis reverentiam; ita *Beda* notat : Barieu legi debet; non enim convenit hominem flagitiosum et magum filium Iesu i. e. Salvatoris appellari, quem e contrario Paulus filium diaboli nuncupat.

Primo quidem, cum Augustus provincias attribueret, Cyprus provincia erat imperatoria; at mox eam provinciam senatui populoque reddidit; « eo tempore (i. e. anno 732 u. c.) Cyprum ac Galliam narbonensem, quia nihil armis suis indigerent populo reddidit; atque ita proconsules (ἀνθύπατοι) etiam in istas provincias mitti coeperunt » (Dio Cass. 54,4; cf. 53,12; *Sturz* III p. 253). Praeterea ex tempore Claudii inscriptionibus repertis noti sunt Q. Iulius Cordus et L. Annius Bassus, qui proconsules Cypri nominatur, item Cominius Proclus; pariter inventa est inscriptio in insula Cypro, quae habet επι Παυλου (ανθ) υπατου, quam inscriptionem de ipso nostro Sergio Paulo agere Cesnola, Lighfoot, Wendt omnino probabile censent (cf. *Vigouroux,* Le Nouveau Test. et les découvertes archéologiques modernes, 1890, p. 191 seq.). Proin vero suo titulo Sergius Paulus nominatur : v. 7 *qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente,* qui scil. doctrinae et praestigiis illius magi non acquievit, eorum vanitatem ac fallaciam perspiciens vel saltem suspicatus. Quare cum audisset de novis aliis doctoribus eos ad se invitavit : *hic accersitis Barnaba et Saulo desiderabat audire verbum Dei* i. e. qualem ipsi doctrinam afferrent de rebus divinis. Poterat audivisse illos annuntiare « verbum Dei »; vel si malueris, eam dictionem Lucae fer acceptam; cf. 8,25.

Statim sensit praestigiator nova illa institutione et doctrina suas eversum iri fraudes v. 8 *resistebat autem illis Elymas magus* (*sic enim interpretatur nomen eius*); nomen itaque peregrinum, arabicum, sibi maioris auctoritatis conciliandae causa imposuit, nomen quo se sapientem magum profitebatur, *quaerens avertere proconsulem a fide* διαστρέψαι eum pervertendo abducere a fide. Quibus id modis tentarit, non dicitur; verum pessimos quosque modos eum tentasse, facile ex acri Pauli reprehensione poenaque divinitus inflicta concluseris; v. 9 *Saulus autem qui et Paulus,* exinde priore nomine relicto solum Paulus a Luca nominatur; cur hoc loco duplicis nominis mentio fit? cum Paulus natus sit civis romanus (22,28), utique non est improbabile eum iam dudum nomen gessisse, ut alii multi gerebant, et hebraeum et romanum. At hac opinione tamen non explicatur, cur tandem hoc loco duplicis nominis mentio fiat et

in eius designatione a Luca mutatio constans introducatur. Dubito enim, num additamentum illud ad 12,25 consideratione dignum sit (male addi in ph c* *Bl.* dicit). Debet itaque mentio hoc loco facta esse enata ex ipsa re narrata. Varias sententias referre non est huius loci, quas videris apud *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 349 seq., quocum sentio apostolum, qui ab eo maxime tempore apostolatum suum inter gentes inchoavit, proconsulis nomine accepto se eius quasi clientem profiteri voluisse, id quod, cum inter Romanos versaretur et cum magistratibus romanis saepe tractaret, non minimae utilitatis ei forsitan fuerit.

Paulus itaque *repletus Spiritu sancto,* singulari zelo impulsus et interna illustratione edoctus, *intuens in eum* minacibus sane oculis vultuque severo v. 10 *dixit : o plene omni dolo et omni fallacia* ῥᾳδιουργίας nequitia, fraude, *fili diaboli,* indolem et opus diaboli in se exprimens et consectans (cf. Ioan. 8,44), *inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas* διαστρέφων pervertere, corrumpere consilia et subsidia quibus Deus homines ad cognitionem veri et recti adducere vult; proin avertere studet consilia Dei salutaria. Dicitur is pervertere agendi rationem Dei qui quos Deus ad virtutis amorem ac studium excitat, ipse in peccata et vitia propellere tentat (*Patr.*); proin non opus est explicare de nostris ad Deum viis (*Beel.*), sed viae Dei sunt Dei consilia, praecepta, agendi rationes (cf. *Dion.*). Simul doctore Spiritu ei denuntiat poenam quia veritatem evangelii supprimere conabatur v. 11 *et nunc ecce manus Domini super te,* ultrix scil. manus, Dei potentia (Iob 19,21. Iud. 2,15), *et eris caecus, non videns solem usque ad tempus;* « hoc dicit ut det ei poenitentiae locum; *usque ad tempus* dictum est convertentis; nam si punientis esset, illum in perpetuum fecisset caecum; et quo ipse Paulus reductus est signo, hoc et illum vult reducere; non igitur tam ultio quam medela erat » (*Chr.* sim. *Isidorus* pelusiota in cat. *Barh.* et *Beda :* sciebat apostolus sui memor exempli de tenebris oculorum mentes posse resurgere ad lucem); *et confestim cecidit in eum caligo et tenebrae* i. e. densissima caligo, maxima quaedam ἀορασία, sicut dicitur de Sodomitis : angeli percusserunt eos ἀορασίᾳ (Gen. 19,11 LXX) *et circuiens quaerebat qui ei manum daret,* χειραγωγούς manuductores, qui eum manu ducerent; narrandi modo innui videtur quasi plerique eum, virum aperta Dei ultione percussum, potius evitare ac fugere eius contactum studerent. Ne miraculum factum esse fateri cogerentur, aliqui excogitarunt magum iam habuisse dispositionem ad caecitatem quae repentino terrore esset actu completa. Satis ridiculum; et unde eam indolem Paulus novit?

Proconsul vim superiorem agnoscit et ubi veritas Dei sit, poena impostoris discit v. 12 *tunc proconsul cum vidisset factum credidit admirans super doctrina Domini;* admiratur doctrinam quam de Domino et a Domino acceptam illi praedicabant, adeo esse sanctam et numini divino caram, ut eam impugnare tam severe puniatur. Miraculum itaque vere esse criterium, quo veritas Dei persuadeatur, proconsul reipsa intellexit. — In elencho auctorum apud Plinium inter auctores ad librum 2. et 18. nominatur Sergius Paulus, quem eundem esse, de quo Lucas narrat, aliqui probabile censent, cum in iisdem Plinii libris aliqua de Cypro insula contineantur. — Quid vero in aliquibus martyrologiis de Sergio Paulo episcopo tradatur, videre poteris apud Bollandistas, tertio tomo Martii p. 371.

b) Paulus Antiochiae Pisidiae concionatur 13,13-42.

13,13. Et quum a Papho navigassent Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliae. Ioannes autem discedens ab eis, reversus est Ierosolymam. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiae; et ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. 15. Post lectionem autem legis et prophetarum, miserunt principes synagogae ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

16. Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israelitae, et qui timetis Deum, audite. 17. Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit, quum essent incolae in terra Aegypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea. 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. 20. Quasi post quadringentos et quinquaginta annos; et post haec dedit iudices usque ad Samuel prophetam.

21. Et exinde postulaverunt regem; et dedit illis Deus Saul, filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta. 22. Et amoto illo, suscitavit illis David regem; cui testimonium perhi-

13,13. Ἀναχθέντες δὲ ἀπὸ τῆς Πάφου οἱ περὶ Παῦλον ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας. Ἰωάνης δὲ ἀποχωρήσας ἀπ' αὐτῶν ὑπέστρεψεν εἰς Ἱεροσόλυμα. 14. αὐτοὶ δὲ, διελθόντες ἀπὸ τῆς Πέργης, παρεγένοντο εἰς Ἀντιόχειαν τὴν Πισιδίαν, καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν συναγωγὴν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐκάθισαν. 15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν ἀπέστειλαν οἱ ἀρχισυνάγωγοι πρὸς αὐτοὺς λέγοντες, Ἄνδρες ἀδελφοὶ, εἴ τις ἔστιν ἐν ὑμῖν λόγος παρακλήσεως πρὸς τὸν λαὸν λέγετε.

16. ἀναστὰς δὲ Παῦλος, καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ, εἶπεν; Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ἀκούσατε. 17. ὁ Θεὸς τοῦ λαοῦ τοῦ Ἰσραὴλ ἐξελέξατο τοὺς πατέρας ἡμῶν· καὶ τὸν λαὸν ὕψωσεν ἐν τῇ παροικίᾳ ἐν γῇ Αἰγύπτου, καὶ μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ αὐτῆς· 18. καὶ ὡς τεσσερακονταέτη χρόνον ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ· 19. καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χανάαν κατεκληρονόμησεν τὴν γῆν αὐτῶν, 20. ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα, ἔδωκεν κριτὰς ἕως Σαμουὴλ προφήτου.

21. κἀκεῖθεν ᾐτήσαντο βασιλέα, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς τὸν Σαοὺλ υἱὸν Κεὶς, ἄνδρα ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, ἔτη τεσσεράκοντα· 22. καὶ μεταστήσας αὐτὸν, ἤγειρεν

bens, dixit: Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 23. Huius Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Iesum, 24. Praedicante Ioanne ante faciem adventus eius baptismum poenitentiae omni populo Israel. 25. Quum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego; sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum solvere.

26. Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. 27. Qui enim habitabant Ierusalem et principes eius, hunc ignorantes, et voces prophetarum quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt: 28. Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. 29. Quumque consummassent omnia quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

30. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die; qui visus est per dies multos his, 31. Qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Ierusalem; qui usque nunc sunt testes eius ad plebem. 32. Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est; 33. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

34. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius iam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia. 35. Ideoque et alias dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

36. David enim in sua generatione quum administrasset voluntati Dei, dormivit; et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. 37. Quem vero Deus suscitavit a mortuis non vidit corruptionem.

38. Notum igitur sit vobis, viri fra-

τὸν Δαυεὶδ αὐτοῖς εἰς βασιλέα, ᾧ καὶ εἶπεν μαρτυρήσας, Εὗρον Δαυεὶδ τὸν τοῦ Ἰεσσαὶ, (ἄνδρα) κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου. 23. Τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγαγεν τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν, 24. προκηρύξαντος Ἰωάνου πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ βάπτισμα μετανοίας παντὶ τῷ λαῷ Ἰσραήλ. 25. ὡς δὲ ἐπλήρου Ἰωάνης τὸν δρόμον, ἔλεγεν, Τί ἐμὲ ὑπονοεῖτε εἶναι οὐκ εἰμὶ ἐγώ, ἀλλ' ἰδοὺ, ἔρχεται μετ' ἐμὲ, οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι.

26. Ἄνδρες ἀδελφοὶ, υἱοὶ γένους Ἀβραάμ, καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεὸν, ἡμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἐξαπεστάλη. 27. οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλὴμ καὶ οἱ ἄρχοντες αὐτῶν, τοῦτον ἀγνοήσαντες, καὶ τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας, κρίναντες ἐπλήρωσαν. 28. καὶ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου εὑρόντες, ᾐτήσαντο Πειλᾶτον ἀναιρεθῆναι αὐτόν. 29. ὡς δὲ ἐτέλεσαν πάντα τὰ γεγραμμένα περὶ αὐτοῦ καθελόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου ἔθηκαν εἰς μνημεῖον.

30. ὁ δὲ Θεὸς ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, 31. ὃς ὤφθη ἐπὶ ἡμέρας πλείους τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς Ἱερουσαλὴμ, οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν. 32. καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκεν τοῖς τέκνοις ἡμῶν, ἀναστήσας Ἰησοῦν· 33. ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ γέγραπται τῷ δευτέρῳ, Υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.

34. ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, οὕτως εἴρηκεν, ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαυεὶδ τὰ πιστά. 35. διότι καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. 36. Δαυεὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ εἶδεν διαφθοράν· 37. ὃν δὲ ὁ Θεὸς ἤγειρεν, οὐκ εἶδεν διαφθοράν.

38. Γνωστὸν οὖν ἔστω ὑμῖν, ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὅτι διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις

tres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur: et ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi iustificari. 39. In hoc omnis qui credit, iustificatur. 40. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis: 41. Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini; quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

42. Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba haec.

ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται· 39. καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν νόμῳ Μωυσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. 40. βλέπετε οὖν μὴ ἐπέλθῃ τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις, 41. Ἴδετε, οἱ καταφρονηταί, καὶ θαυμάσατε καὶ ἀφανίσθητε· ὅτι ἔργον ἐργάζομαι ἐγὼ ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, ἔργον ὃ οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν.

42. Ἐξιόντων δὲ αὐτῶν εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον ἠξίουν λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα.

In v. 14 την πισιδιαν ℵ ABC; al της πισιδιας. In v. 15 D λογος σοφιας εν υμιν παρακλησεως. In v. 18 ετροποφορησεν ℵ BC²DHLP 61. al longe plu cat Or Chr; al ετροφοφορησεν AC* E aliq minusc, sah cop syr ph (text-in marg. altera lectio graece habetur) arm aeth Cyr gig (nutrivit). In v. 20 και μετα ταυτα ως ετεσιν τετρ. και π DEHLP; sed ως ετεσιν etc ante και μετα ταυτα ℵ ABC mu minusc cat vulg Bed cop arm; gig et per annos 450 dedit illis iudices; sim syr; sed ph quasi per annos 450 *et* dedit illis iudices. In v. 25 τι εμε ℵ AB; al τινα εμε. In v. 26 ημιν ℵ ABD aliq minusc sah ph (mg); al υμιν. In v. 29 post γεγραμμενα add D ητουντο τον πειλατον τουτον μεν σταυρωσαι και επιτυχοντες παλιν και καθελοντες; ph (mg) postquam crucifixus est, petierunt a Pilato ut de ligno detraherent eum; impetrarunt et detrahentes eum posuerunt in sepulcro. In v. 30 D gig om εκ νεκρων. In v. 31 οιτινες νυν εισιν ℵ AC (αχρι νυν D) pl minusc cat sah cop syr ph arm. In v. 32 τοις τεκνοις ημων ℵ ABC*D vulg Amb Bed; αυτων ημιν C³EHLP 61 al pler cat syr ph arm Chr Theoph; gig filiis eorum. In v. 33 εν τω πρωτω ψ D Or Hil Bed gig. In v. 35 D ετερως, vulg alias. In v. 39 (38) απο παντων sine και ℵ AC* am fuld demid.

Ipsa narratione Paulus apparet dux et primus οἱ περὶ Παῦλον v. 13 *et cum a Papho navigassent* ἀναχθέντες, dicitur verbum in re nautica de iis qui navem solvunt e litore vel portu et in altum mare provehunt (*Beel.*) *Paulus et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliae;* Perge a mari distabat stadia septuaginta, sita ad Cestrum fluvium. Videntur Attaliae navem appulisse (*Bl.*) vel etiam per Cestrum navigasse Pergen; ibi tamen non praedicabant (cf. 14,24); *Ioannes autem discedens ab eis reversus est Ierosolymam;* ratio discessus eius non probabatur Paulo (15,38); quaenam fuerit, varie coniectant; noluisse eum longius iter et periculum subire (*Chr. Oec.*) vel etiam praeter terrorem laborum et periculorum eum esse tractum affectu humano ad revisendam patriam et matrem (*Salm.*); pusillanimitatis et inconstantiae eum accusant *Lap. Calm.* aliique; immo non defuerunt, qui eum recessisse putarent, quia Barnabas iam non priorem occuparet locum; v. 14 *illi vero transeuntes Pergen* διελθόντες ἀπὸ Πέργης a Perge profecti regionem peragrabant et *vene-*

runt Antiochiam Pisidiae, Ἀντιόχεια ἡ πρὸς Πισιδίᾳ, urbs in colle sita, coloniam habens romanam (*Strabo* 12,8,14; al. 12,577); quae colonia etiam Caesarea vocabatur; urbs condita erat a Seleuco Nicatore; Strabo eam Phrygiae attribuit, Plinius Pisidiae (nat. hist. 5,24; al. 5,27); sita enim est in meridionali parte Phrygiae prope regionem Pisidiae; earum regionum confinia aliter ab aliis determinabantur. Romani itaque eam Pisidiae attribuebant.

Narrationem falsitatis arguit *Weizs.* (l. c. p. 202. 203) quia Paulus constanter singulis in urbibus dicatur praedicationem incepisse in synagogis; hanc normam esse a fide historiae alienam, esse alienam a vocatione apostoli gentium quam se accepisse Paulus clarissime profiteatur. Quae tamen immerito oggeri facile patet. Nam prudentiae erat ibi incipere, ubi veri Dei cognitio et exspectatio messiana primum ac necessarium praebebat fundamentum evangelicae praedicationi i. e. in synagogis, ubi praeter Iudaeos aderant proselyti; eam opportunitatem negligere, immediate idololatris praedicare non erat consultum. Praeterea ipse apostolus profitetur Iudaeo primum evangelium esse virtutem Dei (Rom. 1,16); et qui scribit Rom. 9,1 seq. 11,13. 14. 25 seq. 1 Cor. 9,20; qui aperte proclamat populum Israel non esse reiectum a Deo Rom. 11,1 seq. qui sperat ipsa gentium conversione salutem fore Iudaeis quoque, eosque solum nimia aestimatione legis retineri, Deum autem ex iis etiam suos sibi eligere (Rom. 9,24. 32; 10,2 seq. 11,30 seq.), quomodo is censeri posset Iudaeis plane neglectis evangelium annuntiare? Ipsae epistolae eius praeclarum exhibent testimonium, ita praedicasse apostolum, uti Lucas narrat; *et ingressi synagogam die sabbatorum sederunt,* τὰ σάββατα saepe notione singulari legimus (Matth. 28,1. Luc. 4,16. Col. 2,16; iam apud LXX Ex. 20,10; 35,3. Lev. 23,32. Deut. 5,12. Is. 56, 6 etc.); cetera enim festorum nomina plurali efferuntur : ἄζυμα, ἐγκαίνια, γενέσια; vel explicant etiam ex forma aramaica שַׁבְּתָא; et quantopere in usu fuerit, ostenditur illo : hodie tricesima sabbata (Horat. sat. 1,9,69).

De modo celebrandi sabbatum in synagogis aliqua refert ex Philone excerpta *Eusebius* (Praep. evang. 8,7; M. 21, 605); de eo docemur Luc. 4,16 seq. et hoc loco v. 15 *post lectionem autem legis et prophetarum,* olim ita lectionem disponebant, ut triennio totum absolverent pentateuchum; lectioni legis adiungebatur lectio prophetarum, quae tamen non erat continua, sed libere eligebatur. Pentateuchus in 154 sectiones erat distributus; eum in 54 sectiones distributum singulis legere annis recentioris est originis (cf. *Schürer* l. c. II p. 378 seq.; ceterum de paraschis et haphtaris cf. *Cornely,* Introd.

I 2. ed. p. 35 seq.). Lectioni addebatur sermo exhortationis, uti patet tum ex Philone (apud Euseb. l. c.), tum ex Luc. 4,17, tum ex hac ipsa narratione; qui sermo a quolibet sacrarum litterarum perito haberi poterat; unde facile explicatur quod sequitur : *miserunt principes synagogae* οἱ ἀρχισυνάγωγοι (cf. Luc. 13,14), quorum erat cunctis quae ad cultum divinum spectabant moderari; proin designare qui legerent, orationes precesque recitarent; iis incumbebat cura aedificiorum, prospicere ut omnia debito ordine peragerentur, *ad eos dicentes : viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.*

Sermo qui sequitur ipsa compellatione audientium in tres partes dividitur v. 16-25; 26-37; 38-41; et primo quidem summatim recensentur Dei beneficia usque ad Messiam; dein ostenditur Iesum quamvis principes eum morti tradidissent esse Messiam impletis vaticiniis prophetarum; unde denique sequitur, ut ei adhaereant fide poenis contumacibus indictis; v. 16 *surgens autem Paulus et manu silentium indicens,* cum surrexisset manumque movisset κατασείσας cf. 12,17, *ait : viri Israelitae et qui timetis Deum* i. e. proselyti, *audite :* v. 17 *Deus plebis Israel,* gig (cum plerisque graecis) Deus populi huius Israel, *elegit patres nostros,* patriarchas, *et plebem exaltavit, cum essent incolae in terra Aegypti* « multitudine aucti sunt, immo et miracula propter illos facta sunt; vide quomodo tempora calamitatum praetercurrat et nusquam crimina in medium afferat, sed Dei benignitatem » (*Chr.*) *et in brachio excelso eduxit eos ex ea* (cf. Ex. 6,6; 15,16. Deut. 4,34; 5,15; 7,19; 9,29 etc.) v. 18 *et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto,* vel secundum alteram lectionem : aluit eos; in utroque apparet Dei benignitas; sed, ut videtur, etiam maiore modo in priore lectione, quae magis quoque ad Deut. 1,31 hebr. accedit (in solitudine portavit te Dominus) et quam *Westcott, Bl. Weiss* praeferunt; v. 19 *et destruens gentes septem in terra Chanaan* καθελὼν postquam destruxit septem gentes, scil. Hethaeum et Gergezaeum et Amorrhaeum, Chananaeum et Pherezaeum et Hevaeum et Iebusaeum (Deut. 7,1; cf. Ex. 23,23; 33,2), *sorte distribuit eis terram eorum,* quam distributionem habes descriptam Ios. 13,7 seq. 14,2 seq. v. 20 *quasi post quadringentos et quinquaginta annos;* a quo termino isti anni computandi sint, non liquet. Attamen probabilius computari possunt a tempore ingressus in Aegyptum, ita ut dicatur : postquam quasi per 450 annos terra illa patriarchis promissa caruerunt, tandem illam possidere coeperunt. Haec dein computatio ita facta est, ut secundum Gen. 15,13 pro commoratione aegyptiaca numerus ponatur rotundus 400 annorum,

dein 40 anni migrationis in deserto et circiter 10 anni bellorum post ingressum in Chanaan.

Verum aliter annos solent computare : incipiunt a nativitate Isaac; cur? rationem iam affert *Beda :* quia in Isaac vocabitur tibi semen. Inde ergo incipere electionem patrum. Ab exortu Isaac usque ad exitum ex Aegypto computant annos circiter 400, *Beda* 405; nam Isaac genuit Iacobum cum esset annorum 60; Iacob in Aegyptum venit natus annos 130, Israelitae in Aegypto degerunt secundum LXX annis 215; iter per desertum annorum 40, terram Chanaan subegerunt annis 5 circiter (ita fere *Bed. Salm. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Wendt*). In qua tamen explicatione displicet, cur a nativitate Isaac incipiatur et quare id negligatur quod adeo clare Gen. 15,13 statuitur : quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua... 400 annis, id quod satis congruit cum Ex. 12,40 hebr. — Altera lectio qua anni hic ponuntur post καὶ μετὰ ταῦτα, ita ut ad tempus Iudicum referantur, repudianda est; nam tot anni pro eo tempore non possunt assignari, uti ex 3 Reg. 6,1 patet. Videtur quidem apud Iudaeos alia quoque traditio exstitisse; nam *Iosephus* pro tempore ab egressu ex Aegypto usque ad initium aedificationis templi numerat annos 592 (Antiq. 8,3,1; 10,8,5). Si numeri annorum in libro Iudicum computantur *omnes*, etiam eorum Iudicum qui coaevi censentur efficitur numerus annorum 410 (Iud. 3,8. 11. 14. 30; 4,3; 5,31; 6,1; 8,28; 9,22; 10,2. 3. 8; 12,7. 9. 11. 14; 13, 1; 15,20) et si pro Eli adduntur annos 40, efficitur numerus ille annorum 450 pro tempore Iudicum; sed arte eaque falsa efficitur; quare relinquatur oportet.

Post tantum igitur temporis spatium per quod in terra aliena commorati sunt tandem terra promissa potiti sunt, in qua prius per iudices a Deo suscitatos regebantur et ab oppressione hostium liberabantur : *et post haec dedit iudices usque ad Samuel prophetam;* ad multiplicia illa Dei misericordis ac propitii beneficia revocanda bene dicit *dedit iudices;* nam magnis in calamitatibus quas suis peccatis sibi attraxerant, Deus resipiscentibus suscitavit salvatorem (Iud. 3,9. 15; 5,8; 6,34 etc.); per Samuel quoque varia beneficia populo praestitit (1 Reg. 3,19 seq. 7,3 seq.) v. 21 *et exinde postulaverunt regem* 1 Reg. 8,5, cum scil. Samuel iam senuisset, *et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin,* 1 Reg. 9,1 seq. *annis quadraginta;* quamdiu Saul regnaverit, in libro Regum non legitur; scribit *Iosephus* eum vivente Samuele regnasse annos octodecim, post Samuelis mortem annos viginti duos (Antiq. 6,14,9); Iosephum testem iam *Beda* allegat et ceterum notat : « credo, quia liber Regum non aperte quot annis Saul regnaverit exponit, apostolum vulgo loquentem hoc

quod fama crebrior haberet dicere voluisse »; v. 22 *et amoto illo suscitavit illis David regem*, cf. 1 Reg. 13,13 seq. 16,13; *cui testimonium perhibens dixit : inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum qui faciet omnes voluntates meas*, Ps. 88,21 et 1 Reg. 13,16; *qui faciet* etc. explicat illud in psalmo : inveni David *servum meum;* cf. Is. 44,28; qui scil. in oppositione ad Saul inobedientem praecepto Domini faciet quae Deus ei mandaturus est.

Davidi promittitur regnum aeternum 2 Reg. 7,16. Ps. 88,30; unde v. 23 *huius Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel* τῷ Ἰσραὴλ *salvatorem Iesum;* cf. Is. 9,6; 11,1; v. 24 *praedicante Ioanne ante faciem adventus eius* πρὸ προσώπου hebraismus est; cf. Marc. 1,2. Luc. 2,76 etc. *baptismum poenitentiae omni populo Israel;* Matth. 3,1 seq. Marc. 1,4. Luc 3,3; ita simul auditores docet, qua animorum praeparatione opus sit ad regnum messianum suscipiendum iamque iis ingeritur notio de regno non temporali, sed spirituali. Commemorat autem testimonium Ioannis baptistae, quia hic magna apud Iudaeos fruebatur auctoritate, uti evangelia testantur (Matth. 3,5; 22, 26) et Iosephus quoque (Antiq. 18,5,2), et eius fama etiam in exteras regiones perlata erat (cf. 18,25; 19,3); v. 25 *cum impleret autem Ioannes cursum suum dicebat,* munus suum et officium (20,24. 2 Tim. 4,7) dicebat : *quem me arbitramini esse, non sum ego; sed ecce venit post me cuius non sum dignus calceamenta pedum solvere,* qui scil. sim infimus eius servus; cf. Matth. 3,11. Marc. 1,7. Luc. 3,15. 16. Ioan. 1,20 et ex carcere mittens discipulos ad Iesum ultimum edidit testimonium Iesum esse Christum (Matth. 11,2. Luc. 7,19).

Iam itaque Messias missus est, Iesus, testimonio Ioannis comprobatus. Unde infert apostolus conclusionem, nova compellatione animos eorum pulsans v. 26 *viri fratres, filii generis Abraham,* nobilis stirpis meminit ad captandam benevolentiam, simul declarans, quanta eos in reverentia et amore habeat, *et qui in vobis timent Deum,* qui sunt apud vos proselyti, *vobis verbum salutis huius missum est;* indicat se singulari quadam auctoritate missum esse cum tali nuntio; quae missio eo magis erat necessaria, quia synedrium Iesum non agnovit; nam si synedrium agnovisset, Iudaei etiam in diaspora degentes synedristis statim obsecuti essent; v. 27 *qui enim habitabant Ierusalem et principes eius hunc ignorantes et voces prophetarum quae per omne sabbatum leguntur iudicantes impleverunt;* « vide quomodo illos leniter defendat; neque hoc tantum, sed etiam ita fieri oportuisse addit » (*Chr.*); synedristae sua in Iesum iudiciali actione impleverunt oracula prophetarum de Messia, Is. 53,7. Ps. 21,15 seq. Zach. 13,7. Ad oracula provocans offensionem removet quam in

morte Iesu a synedristis postulata invenire potuerint; quare monet illos dicta prophetarum non intellexisse et ita ea implevisse (cf. 1 Cor. 2,8); v. 28 *et nullam causam mortis invenientes in eo* i. e. nullam veram causam; nam quam ipsi praetendebant, non erat (Matth. 26, 65), neque testes quidquam contra eum protulerant et Pilatus coram eis saepius professus est nullam se invenire causam (Luc. 23,14. 22); nihilominus *petierunt a Pilato ut interficerent eum* ἀναιρεθῆναι ut tolleretur (Matth. 27,20 seq.); v. 29 *cumque consummassent omnia quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento;* nam unus eorum qui Iesum deposuerunt ac sepulturae tradiderunt, erat Nicodemus, unus ex numero ἀρχόντων (v. 27), alter vero Ioseph ex Ierosolymae incolis et ipse synedrista, ergo etiam unus ex principibus Iudaeorum (Luc. 23,50. Marc. 14,43. Ioan. 3,1; 19, 38); quare in narratione generali quadam ratione proposita idem subiectum adhiberi vel relinqui potest (cf. *Beel.*) qui enim suprema haec in Christum officia sunt exsecuti et ipsi habitabant Ierusalem et populi principes erant, non tamen Iesum ignorantes (*Patr.*).

Et scandalum crucis quod iam oraculis prophetarum tollitur, etiam efficacius removetur gloriosa resurrectione v. 30 *Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per dies multos his,* v. 31 *qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Ierusalem, qui usque nunc sunt testes eius ad plebem;* ita ergo indubie constat de resurrectione et una cum ea de Iesu Messia, de Iesu Salvatore; proinde simul constat promissionem Dei olim factam iam esse impletam; quare pergit apostolus v. 32 *et nos vobis annuntiamus eam quae ad patres nostros repromissio facta est,* v. 33 *quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris,* lege : filiis eorum, nobis (vide lect. var.) et construe : annuntiamus vobis, promissionem quae patribus nostris facta est adimplevisse Deum nobis; quomodo adimpleverit, ostenditur eo quod Iesus tamquam Filius Dei sit declaratus palamque manifestatus (v. 33) et quod a mortuis sit suscitatus, ut omnibus remissionem peccatorum et iustitiam largiretur (v. 34-39) *resuscitans Iesum,* ἀναστήσας non dicitur de resuscitatione a mortuis, sed eo modo quo 3,22 : prophetam suscitabit vobis; proin *suscitans* i. e. mittens Iesum eumque exhibens et manifestans tamquam talem, *sicut et in psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te,* Ps. 2,7; Iesus enim tale habuit a Patre testimonium, dum hisce in terris versaretur; declaratus est Filius Dei in baptismo, in transfiguratione; eius de se testimonium, se esse Filium Dei, aequalem Patri (cf. Matth. 11,27. Ioan. 5,19 seq. 10,36) ipsius Patris testimonio, et operibus est comprobatum (Ioan. 5,36; 8,54; 10,37. 38; 15,24). In illo psalmo ser-

monem esse de Messia certum est; describitur enim tamquam rex a Deo electus super Sion, cui omnes gentes et termini terrae dantur a Domino et qui inimicos suos conteret, suis autem qui eum venerantur salutem praestabit. Iam hisce notis ubique apud prophetas unus describitur atque dignoscitur Messias; hic declaratur : *Filius meus es tu;* eumque esse singulari ratione, proprie, eo modo quem cum nullo habeat communem, Filium, explicatur addito : *ego hodie genui te;* cui enim dixit aliquando angelorum vel regum : ego hodie genui te (cf. Hebr. 1,5)? Iesus autem voce coelitus delapsa et testimonio divinitus comprobato declaratus est verus Dei Filius, proin Messias palam est propositus.

Illud ἀναστήσας de resurrectione accipiunt (cf. *Salm. Lap. Calm. Patr. Felt.*); non accipiunt de resurrectione *Cai. Gordonus, Beel.;* et *Beda* ita habet : « Filius meus es tu etc.; non est putandum hoc exemplum psalmi ad resurrectionem Christi, sed ad ipsam eius Incarnationem pertinere; nam sequens versiculus de resurrectione manifestissime testatur »; at in retractationis libro affert locum ex S. Hilario : « vox ergo haec Dei Patris secundum apostolum in die resurrectionis exsistit ». Aliqui, uti *Oec. Theoph.* illa verba de Incarnatione exponunt, quae explicatio etiam reperitur apud Cyprianum, Eusebium, Gregorium nyssenum, Theodoretum, Proclum, Eulogium alexandrinum, Cyrillum alexandrinum, quos vide allegatos apud *Patr.* in hunc locum, qui de his psalmi verbis eorumque apud Patres interpretatione varia multa congessit. Ceterum pro apostoli oratione valet quod *Bl.* notat : si quis iustam argumentationem desiderat, meminerit adumbrari tantum orationem, quam multo pluribus verbis Paulus dilatavit. — Notum est haec psalmi verba olim allata esse ad multiplicem sensum litteralem probandum; at immerito; de qua re vide *Cornely,* Introd. I 2. ed. p. 548. 549 (11). Primum et secundum psalmum olim in aliquibus exemplaribus coniunctos fuisse, lectione illa ἐν πρώτῳ patefit, quam *Oec.* quoque habent. Idem testantur Origenes, Iustinus, Tertullianus alii, qui vel idem perhibent, vel uno tenore utrumque psalmum nulla distinctione afferunt (Iustin. Apol. 1,40. *Bl.*); cf. *Zenner,* Chorgesaenge in d. Ps. p. 61.

Deus itaque Iesum constituit Messiam, Filium suum declaravit. Iam ad alterum transit oratio v. 34 *quod autem suscitavit eum a mortuis,* en, ipsa particula δέ et appositione illa ἐκ νεκρῶν ad ἀνέστησεν ostenditur nunc tandem fieri sermonem de resurrectione, neque iam factum esse in v. 33, *amplius iam non reversurum in corruptionem, ita dixit : quia dabo vobis sancta David fidelia,* Is. 55,3 *LXX* τὰ ὅσια, τὰ πιστά; hebr. חַסְדֵי דָוִד, sunt misericordes illae ac gratiosae promissiones, vulg. misericordiae David, quas *fideles,* tutas, constantes, inconcussas semper perstare Deus spondet; haec itaque sancta, sancte promissa

nunquam abroganda sunt. Iam iis promittitur Messias ex posteris David (cf. v. 23) et thronus aeternus; proin Iesus ut thronum aeternum habeat non potest in morte manere, sed debet resurgere iam non moriturus, sed regnaturus in aeternum (cf. Ps. 88,29. 30. 38. Ez. 34,23. *Salm.*); « quaecumque David promisi, eadem vobis certissime fidelis sponsor implebo » (*Bed.*). Idque altero quoque oraculo confirmatur v. 35 *ideoque et alias dicit* ἐν ἑτέρῳ in alio loco: *non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* Ps. 15,10 LXX; vide supra ad 2,27; id non posse esse dictum de Davide, et proinde dictum esse de Messia, altero Davide (cf. Ier. 30,9. Ez. 34,23.24; 37,24.25. Os. 3,5, ubi Messias vocatur David), cuius David typus erat; v. 36 *David enim in sua generatione* i. e. aetate sua, suo vitae tempore, *cum administrasset voluntati Dei, dormivit,* obiit, *et appositus est ad patres suos,* eo modo sermo fit in vetere testamento de morte (cf. Gen. 25,17; 35,29. Iud. 2,10 etc.) *et vidit corruptionem* cf. 2,29. Habetur ἰδίᾳ γενεᾷ; unde aliqui non dativum temporis agnoscunt, sed aliter iungentes exponunt : David suae generationi, aequalibus suis subserviebat et voluntate Dei mortem obiit; vel : postquam in regimine popularium suorum coaetaneorum (dativus commodi, ut aiunt) subserviit Dei voluntati, obdormivit (*Beel. Weiss*); sed prima acceptio videtur praeferenda, utpote simplicior verbisque magis congrua (*Patr. Felt. Bl.*). Verba autem psalmi impleta sunt in Iesu v. 37 *quem vero Deus suscitavit a mortuis non vidit corruptionem;* hic itaque est sanctus ille, de quo in psalmo mentio fit.

Iesus itaque est Messias. Hac veritate stabilita apostolus transit ad conclusionem quae ex ea necessario sequitur et ad adhortationem v. 38 *notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur,* per Messiam enim promissiones Dei implentur; tempore messiano fore remissionem peccatorum, fore iustitiam et sanctitatem prophetae praedicere solebant (cf. Is. 4,3; 9,7; 11,9; 42,7; 53,11. Ier. 31,34. Ez. 16,63; 36,26. Dan. 9,24. Mich. 7,18-20 etc.) *et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari,* v. 39 *in hoc omnis qui credit iustificatur* i. e. ab omnibus in hoc, in Messia, iustificatur credens; in lege mosaica, vi ipsius legis, iustificatio non concedebatur; nam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo (Rom. 3,20. Gal. 3,11); ἀπὸ πάντων ὧν i. e. ἀφ' ὧν, sed praepositio omittitur, uti 13,2. Sensus non est ab aliquibus, sed non ab omnibus, potuisse in lege iustificationem haberi (ut *Weiss* vult), sed enuntiatur in oppositione ad legem ab omnibus peccatis iustificationem in uno Messia esse quaerendam; impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata (Hebr. 10,4). Cum itaque tanta

illis oblata sit salus, graviter monet, ne illius negligentes se exhibeant v. 40 *videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis*, i. e. in libro prophetarum, Hab. 1,5; v. 41 *videte contemptores et admiramini et disperdimini, quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis;* propheta annuntiat populo contumaci et rebelli poenam et vindictam Dei insignem per Chaldaeos exercendam. Monet itaque apostolus, ne salutem oblatam contemnentes simili poenae obnoxii fiant. Quam terribilis futura sit poena, indicatur eo quod omnem fidem superare dicitur et plane incredibilis videtur. Olim Iudaei per Chaldaeos afflicti sunt et demum in captivitatem abducti urbe temploque destructis; Iudaei increduli evangelio pariter urbe temploque dirutis perpetuo exsilio puniti sunt.

Cur hisce minis apostolus concludat, fortasse miraberis. Sed non erit improbabile apostolum ex eorum vultu habituque cognovisse evangelium ab iis non recipi vel saltem animi promptitudinem deesse; quare minis additis tarditatem eorum stimulandam esse censuit; ceterum vide v. 45 seq. Id saltem obtinuit apud omnes, ut iterum audire vellent complura de hoc novo nuntio v. 42 *exeuntibus autem illis rogabant, ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba haec* εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, cf. Luc. 13,9 de tali notione εἰς; μεταξύ e rariore posterioris graecitatis usu significat *postea.*

Oratio haec Pauli, qua Iudaeis primum de Iesu nuntium affert, non poterat, ut *Bl.* bene advertit, multum differre vel a Petri orationibus (cap. 2. 3) vel a defensione Stephani (c. 7); nam et conveniens erat cum antiquis Dei in populum beneficiis coniungere novissimum, et necessarium de Iesu docere, neque minus prophetarum legisque locos adhibere quibus de illo praedictum erat. Quare ex aliqua cum prioribus similitudine non potest inferri orationem non esse habitam a Paulo, sed a scriptore ex aliis compositam. Id tamen statui ab aliquibus criticis (*Wendt, Weiss* aliisque) mirum non est. Oratio est satis brevis et apta. Nihilominus critici varia deprehendisse sibi videntur, quae interpolationem cuiusdam « redactoris » prodant. Ita *Sorof* interpolata esse vult v. 27-31. 34-37; item *Clemen.* Haec autem plane necessaria sunt. Nam cum synedristae Iesum morti addixissent, nonne haec erat offensio maxima, qua Iudaei exteri a fide poterant retineri? Proin *debuit* ostendi illorum agendi modum non solum non officere, verum demonstrare Iesum esse Messiam. Et quis dicere potest probationem resurrectionis per testes et per prophetas potuisse deesse? Puto si haec defuissent in oratione, criticos dicturos fuisse, orationem iam ostendi spuriam, quia deessent quae pro Iudaeis plane fuissent necessaria. Praeterea *Clemen* v. 25 additum esse vult et v. 40. 41; *Jüngst* v. 24. 25. 29. 34-37. 39 et delet in v. 27 voces prophetarum etc.; aliter iterum *Hilg.* qui addita esse vult v. 25 quem me arbitramini esse, non sum ego, sed — 27

quae per omne sabbatum leguntur — 30 per dies multos — et v. 38. 39. Vides alios alia expungere, cum tamen tota oratio aptissime connectatur.

c) Quid effectum sit Antiochiae 13,43-52.

13,43. Quumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudaeorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. 44. Sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. 45. Videntes autem turbas Iudaei repleti sunt zelo, et contradicebant his quae a Paulo dicebantur, blasphemantes.

46. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes. 47. Sic enim praecepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae. 48. Audientes autem gentes gavisae sunt, et glorificabant verbum Domini; et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.

49. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. 50. Iudaei autem concitaverunt mulieres religiosas et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam; et eiecerunt eos de finibus suis. 51. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. 52. Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto.

13,43. Λυθείσης δὲ τῆς συναγωγῆς, ἠκολούθησαν πολλοὶ τῶν Ἰουδαίων καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ· οἵτινες προσλαλοῦντες αὐτοῖς ἔπειθον αὐτοὺς ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. 44. Τῷ τε ἐρχομένῳ σαββάτῳ σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις συνήχθη ἀκοῦσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. 45. ἰδόντες δὲ οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς ὄχλους ἐπλήσθησαν ζήλου καὶ ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ Παύλου λαλουμένοις βλασφημοῦντες.

46. παρρησιασάμενοί τε ὁ Παῦλος καὶ ὁ Βαρνάβας εἶπαν, Ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ· ἐπειδὴ ἀπωθεῖσθε αὐτόν, καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, ἰδοὺ στρεφόμεθα εἰς τὰ ἔθνη. 47. οὕτω γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ Κύριος, Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. 48. ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη ἔχαιρον, καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

49. διεφέρετο δὲ ὁ λόγος τοῦ Κυρίου δι' ὅλης τῆς χώρας. 50. οἱ δὲ Ἰουδαῖοι παρώτρυναν τὰς σεβομένας γυναῖκας τὰς εὐσχήμονας καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, καὶ ἐπήγειραν διωγμὸν ἐπὶ τὸν Παῦλον καὶ τὸν Βαρνάβαν, καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. 51. οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ἐπ' αὐτοὺς ἦλθον εἰς Ἰκόνιον. 52. οἵ τε μαθηταὶ ἐπληροῦντο χαρᾶς καὶ Πνεύματος Ἁγίου.

In v. 43 add post Βαρναβ αξιουντες βαπτισθηναι in 137 ph c*, et in fine add D ph (mg) εγενετο δε καθ ολης της πολεως διελθειν τον λογον του θεου; sim E Bed. In v. 44 D ακουσαι Παυλου πολυν τε λογον ποιησαμενου περι του κυριου. In v. 45 αντιλεγοντες και D I P 40 al plu ph Chr Thph gig (resistentes et), sim E εναντιομενοι. In v. 47 τοις εθνεσι D, gentibus gig am fuld demid tol Aug Hier. In v. 48 gig qui destinati erant in vitam aeternam. In v. 50 gig aliquas de colentibus Deum mulieres honestas, D θλιψιν μεγαλην και διωγμον. In v. 52 pler οι δε; gig discipuli vero; οι τε AB plu minusc.

Pauli praedicatione id effectum est, ut non solum insequenti sabbato eum iterum audire desiderarent, verum etiam, ut haud pauci

statim apostolis sese adiungerent ad pleniorem institutionem habendam v. 43 *cumque dimissa esset synagoga* soluta congregatione, coetu dimisso, *secuti sunt multi Iudaeorum et colentium advenarum* τῶν σεβομένων προσηλύτων; proin Iudaei nati et proselyti Deum colentes, *Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei;* hi itaque plenius edocebantur (προσλαλοῦντες) et adhortationibus confortabantur, ut firmiter perseverarent in gratia Dei qua praeventi fidem susceperunt (*Lap.*). Placet nonnullis gratiam Dei intelligere doctrinam fidei (*Beel.*). Apostoli itaque per hebdomadam operi apostolico sese impendebant. Unde rei notitia per urbem spargebatur: quare v. 44 *sequenti vero sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei,* audire Paulum, uti altera habet lectio, neque incongrue, quia certe multi gentilium non tam de verbo Dei, quam de Paulo audiendo cogitabant; recte dici quoque verbum Dei, patet per se; vide ad v. 7. Pauli sermo non refertur; fuerit sane similis argumenti cum illo priore; et quia Iudaei zelo et indignatione contra gentiles agitantur, videtur Paulus clarius quoque indicasse eam salutem *omnibus* offerri hominibus; v. 45 *videntes autem turbas Iudaei,* multos scil. gentiles, *repleti sunt zelo* aemulatione invidiosa; ferre non possunt quod gentiles sibi aequiparentur, quod bonorum messianorum reddantur participes sine circumcisione et observatione legis mosaicae. Iudaei enim contemptui habebant gentiles, ut exponitur Rom. 2,19.20; unde summe indignantur, quod hanc suam prae gentibus praestantiam auferre velit apostolus et contendat per Messiam omnes pari modo salvari. Prae vanitate nationali *talem* Messiam aversantur, *et contradicebant his quae a Paulo dicebantur blasphemantes* in Iesum iam convicia iactantes.

Omni fortitudine et libertate παρρησιασάμενοι apostoli iis quid rei sit declarant v. 46 *tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : vobis oportebat primum loqui verbum Dei,* Iudaeis enim credita sunt eloquia Dei (Rom. 3,2), ipsi habent spem messianam, *sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis aeternae vitae,* ad quam scil. aditus iam non est nisi per fidem Iesu qui in vobis praedicatus est, *ecce convertimur ad gentes.* Neque id facimus privata nostra auctoritate, sed edocti et iussi oraculo prophetico, v. 47 *sic enim praecepit nobis Dominus : posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae;* Is. 49,6, quae verba dicuntur a Deo de Messia; unde vult Deus ut Messias revera fiat in lucem gentium, in salutem omnium. Proinde eorum quos Messias elegit sibi socios et apostolos est, pro viribus ad hanc Dei voluntatem exsequendam cooperari (vide quae dixi in Comment. Is.). Quod Christo specialiter

dictum est, ait *Beda*, hoc iam sibi dictum arbitrantur apostoli, membra se videlicet illius esse recolentes, sicut etiam ipse propter eiusdem corporis unionem dixit : Saule, quid me persequeris? Apostolus prudenter ad prophetam provocat, cuius auctoritatem Iudaei non possunt non agnoscere et revereri; si solum praeceptum Iesu protulisset, illud flocci fecissent. His autem verbis et vulnus Iudaeorum recruduit et gentilium gaudium auctum est (*Calm.*).

En quod Iudaei pro sua et superbia et invidia reiecerunt, gentes cum gaudio suscipiunt v. 48 *audientes autem gentes gavisae sunt et glorificabant verbum Dei*, evangelium, encomiis celebrant quod sibi per apostolos talis nuntius Dei innotescat, *et crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam* τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον i. e. ordinati, in ea serie positi qua tenditur ad vitam aeternam, vel in eo ordine ac tramite collocati quo est aditus ad vitam; aliis verbis : qui erant dispositi ad vitam aeternam amplectendam. Exprimitur scil. oppositio ad Iudaeos qui repellunt oblatam sibi vitam et ea se indignos iudicant. Quomodo sint ordinati, dispositi, explicite non dicitur, sed facile colligitur; nam cum praedicatione externa etiam coniungitur gratia interna; unde gratia Dei praeveniente sunt ordinati, quam gratiam Iudaei oblatam repudiarunt, quam multi ex gentilibus avide susceperunt. Gratia Dei itaque efficaciter vocantur ad fidem quotquot credunt; haec vocatio divina antecedit; hac vocatione cum effectu Deus suos sibi eligit. Sunt itaque τεταγμένοι, uti *Chr.* dicit, ἀφωρισμένοι τῷ Θεῷ; ita ut ex parte Dei praecedat non solum πρόγνωσις (*Ammonius*) sed πρόγνωσις καὶ προορισμός, ut *Didymus* in cat. ait. Agitur de vocatione efficaci ad fidem, qua aditus praeparatur ad vitam aeternam; nemo autem venit ad fidem, nemo potest venire ad Iesum, nisi Pater traxerit eum (Ioan. 6,44); sunt itaque τεταγμένοι illi qui tracti sunt a Patre, sunt docti illi a Deo (l. c. Is. 54,13).

De praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita vel post praevisa merita sermo nullatenus est. Id iam ex eo apparet, quia nemo supponere potest Lucam voluisse asserere omnes illos et solos illos tum fidem suscepisse qui vi praedestinationis ad gloriam decessuri essent in gratia. Haud immerito adnotant alii dici hic vitam aeternam per metonymiam de fide salvifica, qua nempe perveniatur ad vitam aeternam, uti vita aeterna dicitur Ioan. 17,3 (*Beel.*), vel, ut *Patr.* explicat : crediderunt, quotquot per praedestinationem ad fidem praeordinati erant ad vitam aeternam. Sunt itaque τεταγμένοι ii quoscumque advocaverit Deus (2,39), in quos quasi in vasa misericordiae ostendere vult divitias gloriae suae quos praeparavit in gloriam (Rom. 9,23). — Hoc loco abusi sunt Beza, Calvinus, ut probarent

decretum absolutum Dei alios salvandi, damnandi alios. Quam explicationem ut protestantes refutarent, alii verbum acceperunt sensu mediali : quotquot sese ordinaverunt ad vitam aeternam, alii notione militari (qui ordines servant) : qui de agmine et classe erant sperantium vel contendentium ad vitam aeternam, alii : credebant in vitam, quotquot destinati erant, vel quotquot congregati erant, vel quotquot tempus constituerant (cf. *Wendt*). Ceterum varias sententias etiam *Calm.* recenset. Pluribus exemplis ostendit *Wetst.* ad h. l. apud rabbinos satis usitatam esse locutionem : ordinati ad vitam saeculi futuri, ad gehennam.

Evangelium itaque inter gentiles propagabatur v. 49 *disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem;* διεφέρετο divulgabatur, per Pisidiam. Quo successu invidia et indignatio Iudaeorum excitatur, qui exemplum palaestinensium secuti evadunt persecutores Messiae; v. 50 *Iudaei autem concitaverunt mulieres* (gig aliquas) *religiosas et honestas* quae erant proselytae et nobiles (εὐσχήμονας); mulieres ubique frequentes se cultui iudaico addicebant; ita de civibus damascenis scribit *Iosephus* fere omnes eorum uxores paucis exceptis esse ὑπηγμένας τῇ ἰουδαικῇ θρησκείᾳ (Bell. iud. 2,20,2) *et* per mulieres instigandos curabant *primos civitatis;* mulieres enim plerumque susceptae professioni insistere pertinacius, superstitiosius, ardentius solent, minusque quam viri, ubi de religione agitur, adductas in contrarium rationes admittunt (*Calm.*); sunt insuper blandiloquae, pertinaces; quare magna astutia Iudaei earum opera et studio utebantur cum successu quem volebant, *et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam et eiecerunt eos de finibus suis;* primam iam experitur Paulus persecutionem a Iudaeis motam; merito de iis scribit : nos persecuti sunt, Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur prohibentes nos gentibus loqui (1 Thess. 2, 15. 16). Verum expulsi mandatum Domini observant v. 51 *at illi excusso pulvere pedum in eos,* vide ad Matth. 10,14. Marc. 6,11. Luc. 9,5; « hoc terribile illud fecerunt, quod iusserat Christus » (*Chr.*), *venerunt Iconium,* in Lycaonia, hodie Konia vocatur; erat antea provinciae Phrygiae urbs, πόλις ἐσχάτη τῆς Φρυγίας (Xenoph. Anab. 1,2,19; *Beel. Bl.*); oppidum πολίχνιον vocat Strabo (12,6,1 al. p. 568 vel 853), bene habitatum et in regione fertiliore aliis Lycaoniae partibus situm. Tempore Plinii caput erat tetrarchiae civitatum quattuordecim; « datur et tetrarchia ex Lycaonia, qua parte Galatiae contermina est civitatium 14, urbe celeberrima Iconio » (n. h. 5,25).

Qua tamen persecutione neo-christiani minime animos desponderunt; verum probe edocti de iis quae Christus suis praedixerat suoque exemplo ostenderat, in ipsis persecutionibus vident exhiberi

documentum veritatis, v. 52 *discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto;* « magistri aerumna discipuli fiduciam alacritatemque non tollit, sed animosiorem illum facit » (*Chr.*); « in graeco habetur : *discipuli autem*, ut intelligamus Iudaeis fidem persequentibus discipulos e contrario spiritali gaudio ditatos » (*Bed.;* habent οἱ δὲ ℵ C D L P al.).

In hac parte critici offenduntur pluribus. Ita *Hilg.* non intelligit, quomodo multis Iudaeorum credentibus (v. 43) apostoli dicere possint Iudaeis: repellitis illud (v. 46); idem non capit quomodo gaudium gentium sequi possit ex illo Isaiae loco, sed v. 48 necessario adnecti debere ad v. 44 immediate; quare v. 45-47 perperam inseri contendit. Item *Spitta, Clemen, Jüngst* v. 44-47 ex alio fonte addi volunt et *Clemen* ibi suum « redactorem antiiudaicum » reperit. Pariter censet *Hilg.* a tali redactore antiiudaico addi v. 50. 51; nam quae dicantur v. 52 solum posse pertinere ad v. 48. 49; quomodo enim discipuli possent gaudere de persecutionibus? Insuper de persecutione Antiochiae ipse Paulus testatur 2 Tim. 3,11. Verum alia quoque frustra proferri et plane immerito fidem rerum narratarum negari certum est. Etsi enim multi Iudaeorum Antiochiae fidem susceperint, certe non sequitur iam falsum esse alios multos evangelium repellere, idque propterea quia gentes sibi pares haberentur. Eam fuisse indolem Iudaeorum multis constat; vide 15,2 et epistolam ad Gal. et explicitum eius rei testimonium ab ipso Paulo iam supra adduxi 1 Thess. 2,16. Quomodo autem discipuli gaudere possint de persecutionibus, et aliis facile declaratur et habetur 1 Thess. 1,6 : excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti. Bene notat *Bl.* ad v. 52 : status rerum quem auctor relinquit describitur, ut 6,7 al. — Vere miraberis, cur gaudium gentium secundum *Hilg.* non possit referri ad v. 46-47, sed cur iungi *debeat :* fere universa civitas convenit audire Paulum, audientes autem gentes gavisae sunt. At aliis missis solum perpende, in nostro textu optimam reddi rationem cur gaudeant; apud *Hilg.* nullam. Habes specimen critices sublimioris quam vocant, et quam aliqui tanti aestimant, ut eam negligere facile interpreti catholico reprehensioni vertant!

d) Quae Iconii gesta sint 14,1-6.

14,1. Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Iudaeorum, et loquerentur, ita ut crederet Iudaeorum et Graecorum copiosa multitudo. 2. Qui vero increduli fuerunt Iudaei, suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Do-

14,1. Ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ εἰσελθεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων, καὶ λαλῆσαι οὕτως ὥστε πιστεῦσαι Ἰουδαίων τε καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος. 2. οἱ δὲ ἀπειθήσαντες Ἰουδαῖοι ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν. 3. ἱκανὸν μὲν οὖν χρόνον διέτριψαν παρρησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ Κυ-

mino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4. Divisa est autem multitudo civitatis; et quidam quidem erant cum Iudaeis, quidam vero cum apostolis. 5. Quum autem factus esset impetus gentilium et Iudaeorum cum principibus suis ut contumeliis afficerent et lapidarent eos, 6. Intelligentes, confugerunt ad civitates Lycaoniae, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem; et ibi evangelizantes erant.

ρίῳ τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, διδόντι σημεῖα καὶ τέρατα γίνεσθαι διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν. 4. ἐσχίσθη δὲ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως· καὶ οἱ μὲν ἦσαν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις, οἱ δὲ σὺν τοῖς ἀποστόλοις. 5. Ὡς δὲ ἐγένετο ὁρμὴ τῶν ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων σὺν τοῖς ἄρχουσιν αὐτῶν ὑβρίσαι καὶ λιθοβολῆσαι αὐτούς, 6. συνιδόντες κατέφυγον εἰς τὰς πόλεις τῆς Λυκαονίας, Λύστραν καὶ Δέρβην, καὶ τὴν περίχωρον, κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι.

In v. 2 D οι δε αρχισυναγωγοι των ιουδαιων και οι αρχοντες της συναγωγης επηγαγον αυτοις διωγμον κατα των δικαιων; sim ph (marg); in fine add gig Dominus autem cito dedit pacem; item D E ph (marg) demid Bed. In v. 4 D ην δε εσχισμενον, et in fine D κολλωμενοι δια τον λογον του θεου, item ph (marg). In v. 5. 6 ita ph (marg) : et iterum excitaverunt persecutionem secundo Iudaei cum gentibus et lapidantes eos eduxerunt eos ex civitate et fugientes pervenerunt in Lycaoniam, in civitatem quandam quae vocatur Lystra, et Derben; aliqua etiam in fl habentur, cuius hic incipit novum fragmentum (*Bl.*).

Quae Antiochiae evenerant, simili modo Iconii contingunt; v. 1 *factum est autem Iconii, ut simul introirent*, gig similiter, ita recte verti κατὰ τὸ αὐτό contendunt aliqui (*Bl.* cf. Luc. 17,30, Act. 18,2), dum alii *simul* esse retinendum censent (*Beel. Felt. Wendt*) et κατὰ τὸ αὐτό ea notione habetur 1 Reg. 11,11 LXX; sed prior notio et verbis respondere videtur et satis confirmatur Luc. 17,30 (vulg. secundum haec) et hoc loco melius convenit, ut dicatur eos secundum idem vel similiter i. e. secundum consuetudinem quam Antiochiae observabant, ingressos esse synagogam. Parum enim refert narrari eos simul introisse *in synagogam Iudaeorum et loquerentur ita ut crederet Iudaeorum et Graecorum copiosa multitudo;* nomine Ἑλλήνων designari proselytos aliqui dicunt (*Beel. Felt. Wendt, Salm.* forte ait) etiam ideo quia gentiles in v. 2 τὰ ἔθνη nominentur; alii tamen de gentilibus explicant (*Chr. Lap. Calm. Weiss*). Puto generatim narrari et multos genere Iudaeos et multos genere non-iudaico, alienigenas fidem suscepisse, ut eadem sit oppositio, quae habetur Rom. 1,16, Gal. 3,28. Breviter enim haec perstringuntur, cum iam ex antecedente narratione pateat quem modum observare soliti sint; neque *loqui* ad diem sabbati et ad synagogam restringi debebit, verum praedicatio assidua intelligenda erit, quae pariter ex praecedentibus infertur (13,43. 49). Qua ad antecedentia habitudine etiam suadetur illud κατὰ τὸ αὐτό, uti dixi, explicandum esse *de more*, ut

quid facere soliti sint dicatur; nam graviores illae turbae, de quibus in v. 2. refertur, non una eorum concione excitatae sunt, et πολὺ πλῆθος credentium etiam longius insinuat tempus.

Uti 13,45, Iudaei iterum obstacula evangelio obiicere sedulo student; v. 2 *qui vero increduli fuerunt Iudaei* οἱ δὲ ἀπειθήσαντες qui non obediebant, fidem enim per obedientiam apostolus describit (cf. Rom. 1,5; 11,31 gr. 15,31 gr. Hebr. 4,18 gr. etc.); ea enim captivatur intellectus in obsequium εἰς τὴν ὑπακοὴν Christi (2 Cor. 10,5), *suscitaverunt et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres* i. e. Christifideles, ἐκάκωσαν exacerbarunt, uti Ps. 105, 32 LXX; in altero textu archisynagogi et principes Iudaeorum auctores perturbationis et vexationis nominantur, idem in nostro textu postea in v. 5 effertur et fere per se intelligitur Iudaeorum nobiles et auctoritate valentes primas egisse partes. Verum eorum conatus haud multum effecisse, ita uti apostoli non a munere impedirentur, colligitur ex v. 3 et explicite statuitur in altero textu : Dominus autem cito dedit pacem (gig) et *Beda* scribit : quod in graeco sequitur : Deus autem pacem fecit, quidam codices latini minus habent. Sed correctiones romanae ferunt : non subiicias : Deus autem pacem fecit.

Contra inimicorum Christi molimina praeclariore modo virtus Dei eminebat v. 3 *multo igitur tempore* μὲν οὖν plerumque hae voces transitioni inserviunt; accuratius ita notio exhibetur, ut μὲν rem praesentem confirmet, οὖν autem conclusionem ex rebus ita comparatis conficiat, ut proprie latinis particulis *quidem igitur, sane igitur, profecto igitur* respondeat (*Klotz,* Devar. I p. 125; II p. 663) *demorati sunt fiducialiter agentes* omni libertate; cf. 13,46 *in Domino* ἐπὶ τῷ Κυρίῳ eius scil. ope suffulti, in ipso confidentiam suam collocantes, *testimonium perhibente verbo gratiae suae,* ipse Dominus verbo, nuntio de gratia sua testimonium perhibebat, evangelium gratiae suae (20,24) confirmabat signis, *dante signa et prodigia fieri per manus eorum;* cf. 2,43; 5,12. Proinde impletur promissio Christi Marc. 16,17. 20. Neque tamen oppugnatio Iudaeorum et eorum in reliquos cives actio contra apostolos cessabat v. 4 *divisa est autem multitudo civitatis et quidam quidem erant cum Iudaeis, quidam vero cum apostolis,* οἱ μὲν, οἱ δὲ, alii — alii. Hoc loco et in v. 13 Paulus et Barnabas dicuntur apostoli; quod nomen alias in Act. iis non inditur, sed prioribus solum Christi apostolis. Unde aliqui volunt haberi hic certum indicium alterius fontis ex quo haec sint deprompta. Id tamen subtilius videtur excogitatum esse. Suppone etenim, noluise scriptorem semper duo illa repetere nomina : Paulus et Barnabas, qualem itaque designationem seliget? nonne illam, quae ei ex 13,4 quam proxime imponitur? nonne

eam quam Paulus constanter sibi adscribit, quam ipse Christus loquens ad Paulum insinuat: vade, quoniam ego in nationes longe ἐξαποστελῶ σε. Sed cur hoc solum capite? Profecto ante cap. 13 nulla erat eius nominis occasio; 13,4 tandem mittuntur a Spiritu sancto; dein plerumque de uno Paulo fit mentio; cap. 15 sermo fit de apostolis in Ierusalem, ad quos Paulus mittitur; mox Barnabas a Paulo discessit (15,39); unde uni vel duobus indere nomen apostoli iam non offerebatur necessitas.

Quanta cum constantia Iudaei obnixi sint praedicationi excitantes quoque gentes ex iterata persecutione apparet (vide lect. var.) v. 5 *cum autem factus esset impetus gentilium et Iudaeorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos*, apostoli de aggressione hac et de eorum proposito ac consilio edocti sese periculo mortis fuga subducunt, conscii opus illud ad quod vocati sint nondum esse impletum, v. 6 *intelligentes* fieri scil. impetum, ut lapidarentur, *confugerunt ad civitates Lycaoniae, Lystram et Derben et universam in circuitu regionem et ibi evangelizantes erant;* Lycaoniam a septemtrionibus Galatia, ab ortu Cappadocia, ab occasu Phrygia, a meridie Pisidia et Cilicia terminabant; Lystra in aquilonari Lycaoniae plaga, Derbe in australi posita erat (*Patr.*); unde apparet maiorem Lycaoniae partem praedicatione evangelica esse excultam. Lystrenos Galatiae adscribit Plinius (5,42; cf. 5,25 datur et tetrarchia ex Lycaonia qua parte Galatiae contermina est). De situ Lystrae nunc constat inscriptione ibi inventa; erat oppidum situm ab Iconio meridiem versus prope vicum qui Khatun-Serai vocatur, distans ab Iconio 20 millia metrorum nostrorum (*Bl.*). Derbe in latere Isauriae est proxime adhaerens Cappadociae, ita Strabo (12,6,3; al. 568, al. 853); refertur alteram nominis formam esse Δέλβειαν quod lycaonica in lingua sit iuniperus, ἄρκευθος (*Patr. Bl.*). — Fortasse eo tempore (vel 14,20) iam fidem didicit a Paulo Timotheus lystrenus (16,2), quem filium suum carissimum vocat (1 Tim. 1,18; 2 Tim. 2,1) et Gaius derbeus (20,4).

e) Quae gesta sint Lystris 14,7-19.

14,7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui nunquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret, 9. Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exsilivit, et ambulabat. 10. Turbae autem quum vi-

14,7. Καί τις ἀνὴρ ἐν Λύστροις ἀδύνατος τοῖς ποσὶν ἐκάθητο, χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, ὃς οὐδέποτε περιεπάτησεν. 8. οὗτος ἤκουεν τοῦ Παύλου λαλοῦντος· ὃς ἀτενίσας αὐτῷ, καὶ ἰδὼν ὅτι ἔχει πίστιν τοῦ σωθῆναι, 9. εἶπεν μεγάλῃ φωνῇ, Ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός. καὶ ἥλατο καὶ περιεπάτει. 10.

dissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes : Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Iovem : Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Iovis qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt apostoli Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis, exsilierunt in turbas, clamantes,

14. Et dicentes : Viri, quid haec facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram et mare, et omnia quae in eis sunt : 15. Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra. 17. Et haec dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent.

18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Iudaei; et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. 19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben.

Οἵ τε ὄχλοι ἰδόντες ὃ ἐποίησεν Παῦλος ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν Λυκαονιστὶ λέγοντες, Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς· 11. ἐκάλουν τε τὸν Βαρνάβαν Δία· τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. 12. ὅ τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως ταύρους καὶ στέμματα ἐπὶ τοὺς πυλῶνας ἐνέγκας, σὺν τοῖς ὄχλοις ἤθελεν θύειν. 13. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἀπόστολοι Βαρνάβας καὶ Παῦλος, διαρρήξαντες τὰ ἱμάτια ἑαυτῶν ἐξεπήδησαν εἰς τὸν ὄχλον, κράζοντες,

14. καὶ λέγοντες, Ἄνδρες, τί ταῦτα ποιεῖτε; καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, εὐαγγελιζόμενοι ὑμᾶς ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ Θεὸν ζῶντα, ὃς ἐποίησεν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς· 15. ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασεν πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν· 16. καίτοι οὐκ ἀμάρτυρον αὐτὸν ἀφῆκεν, ἀγαθουργῶν, οὐρανόθεν ὑμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ὑμῶν. 17. καὶ ταῦτα λέγοντες, μόλις κατέπαυσαν τοὺς ὄχλους τοῦ μὴ θύειν αὐτοῖς.

18. Ἐπῆλθον δὲ ἀπὸ Ἀντιοχείας καὶ Ἰκονίου Ἰουδαῖοι, καὶ πείσαντες τοὺς ὄχλους, καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, ἔσυρον ἔξω τῆς πόλεως, νομίζοντες αὐτὸν τεθνηκέναι. 19. κυκλωσάντων δὲ τῶν μαθητῶν αὐτὸν ἀναστὰς εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν· καὶ τῇ ἐπαύριον ἐξῆλθεν σὺν τῷ Βαρνάβᾳ εἰς Δέρβην.

In v. 8 gig hic cum audisset Paulum loquentem credidit; quem cum intendisset Paulus et vidisset etc. add D υπαρχων εν φοβω; fl hic libenter audivit Paulum. In v. 10 σοι λεγω εν τω ονοματι του κυριου (ημων) ιησου χρ CDE aliq minusc fl cat sah syr ph (mg) arm Theoph Bed, et D ph (mg) add και περιπατει, ευθεως παραχρημα. In v. 12 D 96 οι δε ιερεις, gig sacerdotes. In v. 14 D Ir ευαγγελιζομενοι υμιν τον θεον οπως απο τουτων etc. επιστρεψητε επι τον ποιησαντα. In v. 16 pler υμιν, υμων. In v. 17 C mu minusc cat ph (mg) arm add αλλα πορευεσθαι εκαστον εις τα ιδια. In v. 18 CDE fl mu minusc ph (mg) arm διατριβοντων δε αυτων και διδασκοντων επηλθον, sim Bed ex gr. et Cassiod; D ph (mg) fl τινες ιουδαιοι απο ικ. κ. αντ. C aliq minusc fl ph (mg) arm και διαλεγομενων αυτων παρρησια επεισαν τους οχλους αποστηναι απ αυτων οτι ουδεν αληθες λεγουσιν αλλα παντα ψευδονται. In v. 19 fl tum circumdederunt eum discentes et cum discessisset populus vespere, sim sah.

Unum iam exemplum signorum (v. 3) nobis refertur. Narratio haec

de claudo sanato habet aliquam similitudinem cum illa 3,2; uterque claudus ex utero matris dicitur, in utrumque ἀτενίσας apostolus; uterque sanatus exsilivit et ambulabat. Verum haec tam obvia sunt tamque fere necessaria, ut in unaquaque sanatione claudi reperiantur. Reliqua autem omnia in utraque narratione plane sunt alia. Unde patet frustra aliquos contendere (*Baur, Zeller, Overb.*) hanc narrationem secundum illam priorem esse confictam, ut Paulo quoque idem miraculum gloriae vertatur, quod in Petri laudem narratum sit. Porro adverte ipsum Paulum profiteri signa et prodigia suae praedicationi adfuisse (Rom. 15,19. 2 Cor. 12,12). Quid igitur cavillandum est, si Lucas unum alterumve ex multis narrat? v. 7 *et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat,* ad mendicandum, putant aliqui; ex narratione id non sequitur; potius ex ἤκουεν v. 8 innuitur eum constanter sedisse audientem sermones Pauli; iusuper (in D, fl) designatur vir timens Deum, *claudus ex utero matris suae qui nunquam ambulaverat;* infirmitas cum epitasi effertur, quo subitanea sanatio praeclarius indicetur; v. 8 *hic audivit* ἤκουεν audiebat, proin frequenter, diutius, *Paulum loquentem,* et credidit (gig); *qui intuens eum* ἀτενίσας *et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret,* attende discrimina a narratione 3,2 : hic audiebat praedicationem evangelii, fide concepta sanatur; apud illum nulla praedicatio, ne cogitatio quidem de sanatione! v. 9 *dixit magna voce,* ut alii quoque miraculum statim agnoscentes animos aperirent evangelio, *surge super pedes tuos rectus; et exsilivit et ambulabat* ἥλατο, περιεπάτει, bene distinguuntur tempora: prae gaudio facit unum saltum et dein perambulat quantum et quoties libet, « perfectae sanitatis signum erat quod ambularet » (*Chr.*).

Secundum complures testes Paulus prolato nomine Iesu sanationem effecit (vide lect. var.). Sed plebis opinio facilius intelligitur ex textu nostro, ubi tacito nomine quasi propria potestate utens iubet claudum surgere; v. 10 *turbae autem cum vidissent quod fecerat Paulus levaverunt vocem suam lycaonice dicentes : dii similes facti hominibus descenderunt ad nos;* in magna admiratione, sicut generatim in quovis vehementiore affectu homines nativa sua dialecto uti solent; graeca lingua per Asiam in usu erat, sed praeter eam etiam linguae nativae populares remanebant, uti inscriptiones quoque bilingues lyciae aliaeque testantur (cf. *Lassen* in Zeitschrift der deutschen morgenl. Gesellschaft 1856 p. 329 seq.); similiter Hieronymus Galatas uti lingua graeca et sua propria affirmat (in Gal. prooem. *M.* 26,357). De ipsa lingua lycaonica nihil scimus; *Lassen* eam opinatur similem linguae Cappadociae, quam linguae Persarum cognatam dicit (l. c. p. 377. 378). Miraculum sanationis eos de virtute divina admonuit;

unde deos assumpta specie humana ad se descendisse admirabundi clamant. Vigebat fortasse memoria fabulae de Philemone et Baucide, quae ad Phrygiam ipsa pertinet (*Ovidius,* Metam. 8,625) et generatim veteres credebant deos saepius forma humana sese mortalibus ostendisse (varia afferunt *Beel. Lap.* et praesertim *Wetst.*). Apostolos linguam lycaonicam non intellexisse, merito ex narratione colligit *Chr.* : « sua voce loquebantur, dicentes : dii etc.; ideo nihil iis dicebant »; et *Patr.* bene exponit : « cur Lucas id annotaverit, Lystrenos lycaonice locutos esse ea quae ipse refert, facile sentias causam hanc fuisse, ne quis forte illud miraretur, quod Paulus et Barnabas auditis talibus populi acclamationibus has non statim aversati sint, nec compescere studuerint, sed siverint rem eo progredi, donec hostiae ipsis mactandae adducerentur. Nimirum ipsi cum verba facerent, graeco sermone procul dubio utebantur, lycaonice nesciebant; hinc quid Lystreni acclamarent, intelligere haud potuerunt. Enimvero ut compertum habuere quid ageretur v. 13, illico non : *quid haec dicitis ?* sed : *quid haec facitis?* exclamarunt ». Ne tibi de dono linguarum in mentem veniat, recole 1 Cor. 14,2 seq.

Dum Lystreni istis aliisque exclamationibus suum declararent stuporem, apostoli domum se receperunt (cf. v. 12); Lystreni autem et nomina deorum iis indunt v. 11 *et vocabant Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi;* « opinor autem aspectu venerabilem fuisse Barnabam » (*Chr.* ἀπὸ τῆς ὄψεως ἀξιοπρεπής); ob hoc videlicet eum vocabant Iovem, quia prior eorum esse videretur (*Beda*). Barnabas erat fortasse corpore procerior, Paulus enim in apocryphis Actis Pauli et Theclae 3 describitur : μικρὸς τῷ μεγέθει, ψιλὸς τὴν κεφαλήν etc. Iovem autem Mercurius comitari solebat; insuper ratio nominis valida affertur; nam Mercurius est ὁ τοῦ λόγου ἡγεμών (Iamblichus), eum vocat *Nonnus* γλώσσης ἡγεμονῆα σοφῆς ἰθύντορα φωνῆς; notum est illud Horatii : Mercuri, facunde nepos Atlantis (lib. I od. 10,1; vide plura apud *Wetst.*) Mirantur aliqui plebem de diis cogitasse; potius debuisse cogitare de magis, de daemoniis, et inde quoque fidem narrationis convellere student (*Baur, Zeller, Overb., Wendt*). Sed nunc rem videbant a praestigiis magorum plane diversam et eorum artibus longissime superiorem; quare si magicis artificiis assueti erant, debebant nunc virtutem agnoscere sublimiorem, infinito intervallo illa superantem. Quare Lucam haec addidisse de suo, quia incertum acceperit rumorem de divina veneratione iis exhibita (*Wendt*), dici nequit.

Veneraturi igitur deos sacrificium parant v. 12 *sacerdos quoque Iovis qui erat ante civitatem* τοῦ ὄντος, Iupiter in suburbio templum

habebat, unde ipsum numen quod in templo habitans censetur, ante urbem esse dicitur, erat itaque Ζεὺς πρόπυλος (*Beel.*) et πολιοῦχος numen tutelare urbis; quia itaque Iovem colebant urbis custodem et conservatorem, eo facilius in illo miraculo ipsum deum sese sistere cum Mercurio, socio ac praecone, existimare poterant, *tauros ac coronas ante ianuas afferens;* nam « taurus tibi, summe deorum » (*Ovid.* Metam. 4,755); « ipsae fores et ipsae hostiae et arae, ipsi ministri et sacerdotes eorum coronantur » (*Tertull.* de corona 10; *M.* 2,91); ἐπὶ τοὺς πυλῶνας vestibuli scil. aedium in quibus Paulus et Barnabas diversabantur (*Lap. Beel. Patr. Felt.*); de voce cf. 10,17; 12,13; « πύλαι non sunt nisi oppidorum, palatiorum, similium; at πυλῶνες cuiusvis domus; pluralis structuram maiorem denotat » (*Bl.*). Intelligi vestibulum domus, patet ex v. 13 *exsilierunt,* et si iis immolare volebant, profecto non ad alium locum tendebant, sed eo, ubi apostoli erant. Quare non porta urbis (*Wendt*), multo minus porta templi Iovis (*Weiss*) intelligi potest; quomodo enim ante urbem, vel ante templum extra urbem offerrent sacrificium diis quos in ipsa urbe in aliqua domo praesentes esse credebant? Et quomodo, si alibi offerrent, apostoli statim cognoscerent sibi parari sacrificium?

Advenit itaque sacerdos cum turbis : *cum populis volebat sacrificare;* v. 13 *quod ubi audierunt apostoli,* « haec necessario non statim post miraculum illud facta, sed tempore aliquo interiecto, et redierant iam apostoli in hospitium suum » (*Bl.*); rumor enim debuit spargi, afferri ad Iovis sacerdotem, victimas, coronas parari; interea etiam *audierunt* re sibi, cum domi essent nuntiata; nisi enim domi tunc essent, quod agebatur ipsi *vidissent* (*Patr.*) vel certe debet supponi ab uno alterove Lystreno apostolis explicatum esse, quid tandem turbae vociferatae essent et quid apparatus sacrificalis sibi vellet, *Barnabas et Paulus,* ille priore loco, summus scil. deorum existimatus, *conscissis tunicis suis* ad declarandum dolorem maximum et indignationem et luctum, pro more Iudaeorum, *exsilierunt in turbas, clamantes* v. 14 *et dicentes : viri, quid haec facitis?* τί i. e. διὰ τί 1,11; 26,8 al., *et nos mortales sumus similes vobis homines* ὁμοιοπαθεῖς qui eadem vobiscum patimur, easdem affectiones humanas, defectus, necessitates experimur, *annuntiantes vobis ab his vanis* et inanibus diis, quorum nomina vocibus turbarum celebrantur, omnino averti et *converti ad Deum vivum qui fecit coelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt,* en statim indicant ex opere creationis, ex mundo adspectabili posse cognosci Deum vivum (cf. Rom. 1,19. Sap. 13,1-6). Hisce quam maxime declarant tantum abesse, ut

sint ipsi dii, ut veniant ad deos ex mentibus hominum expellendos et ad unum Deum praedicandum, cuius unius potestas ac maiestas eo describitur quia ipse solus cuncta condidit.

Atque istum unum Deum velle iam errorem illum aboleri deorum; v. 15 *qui in praeteritis generationibus dimisit* εἴασεν sivit *omnes gentes ingredi vias suas* ταῖς ὁδοῖς, passus est eas vivere, agere secundum normas et rationes quas ipsae sibi constituissent; illis enim non ita explicite, uti Iudaeis, Deus *suas vias* ob oculos posuit; attamen etiam illis se manifestabat continuo v. 16 *et quidem* καίτοι quamquam *non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra,* ad rem graece : dans *vobis,* corda *vestra;* leniter quidem, sed tamen clare iis dicit ignorantiam Dei iis esse culpae vertendam, idololatriam excusatione carere; semper enim iis in ipsa illa providentia qua cuncta administrantur ad fines necessarios et utiles praesto fuisse testimonium Dei de seipso; illos autem oculos huic testificationi noluisse aperire. Quantopere homines illi in admirationem rapti sint miraculo illo, etiam elucet ex v. 17 *et haec dicentes vix* μόλις difficulter, aegre *sedaverunt turbas ne sibi immolarent.* Summa solum capita orationis tangi probabile est, cum profecto apostolus prosecutus sit quod innuerat in v. 15, *nunc* iam Deum velle modo aperto omnibus se suasque vias manifestare etc.

Uti Lucas in claudo sanato aliquid nobis refert ex initio praedicationis Lystris facta, ita aliud narrat ex fine eiusdem. Nam ex ipsa narratione liquet id non potuisse evenire nisi longiore spatio temporis; id quod in altera lectione etiam explicite dicitur (vide var. lect.). Solum *Hilg.* auctorem ad Theophilum adeo stupidum sibi fingit, ut narret statim post sanationem et sacrificium attentatum advenire Iudaeos, qui continuo populo persuadeant, ut Paulum quem modo deum habebant, lapident — sed ubi in textu reperitur illud *statim, continuo?* Notat *Beda :* in graeco incipit haec narratio : demorantibus eis et docentibus, v. 18 *supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Iudaei;* illis non sufficiebat Paulo molestias creasse in suis urbibus (13,50; 14,2. 5); longum suscipiunt iter, ut apostolos persequantur et prohibeant ne gentibus loquantur; tales apostolus quoque describit 1 Thess. 2,15. 16; distat Antiochia a Lystris fere 170 Kilometr. (*Felt.*) *et persuasis turbis* — aliqua quae utique probabiliter proferre solebant; vide lect. var. — *lapidantesque Paulum traxerunt extra civitatem existimantes eum mortuum esse;* « vere diaboli filii; non in civitatibus modo suis, sed extra illas hoc faciebant et tanto studio curabant praedicationem de medio tollere,

quanto apostoli illam firmare contendebant » (*Chr.*). Paulum Iudaei impetunt, tamquam valentiorem, quem ut apostatam praecipuo odio habebant. Hac lapidatione sane Paulo in memoriam venit alia lapidatio, in qua ipse olim vestes lapidantium custodierat (8,57). Unus *Hilg.* non intelligit, quomodo censeri possint Iudaei ita agere in eum qui honoribus divinis a se repulsis annuntiet gentibus unum Deum! Meminit autem apostolus lapidationis 2 Cor. 11,25 et etiam in fine vitae adhuc recordatur persecutionum, passionum, qualia mihi facta sunt Antiochiae, Iconii et Lystris (2 Tim. 3,11).

Non sine peculiari Dei ope Paulus mortem effugit. Nam postquam eum lapidaverunt (λιθάσαντες), eum traxerunt extra civitatem et lapidatione eum in talem redegerunt statum, ut mortuum crederent; unde Paulus, si non iam exstinctus erat lapidatione, dum per urbem traheretur, periculum mortis maximum obibat et eius ad integram sanitatem restitutio miraculo erit attribuenda v. 19 *circumdantibus autem eum discipulis surgens intravit civitatem*, vespere, postquam turbae abierunt (vide lect. var.) *et* se furori plebis a Iudaeis seductae subducens *postera die profectus est cum Barnaba in Derben,* ubi cum multo fructu munere suo fungebantur v. 20. De situ non inter omnes constat; sunt qui putent fuisse in loco qui hodie vocatur Losta (Zosta) distans a Lystris fere millia metr. 27 inter orientem et meridiem ab illa urbe (*Bl.*), dum *Felt.* distantiam 65 millium metr. assignat; plures opiniones invenies in Dictionnaire de la Bible editore Vigouroux s. v.

f) Redeunt Antiochiam Syriae 14,20-27.

14,20. Quumque evangelizassent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram, et Iconium, et Antiochiam. 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide, et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 22. Et quum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt. 23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam. 24. Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam; 25. Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae Dei in opus quod compleverunt. 26. Quum autem venissent et congregas-

14,20. Εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην, καὶ μαθητεύσαντες ἱκανούς, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Λύστραν καὶ εἰς Ἰκόνιον καὶ Ἀντιόχειαν, 21. ἐπιστηρίζοντες τὰς ψυχὰς τῶν μαθητῶν, παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει, καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. 22. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς κατ' ἐκκλησίαν πρεσβυτέρους, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν. 23. καὶ διελθόντες τὴν Πισιδίαν, ἦλθαν εἰς τὴν Παμφυλίαν· 24. καὶ λαλήσαντες ἐν Πέργῃ τὸν λόγον, κατέβησαν εἰς Ἀτταλίαν· 25. κἀκεῖθεν ἀπέπλευσαν εἰς Ἀντιόχειαν, ὅθεν ἦσαν παραδεδομένοι τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν. 26. παραγενόμενοι δὲ καὶ συναγαγόντες τὴν

sent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei. 27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

ἐκκλησίαν, ἀνήγγελλον ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ' αὐτῶν, καὶ ὅτι ἤνοιξεν τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως. 27. διέτριβον δὲ χρόνον οὐκ ὀλίγον σὺν τοῖς μαθηταῖς.

In v. 24 add in fine D 137 ευαγγελιζομενοι αυτους; item pli c*. In v. 26 ανηγγελλον ℵABC aliq minusc; ανηγγειλαν HLP al pler Bas Chr; gig quae fecit Deus cum animabus eorum.

Lystrenos reliquit Paulus et dans illis respirandi locum exiit in Derben (*Chr.*), ibi diutius versabantur v. 20 *cumque evangelizassent civitati illi et docuissent multos,* fecissent multos discipulos, *reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam;* quamvis ibi vexationes experti essent, tamen in easdem urbes revertuntur; nam bono fidelium id postulabatur. Poterant quoque confidere quod diuturnitate temporis furor popularis esset sedatus; ope divina freti sine ulla trepidatione id aggrediuntur, quod ad firmiter constituendos coetus fidelium erat necessarium; v. 21 *confirmantes animas discipulorum exhortantesque ut permanerent in fide;* dein explicite inculcant illud, quod ad removendam offensionem plane dicere oportebat : *et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei;* id apostolus docebat alias quoque : nam et cum apud vos essemus praedicebamus vobis passuros nos tribulationes; et scitis quod in hoc positi sumus (1 Thess. 3,3. 4). Neque enim est discipulus super magistrum, et si me persecuti sunt et vos persequentur, ait Christus (Ioan. 15, 20). Necesse erat apprime haec Christi effata de sorte suorum fideles docere, ne perturbarentur videntes Deum permittere, ut sui affligerentur, quasi non satis regnum Filii sui protegeret ac promoveret vel ac si Christus non vera polleret potestate ad coercendos hostes.

Praeter ampliorem in doctrina institutionem necesse erat constituere qui cultum divinum peragerent et coetum fidelium legitima potestate regerent. Id fecerunt apostoli eligentes et consecrantes presbyteros; v. 22 *et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt,* χειροτονήσαντες i. e. postquam elegerunt, vel designarunt (*Bl.*), χειροτονεῖν proprie est manum extendere, sed adhibetur etiam apud profanos non pro simplici extensione manus, sed pro notione manum extendendo, porrigendo eligendi, dandi suffragium; unde simpliciter significat *eligere* (cf. *Grimm,* Lex. *Wendt, Bl. Pape,* Lex. etc.). Quandoque acatholici verbo notionem attribuebant iubendi populum inire suffragia, dirigendi electionem; verum id plane falsum esse hodie concedunt et probant (cf. *Wendt*).

Qui eligunt, apostoli sunt; si Lucas electionem per suffragia populi indicare voluissent, ipsi populo, non vero Paulo et Barnabae, illud χειροτονεῖν tribuisset (*Beel. Patr.*). Elegerunt presbyteros[1], qui scil. munere absentium apostolorum fungerentur in doctrina, cultu divino, regimine; cf. 20,17. 28. Quomodo vero electionem fecerint, describitur προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν; proin eodem modo, uti 13,3 cum oratione et ieiunio. Proinde sacra electio, ordinatio quae dicitur, intelligenda erit, χειροτονία μετὰ νηστειῶν (*Chr. Oec. Theoph. Salm. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt.*).

Quaerunt, quomodo προσευξάμενοι iungatur, an pertineat ad χειροτονήσαντες, vel ad παρέθεντο. Ad utrumque verbum alio in loco refert *Ch.;* quod utique fieri nequit; ad παρέθεντο pertinere volunt *Wendt, Weiss.* At bene advertit *Beel.* sine copula iungi προσευξάμενοι, « qua structura significatur ea quae hic dicuntur eodem temporis spatio peracta fuisse, ut adeo sensus sit : et quum Paulus et Barnabas novellis Christianis per singulas ecclesias inter preces et ieiunia per impositionem manuum presbyteros creassent, utrisque, et novellis Christianis et sacris ministris recens constitutis valedixerunt commendantes illos Domino ». Et ita esse iungendum patet quoque ex *ieiunationibus,* quas in electione sacra adhiberi et facile intelligitur et exemplo probatur 13,3; sed ad valedicendum alteri et ad iter instituendum quis adhibebit ieiunia? in ea occasione convivia instituere hominum consuetudo fert et sana suadet ratio et ipsae sacrae litterae produnt (Iud. 19,5. 8. Act. 1,4).

Porro describitur reditus v. 23 *transeuntesque Pisidiam* scil. ab Antiochia Pisidiae 13,14, *venerunt in Pamphyliam,* v. 24 *et loquentes verbum Domini in Perge* λαλήσαντες postquam locuti sunt; vide 13,13 *descenderunt in Attaliam,* in urbem littoralem eiusdem provinciae; urbs nomen habet ab Attalo Philadelpho conditore (*Strabo* 14,4,1; al. 667. 983); vocatur hodie Adalia, posita ad ostia Katarrhactis fluvii; ibi quoque praedicasse eos legitur apud aliquos testes (lect. var.); v. 25 *et inde navigaverunt Antiochiam* Syriae 13,1, *unde erant traditi gratiae Dei in opus quod compleverunt;* proinde commendati benigno Dei favori, cuius opem et gratiam reliqui implorabant pro opere ipsis commisso, profecti erant ab Antiochia. Iam reduces narrant quantam Dei opem et gratiam experti sint v. 26 *cum autem venissent et congregassent ecclesiam* coetum fidelium, *retulerunt quanta fecisset Deus cum illis,* illis assistens, eorum opera utens, Deus erat cum eis 10,38; cf. Matth. 28,20; Marc. 16,20 Domino cooperante,

1. In aliquibus papyris ex Fayum nuper inventis hoc nomen dicitur de sacerdotibus (Revue biblique 1898 p. 481).

1 Cor. 3,9 Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί, *et quia aperuisset gentibus ianuam fidei;* habes ipsa Pauli verba et modum loquendi 1 Cor. 16,9. 2 Cor. 2,12. Col. 4,3. Narrant itaque qualem successum evangelium inter gentes habuerit. Miram hic experitur *Hilg.* difficultatem : « quomodo id illos narrantes facere potest scriptor, inquit, qui iam 11,18 retulit a coetu fidelium in Ierusalem agnitum esse etiam gentibus dedisse Deum poenitentiam ad vitam; insuper deest notitia de illa centurionis conversione per Petrum facta ». Inde concludit ad alium narrationis fontem. Sed gentiles in Lycaonia assumpsisse evangelium est tamen etiam post 11,18 aliquid *novi,* quod Antiochiae narrari potuit et quidem nulla mentione facta centurionis, de quo Antiocheni probabilissime nihil sciebant; v. 27 *morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis* Antiochiae. Quantum temporis insumptum sit, ex istis loquendi modis adeo indeterminatis (cf. 13,48; 14,3. 6. 20. 24. 27) dici nequit. Statuit quidem *Patr.* a 12,3 usque ad 15,6 spatium annorum quinque et aliquot mensium et conventum hierosolymitanum attribuit anno 47. Certum videtur id solum eum conventum habitum esse anno 17 post Pauli conversionem (cf. Gal. 1,18; 2,1).

2. *Disquisitio de legalibus* 15,1-34.

Cum Iudaeo-christiani quidam Antiochiae docerent circumcisionem esse ad salutem necessariam, quaestio defertur ad apostolos et presbyteros in Ierusalem. In publico ecclesiae conventu Paulus et Barnabas narrant de evangelii inter gentes propagatione; verum pharisaeorum quidam postulant exigendam esse ab iis observationem legis. In privato apostolorum et presbyterorum conventu quaestio deciditur, gentes non esse ad eam adigendas-deciditur eo modo quo Paulus narrat Gal. 2,6-9. — Quod cum in publico ecclesiae conventu annuntiatum esset et iudaizantes reclamarent, Petrus oratione sua animos pacavit; Barnabas et Paulus rebus gestis probant sine lege gentes a Deo gratiis donari et Iacobus conciliationis modum proponit quo consuetudo ac commercium inter utrosque institui commode possit. Ea igitur ratione conficitur ab apostolis et presbyteris decretum, quo gentes ad legis observantiam nullatenus adiguntur, ea tamen vitare iubentur quae maiori erant offensioni in moribus gentilium. Quod decretum per aliquos ab apostolis electos mittitur ad ecclesias.

Narratio Act. declaratur et suppletur iis quae Paulus Gal. 2,1 refert. Lucas rem ita exponit tamquam rerum scriptor, ut quae publice gesta sint et ad omnes pertineant maxime respiciat, Paulus autem in sua ad Galatas defensione ea tangit quae ad se potissimum

spectant suumque praedicandi modum apostolis plane probatum esse demonstrant. Quod narrandi discrimen necessario consequitur ex utriusque scriptoris consilio; ex utraque autem narratione historia illius concilii quod dici solet apostolorum integra colligitur. Exponitur primo occasio disquisitionis (15,1-3); dein conventus primus publicus v. 4. 5; conventus alter apostolorum ac seniorum v. 6; conventus tertius iterum publicus v. 7-22, conficitur decretum et mittitur ad ecclesias v. 23 seq. — De tota hac parte cf. *Schenz*, Historisch-exegetische Abhandlung über das Erste allgemeine Concil, 1869; *Thomas*, L'Église et les Judaisants à l'âge apostolique, Revue des questions historiques 1889, II, p. 400-460; *Cornely*, Comment. in 2 Cor. et Gal. p. 419 seq.

a) Quae fuerit causa conventus 15,1-3.

15,1. Et quidam descendentes de Iudaea, docebant fratres : Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. 2. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad apostolos et presbyteros in Ierusalem, super hac quaestione. 3. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phoenicem et Samariam, narrantes conversionem gentium : et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

15,1. Καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας ἐδίδασκον τοὺς ἀδελφοὺς, ὅτι ἐὰν μὴ περιτμηθῆτε τῷ ἔθει τῷ Μωυσέως, οὐ δύνασθε σωθῆναι. 2. γενομένης δὲ στάσεως καὶ ζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτοὺς ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους εἰς Ἰερουσαλὴμ, περὶ τοῦ ζητήματος τούτου. 3. οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, διήρχοντο τὴν Φοινίκην καὶ Σαμάρειαν, ἐκδιηγούμενοι τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐποίουν χαρὰν μεγάλην πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς.

In v. 1 add 8. 137 των πεπιστευκοτων απο της αιρεσεως των φαρισαιων, item ph (mg); porro add D sah ph (mg) και τω εθει μωσεως περιπατητε. In v. 2 D ph (mg) ελεγεν γαρ ο παυλος μενειν ουτως καθως επιστευσαν (hoc gig quoque habet) διισχυριζομενος· οι δε εληλυθοτες απο ιερουσαλημ παρηγγειλαν αυτοις τω παυλω και βαρναβα και τισιν αλλοις αναβαινειν προς τους αποστολους; D 137 οπως κριθωσιν επ αυτοις περι του ζημ.; ph c* id ponit post περι του ζημ.

Cum Petrus in domum centurionis introisset, expostulaverunt fideles cum eo (11,3). Verum rerum conditione exposita glorificaverunt Deum dicentes : ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad salutem (11,18). Quomodo ergo post talem cognitionem nova exoriri poterat disceptatio? Quod in Cornelio acciderat, singulari Dei ordinatione factum esse ex rebus ipsis gestis videri poterat, unde id non simpliciter ad omnes extendendum esse satis poterat existimari probabile. Porro, cum numerus ethnico-christianorum augeretur, in Iudaeis

necessario oriebatur suspicio fore, ut sua natio plane ab iis obrueretur et nomen celebre Israel multitudine ethnico-fidelium exstingueretur. Unde de eius nomine ac natione conservanda cogitandum esse et ad id enitendum, etiam iis poterat videri necessarium, qui olim Petri narrationi acquieverant. Verum minime omittendum est, a tempore conversionis Cornelii alios quoque multos in urbe accessisse ad fideles, sacerdotes, pharisaeos, aemulatores legis, qui gentes simpliciter admitti posse non sibi persuadebant. Pro qua opinione provocare poterant ad verba Christi : non veni solvere legem; iota unum aut unus apex non praeteribit a lege; non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus etc. Et praeterea de ea quaestione, possentne gentes admitti ad populum Dei et regnum messianum sine legis mosaicae observatione Christus nihil declaravit; multa autem legis statuta pro tempore aeterno data esse, ipsis verbis legis suadebatur. Unde ex vanitate nationali, ex legis verbis, ex plurimis illis legis aemulatoribus qui post conversionem Cornelii ad ecclesiam accesserant facillime explicatur origo disceptationis de legalibus. Ad accessum illorum aemulatorum legis etiam *Weizs.* merito quaestionem refert (p. 154). Et de iis Paulus valde severe loquitur Gal. 2,4 eos vocans subintroductos falsos fratres qui subintroierunt, ut nos in servitutem redigerent. Quare mirum est quomodo *Hilg.* quaerat: quomodo quaestio haec de admissione gentium sine circumcisione deferri poterat ad forum apostolorum, si offensio illa iam dudum erat remota per Petrum et per fideles (11,3. 18)? unde clarum esse putat, eum qui de hac quaestione scripserit 15,1 seq. nihil scivisse de conversione Cornelii et de iis quae ex ea consecuta esse supra narratum sit. Quasi per tot annos semper iidem in urbe fuerint fideles, nemo accesserit, nemo rerum conditionem esse mutatam putaverit.

In Ierusalem eiusmodi aemulatores legis fuisse, ex Gal. 2,4. 5 constat[1]. Eos etiam in Antiochiam pervenisse, etiam iam ex epistola ad Galatas colligi potest. Cum enim apostolus dicat se secundum revelationem Antiochiae acceptam ascendisse in urbem, eo ipso turbationes Antiochiae factas indicat; sed per quos illae fiebant nisi per eos qui

1. Oportet attendere quam arcte haec tota narratio cohaereat cum illa Gal. 2,1 seq. et quomodo hae duae narrationes inter se illustrent, explicent, suppleant. Nuper enim non dubitavit vir doctus negare Gal. 2,1 referri posse ad Act. 15,1 seq.; immo eam sententiam plane erroneam esse contendit (cf. Katholik 1898 I p. 426. 428). Ipse Gal. 2 refert ad Act. 11,30; id quod perperam fieri iam eo ostenditur quia ibi Paulus non cum apostolis, sed solum cum presbyteris convenisse et egisse perhibetur; nam si adsunt apostoli, in Act. etiam nominantur simul cum presbyteris (senioribus); ita 15,4. 6. 22. 23. (41); 16,4; unde merito concluditur, si solum presbyteri (seniores) commemorantur, apostolos ne adfuisse quidem.

subintroierunt ad evertendam libertatem (Gal. 2,4). Insuper etiam postea eiusmodi aemulatores legis venerunt Antiochiam (Gal. 2,12). Quare narratio Gal. 2,1 suppletur et declaratur, cum legamus v. 1 *et quidam descendentes de Iudaea docebant fratres : quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari;* Antiochiam pergunt quia ibi potissimum ecclesia est ex gentibus collecta, uti patet iam ex 11,20. 21. 24-26; ibi quoque versabatur Paulus, quem sciebant praedicare evangelium gentibus sine circumcisione. Optime noverunt Paulus et Barnabas eorum contentionem et plane falsam esse et insuper maxime nocivam propagationi evangelii, immo eam fere destruere. Tali itaque errori resistendum erat omni conatu; v. 2 *facta ergo seditione non minima,* seditione et quaestione non minima (gig) *Paulo et Barnabae adversus illos;* attende epitasin, qua eos restitisse et iudaizantes oppugnasse effertur, etiam dictione οὐκ ὀλίγης (litotes); declaratur id explicatius lectione altera : Paulus omni constantia dicebat ut maneant in eo in quo fidem susceperint; proin docebat quod 1 Cor. 7,18 scripsit : in praeputio aliquis vocatus est, non circumcidatur. Cur? hoc exponit Gal. 2,16 seq. 5,2. Isti iudaizantes provocabant ad apostolos in Ierusalem; eos provocasse apparet ex modo quo Paulus loquitur (Gal. 2,2. 6. 9 docens eos ipsos quorum summam auctoritatem illi iactabant secum plane consentire), et apparet ex Gal. 2,12; falso provocasse, ipsi demum apostoli declarant 15,24.

Cum igitur insisterent auctoritati apostolorum in urbe qui utique inter Iudaeos et ipsi legalia observabant, nulla alia relinquebatur via ad disceptationem finiendam, nisi ut quaestio haec ipsis proponeretur. Et fideles antiochenos id desiderasse, ut a molestis illis monitoribus et eorum postulationibus liberarentur et ad silentium illi adigerentur auctoritate illa quam pro se protenderent, profecto re ipsa consequitur. Nam, ut iam *Cassiod.* adnotat, eorum consensu i. e. consensu apostolorum, ad quos provocabant, altercatio suborta erat finienda; quare *statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis,* aliqui ex illis (gig) ad *apostolos et presbyteros in Ierusalem super hac quaestione;* ex altera lectione illi qui ab Ierusalem venerant, urgent eos ut ascendant et iudicentur ab apostolis de hac quaestione. Id eos fecisse et revera sperasse fore ut apostoli, qui in urbe ipsi legem servabant, legis observationem commendarent, non est improbabile. Lucas, ut rerum scriptor, id refert, quod publice factum et constitutum est. Paulus qui causam suam agit coram Galatis, id effert quod ad se attinet et quod omnem umbram dubii removet ac si ascendisset quasi de suo agendi docendique modo esset non satis certus; quare ille dicit : ascendi autem secundum revelationem (Gal.

2,2); proin iussus a Spiritu sancto obsequi desiderio et statuto aliorum. Partes utriusque, Lucae et Pauli, non sunt eaedem. Ille scribit historiam, hic non vult nude historiam referre, sed rem gestam certo consilio ad dedocendos Galatas proponere. Unde Lucas narrat : *statuerunt,* Paulus autem rationem affert se obsecutum ex revelatione, non ex dubio de quaestione. Et quam certus fuerit Paulus se recte agere et egisse, etiam eo pandit quod Titum secum adduxerit (cf. Gal. 2,1. 3). — Si legimus *alii ex aliis,* ita possumus interpretari quosdam etiam ex iudaizantibus esse missos, ut ibi suam proponerent causam (*Lap. Beel.*). Ceterum per se patet non omnes iudaizantes ex Ierusalem Antiochiam profectos esse. Unde qui iudaizantium partes agerent in Ierusalem, non deerant, uti apparet ex v. 5. 7 et Gal. 2,4. 5. Sed etiam quosdam ex illis iudaizantibus profectos esse, vel sua sponte, ad rem urgendam nemo negaverit.

Legati Antiochenorum cum honore et sollemni aliquo comitatu profecti sunt v. 3 *illi ergo deducti ab ecclesia* (cf. 20,38; 21,5. 16. Rom. 15,24. 1 Cor. 16,6. 11) *pertransibant Phoenicem et Samariam, narrantes conversionem gentium et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus;* proin in istis regionibus fideles minime erant a partibus iudaistarum illorum. Iter Antiochia Hierosolymam erat 388 millia passuum, quod pedites paucioribus quam quindecim circiter diebus haud facile emetiri poterant (*Patr.*). Apostolos non properasse satis v. 3 indicatur.

b) Conventus triplex et Petri oratio 15,4-12.

15,4. Quum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia et ab apostolis et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. 5. Surrexerunt autem quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes : Quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi.

6. Conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc.

7. Quum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum evangelii et credere. 8. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum sicut et nobis. 9. Et nihil dis-

15,4. Παραγενόμενοι δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα παρεδέχθησαν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, ἀνήγγειλάν τε ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησεν μετ' αὐτῶν. 5. ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες, ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτούς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωυσέως.

6. Συνήχθησάν τε οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου.

7. Πολλῆς δὲ ζητήσεως γενομένης ἀναστὰς Πέτρος εἶπεν πρὸς αὐτούς, Ἄνδρες ἀδελφοί, ὑμεῖς ἐπίστασθε ὅτι ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων ἐν ὑμῖν ἐξελέξατο ὁ Θεὸς διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, καὶ πιστεῦσαι. 8. καὶ ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, δοὺς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, καθὼς καὶ

crevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? 11. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.

12. Tacuit autem omnis multitudo; et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos.

ἡμῖν· 9. καὶ οὐδὲν διέκρινεν μεταξὺ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν, τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν. 10. νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν Θεόν, ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι; 11. ἀλλὰ διὰ τῆς χάριτος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι.

12. Ἐσίγησεν δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ ἤκουον Βαρνάβα καὶ Παύλου ἐξηγουμένων ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς σημεῖα καὶ τέρατα ἐν τοῖς ἔθνεσι δι' αὐτῶν.

In v. 4 excepti sunt (gig) μεγαλως CD 137. sah ph c* Amb. In v. 5 D παραγγειλαντες αυτοις αναβαινειν προς τους πρεσβυτερους εξανεστησαν λεγοντες τινες απο τ. αι. sim ph (mg). In v. 6 137 ph add συν τω πληθει. In v. 7 D* ανεστησεν εν πνευματι (add sancto ph mg); εν υμιν ℵABD minusc mu Ir Chr, gig et cum diu haesitarent. In v. 10 gig quid temptastis Deum. In v. 12 D ph c* συνκατατιθεμενων δε των πρεσβυτερων τοις υπο πετρου ειρημενοις εσιγησεν.

Scribit apostolus : contuli cum illis evangelium quod praedico in gentibus, seorsum autem τοῖς δοκοῦσιν (Gal. 2,2); unde conventum quendam maiorem et conventum illorum solum significat qui erant οἱ δοκοῦντες auctoritate pollentes. Eodemque modo Lucas refert v. 4. 5 de conventu quodam totius ecclesiae, v. 6 de conventu apostolorum et seniorum; nam v. 4 *cum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt*, magnifice, legit *Cassiod.* cum aliquibus (vide lect. var.) et explicat : cum magna gratulatione, *ab ecclesia et ab apostolis et senioribus* (καὶ τῶν πρεσβυτέρων) *annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis;* cf. 14,26. Uti ex Gal. 2,9 apparet, ex apostolis solum aderant Iacobus, frater Domini, Kephas sive Petrus, Ioannes. Lucas refert eorum narrationem in universum : quanta ope Dei effecerint inter gentes; Paulus *suam* agens causam, non generatim cuncta indicat, sed : contuli ἀνεθέμην proposui, exposui evangelium quod praedico in gentibus; proin solum tangit modum suae praedicationis, qui solus apud Galatas ab adversariis impugnabatur. Verum in verbis Lucae pariter includi et designari modum praedicationis, i. e. Paulum declarasse gentes a se susceptas esse sine circumcisione et impositione legis mosaicae, patet ex postulatione quam statim aliqui ex fidelibus proponunt v. 5 *surrexerunt autem quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderunt,* αἵρεσις proprie est actio qua quid capimus, hinc vitae institutum quod cepimus, tum secta (*Patr.*); significatur coetus eorum qui aliquo modo ab aliis seiuncti certas sequuntur sententias, *dicentes : quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare le-*

gem Moysi; ex altera lectione hoc postulant ii iudaistae qui ex Antiochia ascenderant in Ierusalem; eiusmodi adfuisse et simul cum aliis postulasse, nihil habet a veritate alienum. Verum hic quoque observa, velim, modum scribendi historicum Lucae et modum privatum (personalem, si ita loqui fas est) Pauli; ille eos vocat *quosdam* etc., Paulus coram Galatis suam agens causam : subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigerent (Gal. 2,4).

Pharisaei praeprimis erant aemulatores legis, uti ex evangeliis constat et Paulus ipse de se pharisaeo testatur (Gal. 1,14). Et populum quoque studium legis ostendisse v. g. ad ipsius Pilati admirationem exemplum habemus in magno illo hominum agmine, qui humi procumbentes detectis cervicibus profitebantur coram militibus ad caedem infligendam paratis, se longe malle mori quam ut auderent quidquam contra legum sapientiam committere (*Iosephus,* Antiq. 18,3,1). Quod si multi ex plebe tanto zelo legis flagrabant, etiam ex pharisaeis quosdam qui fidem susceperint hanc legem voluisse imponere gentibus non est intellectu difficile. Simul cum illo zelo vanitatem nationalem esse coniunctam, Paulus iis aperte exprobrat (Gal. 6,13) et merito notat *Oec.* eos voluisse ad propriam gloriationem credentes circumcidi. Asserunt *Epiphanius* (haer. 28,2. 4; *M.* 41, 380. 381) et *Philastrius* (haer. 36; M. 12, 1153) et *Salm. Lap. Calm.* auctorem istius oppositionis fuisse Cerinthum; sed ipse Epiphanius (l. c. n. 1; *M.* 41, 377) dicit Cerinthum προσέχειν τῷ ἰουδαϊσμῷ ἀπὸ μέρους; unde ea sententia iam evadit improbabilis, neque eius mentionem faciunt Irenaeus et Theodoretus placita Cerinthi recensentes (cf. *Schenz* l. c. p. 22). Postulatione illa et affirmatione (δεῖ) facta in publico illo conventu v. 6 *conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc,* de hac re; habetur ergo alter conventus, in quo soli apostoli et presbyteri de quaestione illa deliberant. Quem conventum apostolus quoque indicat Gal. 2,2 seorsum se proposuisse suum praedicandi modum τοῖς δοκοῦσιν. Quid in hoc conventu conclusum fuerit, Lucas mox narrat referens orationem Petri, Iacobi; Paulus quoque id refert Gal. 2,6-9 : mihi οἱ δοκοῦντες nihil contulerunt προσανέθεντο, nihil addiderunt; i. e. eius praedicandi modum et admittendi gentes sine circumcisione omnino approbarunt eumque hortati sunt ut in opere Dei inter gentes laborare pergeret.

Ex Lucae narratione clarum est a v. 7 agi de alio conventu in quo iterum, sicut in v. 4 etiam populus adest, id elucet iam ex v. 7 et praeprimis ex v. 12, ex quo « omnis multitudo » iis intererat quae

v. 7 seq. acta et dicta sunt. Proinde post conventum apostoli id quod statuerant omni multitudini annuntiant, scil. gentes non esse cogendas neque ad circumcisionem neque ad observationem legis. Contra hanc sententiam subintroductos falsos fratres sese opposuisse, ex iis quae Gal. 2,3-5 narrantur, facile patet. Quam oppositionem Lucas refert v. 7 *cum autem magna conquisitio fieret,* iterum ζήτησις, uti v. 2, illis scil. postulantibus circumcisionem, *surgens Petrus dixit ad eos : viri fratres*, en fideles alloquitur, *vos scitis* « fortasse aderant qui olim illum accusaverant circa Cornelium » (*Chr.*), *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit,* in vobis i. e. inter vos, in vestra hac terra palaestinensi, *per os meum audire gentes verbum evangelii et credere;* cf. 10,15-11,18; cum dicatur *ab antiquis diebus* colligit *Weiss* fontem aliquem, in quo historia Cornelii multo longiore temporis intervallo separata fuerit, quam in Act. cap. 10 a cap. 15. Sed criticus non attendit referri in Act. mox post Pauli conversionem, et ex ipso Pauli testimonio ab 9,20-15,1 praeterierunt anni septemdecim, et Act. 21,16 Mnason Cyprius dicitur antiquus discipulus; ergo tempus ab initiis rei christianae usque ad 21,16 iam sufficit ad « antiquitatem »; v. 8 *et qui novit corda Deus testimonium perhibuit* illis, pro illis scil. admittendis sine ullis ambagibus, sine ulla per legem praeparatione ipse Deus, cordium scrutator, testatus est *dans* (*illis*) *Spiritum sanctum sicut et nobis* 10,44; 11,17, v. 9 *et nihil discrevit inter nos et illos fide purificans corda eorum;* διέκρινεν, vide 11,12 graece; dicit *purificans*, uti didicit 10,15.

In illo eventu satis declaratur divina dispositio. Accedit ne Iudaeos quidem spem aliquam salutis in lege ponere posse, verum in ea experiri onus quod portare non possint, et unam salutis viam collocari in Christi gratia. Ad quid itaque lex imponeretur gentibus? v. 10 *nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum;* « ille tentat Deum, qui aliter quam ipse praecepit famulari ac placere nititur » (*Beda*). Deus enim testatus est fidem sufficere ut gentes admittantur; ergo infert Petrus, qui legem insuper postulat, tentat Deum (*Cai.*). Eum tentare dicitur, qui opem ab eo exigit, ut aliquid contra vel secus fiat ac Deus vult (*Patr.*); aliis verbis qui mensuram spei nobis propositae (in rebus sperandis et in modo sperandi) vel non attingit vel excedit; proin Deus dicitur tentari diffidentia (pusillanimitate) et praesumptione (cf. quae notavi ad Is. 7,12 et ad Matth. 4,7); cf. 5,9; et quale sit iugum quod contra Dei voluntatem a gentibus suscipi ac portari volunt, addit *quod neque patres nostri neque nos portare potuimus,* perfecte implere potuimus; nulla enim aetate populus Israel legem ut debebat observabat; vide

7,53, Ioan. 7,19. Unusquisque debebat sibi fateri se suis viribus non posse semper et constanter cuncta legis praecepta observare; unde plane absurdum est tale onus Deo invito velle gentibus imponere.

Nos ipsi quibus lex data est, salutem haurimus et quaerimus non ex lege, v. 11 *sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi;* hic offenduntur critici (*Hilg. Wendt*) eo quod Petrus loquatur modo paulino; quare Lucam sermonem ita composuisse ut omne discrimen et dissidium doctrinae inter Petrum et Paulum tollatur et evanescat (*Hilg.* aliique ex « schola tubingensi »). Verum isti critici non videntur unquam legisse Gal. 2,15. 16, ubi ipse Paulus loquens ad Petrum exponit quid ipse et Petrus et fideles Iudaei probe intellexerint : nos natura Iudaei i. e. tu et ego aliique Iudaei, scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Iesum Christum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi (Gal. 2,15. 16). Unde Paulus ipse testatur Petrum in eadem secum fide ac persuasione esse; immo iis ipsis verbis ei in memoriam revocat quid ipse Petrus in hac legalium quaestione publice pronuntiaverit. — Quasi ex tripode pronuntiat *Hilg.* orationem hanc Petri hic plane immerito poni et esse interpolationem auctoris ad Theophilum (sie hat hier überhaupt kein Hausrecht, muss als Einschaltung gelten).

Haec Petri expositio reverenti silentio excipitur; v. 12 *tacuit autem omnis multitudo;* ex altera lectione effertur : cum assensissent simul seniores iis quae a Petro dicta erant, tacuit etc. Plerique igitur verbis acquiescunt; alii saltem non palam obloquuntur, videntes ab iis ipsis ad quos provocaverant gentes non adigi. Animis ita dispositis optima erat occasio, ut miris Dei gratiis inter gentes expositis quae esset revera Dei dispositio etiam magis declararetur et ita omnes assumptioni gentium omnino conciliarentur. Qua occasione utuntur qui causam gentilium propugnabant : *et audiebant Barnabam et Paulum,* Barnabas missus ab ecclesia hierosolymitana Antiochiam (11,22) plebi magis notus erat, ideoque priore quoque loco hic ponitur, quia aptior videbatur ad persuadendum vir magis notus qui diu in urbe versatus erat (cf. 4,36. 37), *narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos;* consulto efferunt signa et prodigia; hisce enim quam clarissime testatur Deus se velle et approbare illam praedicandi rationem, quam observarint et quam iudaizantes impugnarint. Unde talis rerum expositio mirum in modum confirmabat doctrinam a Petro declaratam et magnopere idonea erat ad animos gentibus conciliandos.

c) Oratio Iacobi 15,13-21.

15,13. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicens : Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. 15. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est : 16. Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David quod decidit; et diruta eius reaedificabo, et erigam illud; 17. Ut requirant caeteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec. 18. Notum a saeculo est Domino opus suum. 19. Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, 20. Sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. 21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

15,13. Μετὰ δὲ τὸ σιγῆσαι αὐτοὺς, ἀπεκρίθη Ἰάκωβος λέγων, Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἀκούσατέ μου· 14. Συμεὼν ἐξηγήσατο, καθὼς πρῶτον ὁ Θεὸς ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ· 15. καὶ τούτῳ συμφωνοῦσιν οἱ λόγοι τῶν προφητῶν, καθὼς γέγραπται, 16. Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαυεὶδ τὴν πεπτωκυῖαν· καὶ τὰ κατεστραμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, καὶ ἀνορθώσω αὐτήν· 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς· λέγει Κύριος ποιῶν ταῦτα. 18. γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός (ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ). 19. διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν. 20. ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας καὶ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος· 21. Μωυσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος.

In v. 16 ℵB κατεστραμμενα, sed ACDELP al pler Chr Const κατεσκαμμενα. In v. 18 γνωστα απ αιωνος ℵBC mu minusc Ti WH; ut vulg habent AD ph (mg) Ir; gig habet cum EHLP al pler pluralem. In v. 20 και πνικτου om D Ir gig; quae omissio in v. 29 etiam testimonium habet Tert Cypr Ambrosiast Pacian Hier; sed add D aliq minusc sah aeth Ir και οσα μη θελουσιν εαυτοις γινεσθαι, ετεροις μη ποιειτε, Ir aliis ne faciant.

Cum apostoli convenerint *videre* de verbo hoc (v. 6), ea de re deliberare quid necessarium, quid utile esset ad disceptationes tollendas et ea constituere, quae lites componerent, dubitari non poterit, quin de illis quoque egerint, quibus commercium gentilium cum Iudaeis facilius redderetur et aversio Iudaeorum a gentibus auferretur. Talia quoque in conventu apostolorum acta esse, non solum re ipsa suadetur, sed ostenditur quoque Gal. 2,10, ubi Paulus unum ex illis affert, quae ad animos Iudaeorum placandos et murum illum separationis destruendum (cf. Eph. 2,14) erant statuta : tantum ut pauperum memores essemus i. e. pauperum Iudaeo-christianorum. Alterum eius rei documentum nobis ipsa Iacobi oratione praebetur; is enim conventu illo habito, pariter sicut Petrus, coram populo ea explicare et persuadere videtur quae antea iam discussa et decreta erant. Loquitur Iaco-

bus; eius enim auctoritas, utpote legis observantissimi, plurimum valebat apud iudaizantes; erat simul episcopus eius ecclesiae in qua conventus habebatur (cf. *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 600 seq.); loquitur secundo loco nihilominus; proin Petrum principem apostolorum etiam ea in re facile videris agnosci. Apte loquitur post narrationem Barnabae et Pauli, ex qua discere poterant iudaizantes quae olim in Cornelio essent facta etiam in gentibus Deo operante evenisse; inde satis demonstrari Dei voluntatem. Hisce, nisi velint esse contumaces, bene erant parati ad doctrinam.

Summa eius orationis haec est: quod Simon re gesta ostendit, idem a prophetis iam est indicatum; quare gentes non sunt onerandae; sed quo commercium cum eis nobis Iudaeis facilius reddatur, gentes a quibusdam gentium moribus debent abstinere; v. 13 *et postquam tacuerunt,* loqui cessarunt, *respondit Iacobus* ex sua quoque parte ad quaestionem agitatam v. 7, *dicens : viri fratres, audite me,* v. 14 *Simon narravit,* Lucas eo nomine in Act. utitur solum aliorum sermones referens (10,5. 17. 18. 32; 11,13); Iacobus nomen adhibet in urbe inter Iudaeos vel unice vel magis notum, *quemadmodum primum Deus visitavit* ἐπεσκέψατο prospexit, curavit, *sumere ex gentibus populum nomini suo* i. e. sibi adsciscere ex gentibus populum; dicitur nomini suo i. e. sibi, suo cultui, suae de se revelationi; populus enim Dei is dicitur super quem invocatum est nomen Domini (vide de notione nominis ad Matth. 6,9). In Petri narratione cernitur modus quo Deus ex gentibus vocet ad populum nominis sui; scil. sine circumcisione; idem iam in prophetiis continetur; v. 15 *et huic* modo vocationis *concordant verba prophetarum, sicut scriptum est :* v. 16 *post haec revertar et reaedificabo tabernaculum David quod decidit et diruta eius reaedificabo et erigam illud,* Am. 9,11; tabernaculum David concidit regno iudaico per Nabuchodonosor destructo; praedicitur erigendum tempore messiano per Messiam qui propterea David appellatur (cf. Ier. 23,5; 33,15. Ez. 17,22. 23; 21,27; 34,23); unde angelus quoque ad Mariam dixit: dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum (Luc. 1,32).

Quid vero cum hac erectione tabernaculi David, cum tempore igitur messiano et cum opere Messiae ex Dei consilio et voluntate immediate coniungatur, assignatur a vate; v. 17 *ut requirant ceteri hominum Dominum et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec;* haec itaque est Dei voluntas tempore messiano, ut ceteri quoque hominum praeter Iudaeos ad Dei cognitionem et cultum omni studio se addicant, ut id faciant omnes gentes, quae iam populus Dei vocandae sint et eo titulo peculiari Dei protectione et

custodia fruuntur. Eousque Israel solus erat populus super quem invocatum est nomen Domini i. e. qui appellabatur populus Domini, populus Iahve, populus Deo sacer et consecratus (cf. Deut. 28,10. 3 Reg. 8,43. 2 Par. 7,14. Ier. 14,9 etc.); si nunc haec appellatio gentibus attribuitur, gentes non constituuntur impares populo Dei et tamquam alia natio Deo dicata (ut *Weiss* vult), sed unum illum populum Dei ingredi ac constituere dicuntur. Nusquam enim duo regna Dei, duo populi Dei commemorantur. Vaticinium itaque ipsis rebus gestis plane congruit. Deus iam multos ex gentilibus sine circumcisione ad ecclesiam Messiae adduxit; sed in vaticinio enuntiatur tempore messiano gentes fore populum Dei. Ex vaticinio apparet Deum velle, ut gentes ingrediantur regnum messianum; sed rebus gestis demonstratur Deum iam multos advocasse sine circumcisione; ergo circumcisio excluditur.

Ex quo argumento consequitur instaurationem tabernaculi David in ipsa fundatione et propagatione Ecclesiae Christi contineri (vide quae dixi in Comment. Proph. min. I p. 336). Vaticinium recitatur fere secundum LXX; textus hebr. in altero membro fertur alio modo, uti legitur in vulg. : ut possideant reliquias Idumaeae et omnes nationes etc. Discrimen itaque solum est in uno membro : ut possideant reliquias Edom; sensus autem est idem. Nam declaratur instaurationis messianae ambitus et indoles, ut sicut David Edomitas suo regno addidit (2 Reg. 8,14. 3 Reg. 11,16), ita regni davidici instauratio et sanguine cognatos primum et omnes dein nationes complectatur. Ceterum vide quae ad Am. 9,12 dixi (l. c. p. 333 seq.). Totum versionis discrimen ad litterarum similitudinem refertur. In textu hebr. habetur יירשו ...אדום; LXX legerunt ידרשו ...אדם et ita verterunt. Et ad confirmationem oraculi additur : dicit Dominus *faciens haec*, quo addito significatur id certissime fore neque hominum libertate aut malitia evadere posse vaticinium incassum (vide quae notavi ad Is. 9,7. Zach. 6,15). Ecce, concludit Iacobus, Deus iam ab antiquissimo tempore declaravit se nosse quid facturus esset post saecula v. 18 *notum a saeculo est Domino opus suum;* ab aeterno praescivit quid facturus esset cum gentibus (*Beel.*); quibus verbis causam aperit cur ex iis quae dixit v. 14-17, concludere illud oporteat quod v. 19 infert (*Patr.*).

Sequitur itaque necessario v. 19 *propter quod ego iudico non inquietari* μὴ παρενοχλεῖν non insuper vexare, onerare, molestias creare *eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum;* enuntiat itaque pariter Iacobus quod in conventu apostolorum v. 6 erat statutum (cf. Gal. 2,9). Sed simul ad conciliandos animos Iudaeorum addit v. 20 *sed scribere ad eos* ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς mittere illis mandatum, *ut abstineant se a con-*

taminationibus simulacrorum et fornicatione et suffocatis et sanguine. Uti iam supra dixi, puto haec non addi a Iacobo ceteris apostolis insciis, verum haec quoque in conventu esse statuta. Neque obstat quod dicit Iacobus : ego iudico, κρίνω, censeo, sententiam fero. Nam prius quod dicit μὴ παρενοχλεῖν etiam iam erat constitutum in conventu apostolorum v. 6; ergo illud κρίνω nullatenus probat rem proferri plane novam, a solo Iacobo nunc excogitatam et propositam. Ea vitare gentes iubentur quae Iudaeis maximae erant offensioni; τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων intelligi εἰδωλόθυτα apparet ex v. 29 ea quae idolis erant immolata; ne igitur epulis sacrificalibus accumberent neve ea manducarent quae tamquam idolothyta proponerentur. Verbum ἀλισγεῖν habes Eccli. 40,29. Dan. 1,8 (vulg. polluere), Mal. 1,7. 12 (contaminare). Pariter iubentur abstinere a suffocatis et sanguine; cum enim Lev. 17,10 et Iudaeis et alienigenis qui in terra palaestinensi incolebant comestio sanguinis stricte interdicatur, Iudaeis a longa consuetudine abstinendi esus iste videbatur maxime abominabilis. Ex eadem ratione prohibentur suffocata, in quibus sanguis non ipsa occisione est effusus; nam : si quis ceperit feram vel avem, fundat sanguinem eius et operiat illum terra (Lev. 17,13. 14; cf. v. 11,12).

Interdicitur πορνεία, *fornicatio*, scortatio; adhibetur vox de concubitu illicito 1 Cor. 5,1; 6,13. 18; 7,2. 2 Cor. 12,21. Eph. 5,3. Col. 3,5. 1 Thess. 4,13; eodem modo πορνεύειν 1 Cor. 10,8 (Num. 25,1 seq.). Cum talis sit usus ac significatio vocis, et decretum quod scribitur, gentibus scribatur, apud quas nulla alia vocis notio possit supponi, merito haec notio hic quoque retinenda videtur, ita ut fornicatio, concubitus extra matrimonium prohibeatur (cf. *Cai. Salm. Lap. Beel. Calm. Hake, Patr. Thomas* in Revue des quest. hist. 1889 II p. 454, *Weiss;* alios eiusdem sententiae recenset *Schenz* l. c. p. 120 seq.). Sed quomodo gentilibus conversis id explicite prohibetur, quod lege naturali et lege a Christo lata iam interdictum est? erantne hi quasi primorum elementorum disciplinae christianae ac morum ignari? Verum id tibi minus mirum videbitur, si duo tecum perpenderis. Prius est quod Paulus longo tempore post conventum hunc Corinthiis iam ab aliquo tempore conversis scribere necessarium duxit. Eos diserte monet : esca quidem ventri et venter escis; corpus autem non fornicationi, et compluribus argumentis a commercio meretricio, a fornicatione esse abstinendum, committi maximam in Christum iniuriam, templum pollui Spiritus sancti, committi peccatum in ipsum corpus, docere non solum utile, sed necessarium existimavit; atque eiusmodi peccatores in ea urbe fuisse, qui ne moniti quidem de tali peccato volebant agere poenitentiam, ipse asserit 2 Cor. 12,21; ce-

terum vide 1 Cor. 5,1; 6,12-20. Alterum est fornicationem apud gentes habitam fuisse rem indifferentem, imo licitam; imo etiam ad sacrum idolorum cultum haud raro pertinuisse. Notum est quod Micio apud Terentium dicit : non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari (Adelph. I, 2,21). Et ipse Cicero ita perorare non veretur : verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus : negare non possum; sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit ut quod licet non liceret (or. pro. Coelio 20)? Et Horatius (Satir. I, 2. 31 seq.) : quidam notus homo cum exiret fornice « macte Virtute esto », inquit sententia dia Catonis, Nam simul ac venas inflavit taetra libido, Huc iuvenes aequum est descendere. Ad quod Porphyrion : laudavit existimans libidinem compescendam esse sine crimine; et Acron Catonem facit dicentem : adolescens ego te laudavi, tamquam huc interdum venires (cf. *Ritter,* Horatii carmina, Serm. I, 2. 34).

Magna tamen est inter interpretes de hac πορνείᾳ disceptatio. Placuit sat multis vocem referre ad Lev. 18,1 seq. ad prohibitionem matrimoniorum incestuosorum in proximis consanguinitatis vel affinitatis gradibus. Nam Lev. 17,7 prohibetur cultus idololatricus sacrificalis, 17,10. 12-14 prohibetur comestio sanguinis (et consequenter suffocati quoque, quia suffocatum animal retinebat sanguinem); unde pronum videbatur πορνείαν ex eodem loco explicare (cf. *Lightfoot,* Hor. hebr. ad h. l. *Wendt, Bl.* et huius sententiae patronos multos enumerant *Schenz* p. 124 seq. *Felt. Wendt*). Eandem sententiam etiam *Cornely* propugnat, apostolos neophytis ethnicis, uti esum illorum ciborum a quibus Iudaei abhorrebant, ita etiam matrimonia inter consanguineos et affines iuxta legem mosaicam interdixisse (Comment. in 1 Cor. p. 120). Difficultas tamen est in ipsa voce; nam etsi vox hebr. ערוה dicatur apud talmudistas de unaquaque femina cuius congressus consanguinitatis causa in lege est prohibitus sub poena excisionis, ita ut hac ratione mater, soror, filia etc. vocetur ערוה (*Buxtorf,* Lex. talm. p. 1663), tamen difficillimum est intellectu, cur ad hanc rem designandam vox fornicationis seu scortationis sit selecta, vel quomodo ethnici πορνείαν hac speciali notione potuerint intelligere; neque ex 1 Cor. 5,1 potest deduci vocem hac particulari significatione fuisse usu apud veteres receptam. Respondent aliqui legatos missos esse cum decreto qui illud interpretari et πορνείαν ea notione declarare debebant. Utique eiusmodi declaratio perquam necessaria erat; sed malim assumere legislatores apostolos in lege condenda vocem selegisse claram, ex usa linguaque communi petitam, non aenigmaticam, quam tandem discere nobis opus

esset ex rabbinico ערוה, quam vocem Lev. 18,6 seq. LXX reddunt ἀσχημοσύνην, neutiquam πορνείαν. — De aliis multis explicationibus haec accipe : significari idololatriam, quam prophetae quidem ita nominant; prohiberi lascivias quae diebus festis ethnicorum exercerentur; designari πορνικὴν θυσίαν, vel professionem meretriciam, prostitutionem, vel concubinatum, vel polygamiam, vel matrimonium cum infideli, vel deuterogamiam. Neque deerant conatus emendandi textus : χοιρείαν, vel πορκείαν legere oportere, prohiberi scil. carnem suillam in gratiam Iudaeorum. Sed de hisce ingenii foetibus satis.

Cur haec illis mandanda et mittenda sint, additur ratio v. 21 *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur;* inde enim quod lex mosaica et constanter lecta sit maioribus Iudaeorum et perpetuo etiamnum in synagogis recitetur illa abominationi sunt Iudaeis, quam abominationem quasi hereditatem quandam a maioribus acceperint et continua lectione legis foverint; unde necesse est, ut ea in re Iudaeis aliquid concedatur et gentiles ad illa vitanda obligentur (cf. *Hake, Felt. Weiss*), ne Iudaei nimis avertantur a re christiana. Cum decretum fiat pro gentilibus et tota disquisitio illos solum tangat, non potest explicari : non opus est Iudaeis aliquid praecipere, nam Moyses legitur etc.; unde pariter falso infert *Bl. :* significari videtur Iudaeis reliqua quoque praecepta esse servanda. Sed de Iudaeis nihil declaratur. Gentes solvuntur a circumcisione et reliqua observatione legis; quid Iudaeis facere vel omittere liceat, explicite non attingitur. Verum bene iam *Chr.* notat ex iis quae Petrus dicat v. 9-11 necessario consequi legem ne pro Iudaeis quidem iam esse necessariam, sed Iudaeos quoque doceri ut discedant a lege; sed tamen hoc nondum explicite eis dici.

Varie explicant nexum v. 21 ad superiora; haec scil. non scribi Iudaeis quia habent noruntque legem (*Chr. Salm.*); ne Iudaei studio legis addicti querantur deleri Moysen eiusque legem aboleri; libertatem gentibus concessam Moysi nihil officere (*Calm.*); non opus esse ut nos Christifideles solliciti simus de honorando Moyse; eum enim in synagogis satis celebrari a Iudaeis (*Lap.*); vel : si qui pleniorem legis notitiam adipisci fortasse cupiunt, habent quo satis sibi faciant, cum omnibus sabbatis publice ea legatur in synagogis (*Patr.*). Aliter *Beda :* « etsi praeceptorum nunc acerbitate non graventur a nobis, procedente tamen tempore, dum frequentius ad lectionem legis prophetarumque convenerint, paulatim vitae instituta et servandae invicem dilectionis iura suscipient » et *Cassiod.* sufficere ait Moysi quod eius nomen in synagogis omni sabbato sub veneratione nominetur. Longius progressi aliqui acatholici hic enuntiari volunt auctoritatem

perennem ac perpetuam legis mosaicae, ex qua sequatur si solam doctrinam spectaveris legem suam quoque auctoritatem obligationemque gentibus imponere. Verum tum Iacobus sibi ipsi aperte contradiceret (v. 14-18. Demum *Beel.* fateor, inquit, me non satis perspicere, quanam tandem ratione versiculo 21 contineatur causa cur Iacobus voluerit, ut ea quae dixerat v. 20 ethnico-christianis praeciperentur; nec ullum adhuc legi interpretem qui rem, mea quidem sententia, recte explicaverit. — Merito utique hoc dixeris de variis interpretationibus quas modo recensui. Sed ratio supra primo loco data sufficiet aequa postulanti.

d) Decretum promulgatur 15,22-34.

15,22. Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus; 23. Scribentes per manus eorum: Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae, fratribus ex gentibus salutem; 24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus; 25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo, 26. Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. 27. Misimus ergo Iudam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. 28. Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: 29. Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

30. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. 31. Quam quum legissent, gavisi sunt super consolatione. 32. Iudas autem et Silas, et ipsi quum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. 34. Visum est autem Si-

15,22. Τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι εἰς Ἀντιόχειαν σὺν τῷ Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ, Ἰούδαν τὸν καλούμενον Βαρσαββᾶν, καὶ Σίλαν, ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, 23. γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν· Οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἀδελφοὶ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν. 24. ἐπειδὴ ἠκούσαμεν ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν (ἐξελθόντες) ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, οἷς οὐ διεστειλάμεθα, 25. ἔδοξεν ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν ἐκλεξαμένοις ἄνδρας πέμψαι πρὸς ὑμᾶς, σὺν τοῖς ἀγαπητοῖς ἡμῶν Βαρνάβᾳ καὶ Παύλῳ, 26. ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 27. ἀπεστάλκαμεν οὖν Ἰούδαν καὶ Σίλαν, καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. 28. ἔδοξεν γὰρ τῷ Πνεύματι τῷ Ἁγίῳ καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τούτων τῶν ἐπάναγκες, 29. ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτῶν καὶ πορνείας. ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. ἔῤῥωσθε.

30. Οἱ μὲν οὖν ἀπολυθέντες κατῆλθον εἰς Ἀντιόχειαν· καὶ συναγαγόντες τὸ πλῆθος, ἐπέδωκαν τὴν ἐπιστολήν. 31. ἀναγνόντες δὲ ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει. 32. Ἰούδας τε καὶ Σίλας, καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ ἐπεστήριξαν. 33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον, ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης ἀπὸ τῶν ἀδελ-

lae ibi remanere; Iudas autem solus abiit Ierusalem. | φῶν πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτούς.

In v. 23 D γραψαντες επιστολην δια χειρος αυτων περιεχουσαν ταδε, sim C gig epistolam continentem haec, ph (mg) epistolam et mittentes in qua erant haec. In v. 24 gig destruentes animas vestras... dicentes : circumcidimini et custodite legem; sim περιτεμνεσθαι etc CEHLP al pler syr ph Chr Theoph Ir. In v. 26 add DE 137. ph (mg) εις παντα πειρασμον, item Bed ex graeco in omnem tentationem. In v. 29 om suffocato Tert Cyp Ambrosiast Hier Pacian; add D aliq minusc ph c* Ir Cyp και οσα etc. uti in v. 20. In v. 30 D add εν ημεραις ολιγαις. In v. 32 D add πληρεις πνευματος αγιου. Non habent v. 34 ℵABEHLP mu minusc am fuld demid ph Chr Theoph.

Quo magis sententia sit fide digna, et scripto traditur et praeter Paulum et Barnabam alii eliguntur qui et epistolam perferant et sententiam latam explicent, ne scil. perturbatoribus illis suspecti esse possint Paulus et Barnabas; nam si hi soli perferrent sententiam, quid homines suae sententiae amantissimi non moverent suspicionis? v. 22 *tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba,* ἐκλεξαμένοις; quod alii testes habent ἐκλεξαμένους eodem modo est explicandum; nam accusativum post dativum poni, ut apud atticos quoque saepe, ita multo magis usuvenit in novo testamento (*Bl.*); non verti potest : electos viros; legit *Chr.* ἐκλεξαμένους ἄνδρας; at recte bis explicat : ἐκλεξάμενοι, εἶπεν, ἄνδρας ἐξ ἡμῶν — *Iudam qui cognominabatur Barsabas,* cum idem sit patronymicum, eum esse fratrem Iosephi 1,23 coniectant (*Lap. Calm. Beel. Patr. Felt.*), *et Silam,* Silvanum, qui futurus est Pauli socius itinerum 15,40; 16,19 seq. 17,4. 10; 18,5. 2 Cor. 1,19. 1 Thess. 1,1. 2 Thess. 1,1, *viros primos in fratribus* ἡγουμένους, qui inter fratres eximia auctoritate pollebant, quasi duces ac principes; erant enim prophetae v. 32; proin doctores ex peculiari Spiritus sancti impulsu, qui singulari honore digni erant. In Doctrina apostolorum praescribitur, ut qui loquitur verbum Dei, honoretur ut dominus (τιμήσεις αὐτὸν ὡς κύριον, 4,1).

Hi itaque viri perferebant epistolam apostolorum et seniorum; v. 23 *scribentes per manus eorum,* γράψαντες est anacoluthon, refertur ad τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις v. 22; quale anacoluthon etiam apud profanos non infrequens est (cf. *Blass,* Grammatik des neutest. Gr. p. 278 seq.). Scripserunt per eos i. e. mittunt scriptum per eos ad fideles : *Apostoli et seniores fratres* non esse legendum καὶ οἱ ἀδ. cum textu recepto hodie critici generatim agnoscunt et probatur 16,4 loco parallelo; sese appellant *fratres,* ut arctam coniunctionem et caritatem cum fratribus, cum fidelibus ad quos scribunt profiteantur, *his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae, fratribus ex gentibus,*

v. 7 seq. acta et dicta sunt. Proinde post conventum apostoli id quod statuerant omni multitudini annuntiant, scil. gentes non esse cogendas neque ad circumcisionem neque ad observationem legis. Contra hanc sententiam subintroductos falsos fratres sese opposuisse, ex iis quae Gal. 2,3-5 narrantur, facile patet. Quam oppositionem Lucas refert v. 7 *cum autem magna conquisitio fieret,* iterum ζήτησις, uti v. 2, illis scil. postulantibus circumcisionem, *surgens Petrus dixit ad eos : viri fratres,* en fideles alloquitur, *vos scitis* « fortasse aderant qui olim illum accusaverant circa Cornelium » (*Chr.*), *quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit,* in vobis i. e. inter vos, in vestra hac terra palaestinensi, *per os meum audire gentes verbum evangelii et credere;* cf. 10,15-11,18; cum dicatur *ab antiquis diebus* colligit *Weiss* fontem aliquem, in quo historia Cornelii multo longiore temporis intervallo separata fuerit, quam in Act. cap. 10 a cap. 15. Sed criticus non attendit referri in Act. mox post Pauli conversionem, et ex ipso Pauli testimonio ab 9,20-15,1 praeterierunt anni septemdecim, et Act. 21,16 Mnason Cyprius dicitur antiquus discipulus; ergo tempus ab initiis rei christianae usque ad 21,16 iam sufficit ad « antiquitatem »; v. 8 *et qui novit corda Deus testimonium perhibuit* illis, pro illis scil. admittendis sine ullis ambagibus, sine ulla per legem praeparatione ipse Deus, cordium scrutator, testatus est *dans* (*illis*) *Spiritum sanctum sicut et nobis* 10,44; 11,17, v. 9 *et nihil discrevit inter nos et illos fide purificans corda eorum;* διέκρινεν, vide 11,12 graece; dicit *purificans*, uti didicit 10,15.

In illo eventu satis declaratur divina dispositio. Accedit ne Iudaeos quidem spem aliquam salutis in lege ponere posse, verum in ea experiri onus quod portare non possint, et unam salutis viam collocari in Christi gratia. Ad quid itaque lex imponeretur gentibus? v. 10 *nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum;* « ille tentat Deum, qui aliter quam ipse praecepit famulari ac placere nititur » (*Beda*). Deus enim testatus est fidem sufficere ut gentes admittantur; ergo infert Petrus, qui legem insuper postulat, tentat Deum (*Cai.*). Eum tentare dicitur, qui opem ab eo exigit, ut aliquid contra vel secus fiat ac Deus vult (*Patr.*); aliis verbis qui mensuram spei nobis propositae (in rebus sperandis et in modo sperandi) vel non attingit vel excedit; proin Deus dicitur tentari diffidentia (pusillanimitate) et praesumptione (cf. quae notavi ad Is. 7,12 et ad Matth. 4,7); cf. 5,9; et quale sit iugum quod contra Dei voluntatem a gentibus suscipi ac portari volunt, addit *quod neque patres nostri neque nos portare potuimus,* perfecte implere potuimus; nulla enim aetate populus Israel legem ut debebat observabat; vide

7,53, Ioan. 7,19. Unusquisque debebat sibi fateri se suis viribus non posse semper et constanter cuncta legis praecepta observare; unde plane absurdum est tale onus Deo invito velle gentibus imponere.

Nos ipsi quibus lex data est, salutem haurimus et quaerimus non ex lege, v. 11 *sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi;* hic offenduntur critici (*Hilg. Wendt*) eo quod Petrus loquatur modo paulino; quare Lucam sermonem ita composuisse ut omne discrimen et dissidium doctrinae inter Petrum et Paulum tollatur et evanescat (*Hilg.* aliique ex « schola tubingensi »). Verum isti critici non videntur unquam legisse Gal. 2,15. 16, ubi ipse Paulus loquens ad Petrum exponit quid ipse et Petrus et fideles Iudaei probe intellexerint : nos natura Iudaei i. e. tu et ego aliique Iudaei, scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Iesum Christum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi (Gal. 2,15. 16). Unde Paulus ipse testatur Petrum in eadem secum fide ac persuasione esse; immo iis ipsis verbis ei in memoriam revocat quid ipse Petrus in hac legalium quaestione publice pronuntiaverit. — Quasi ex tripode pronuntiat *Hilg.* orationem hanc Petri hic plane immerito poni et esse interpolationem auctoris ad Theophilum (sie hat hier überhaupt kein Hausrecht, muss als Einschaltung gelten).

Haec Petri expositio reverenti silentio excipitur; v. 12 *tacuit autem omnis multitudo;* ex altera lectione effertur : cum assensissent simul seniores iis quae a Petro dicta erant, tacuit etc. Plerique igitur verbis acquiescunt; alii saltem non palam obloquuntur, videntes ab iis ipsis ad quos provocaverant gentes non adigi. Animis ita dispositis optima erat occasio, ut miris Dei gratiis inter gentes expositis quae esset revera Dei dispositio etiam magis declararetur et ita omnes assumptioni gentium omnino conciliarentur. Qua occasione utuntur qui causam gentilium propugnabant : *et audiebant Barnabam et Paulum,* Barnabas missus ab ecclesia hierosolymitana Antiochiam (11,22) plebi magis notus erat, ideoque priore quoque loco hic ponitur, quia aptior videbatur ad persuadendum vir magis notus qui diu in urbe versatus erat (cf. 4,36. 37), *narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos;* consulto efferunt signa et prodigia; hisce enim quam clarissime testatur Deus se velle et approbare illam praedicandi rationem, quam observarint et quam iudaizantes impugnarint. Unde talis rerum expositio mirum in modum confirmabat doctrinam a Petro declaratam et magnopere idonea erat ad animos gentibus conciliandos.

c) Oratio Iacobi 15,13-21.

15,13. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus dicens : Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. 15. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est : 16. Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David quod decidit; et diruta eius reaedificabo, et erigam illud; 17. Ut requirant caeteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec. 18. Notum a saeculo est Domino opus suum. 19. Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, 20. Sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. 21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

15,13. Μετὰ δὲ τὸ σιγῆσαι αὐτοὺς, ἀπεκρίθη Ἰάκωβος λέγων, Ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἀκούσατέ μου· 14. Συμεὼν ἐξηγήσατο, καθὼς πρῶτον ὁ Θεὸς ἐπεσκέψατο λαβεῖν ἐξ ἐθνῶν λαὸν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ· 15. καὶ τούτῳ συμφωνοῦσιν οἱ λόγοι τῶν προφητῶν, καθὼς γέγραπται, 16. Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαυεὶδ τὴν πεπτωκυῖαν· καὶ τὰ κατεστραμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, καὶ ἀνορθώσω αὐτήν· 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς· λέγει Κύριος ποιῶν ταῦτα. 18. γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός (ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ). 19. διὸ ἐγὼ κρίνω μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν. 20. ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πορνείας καὶ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος· 21. Μωυσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος.

In v. 16 ℵB κατεστραμμενα, sed ACDELP al pler Chr Const κατεσκαμμενα. In v. 18 γνωστα απ αιωνος ℵBC mu minusc Ti WH; ut vulg habent AD ph (mg) Ir; gig habet cum EHLP al pler pluralem. In v. 20 και πνικτου om D Ir gig; quae omissio in v. 29 etiam testimonium habet Tert Cypr Ambrosiast Pacian Hier; sed add D aliq minusc sah aeth Ir και οσα μη θελουσιν εαυτοις γινεσθαι, ετεροις μη ποιειτε, Ir aliis ne faciant.

Cum apostoli convenerint *videre* de verbo hoc (v. 6), ea de re deliberare quid necessarium, quid utile esset ad disceptationes tollendas et ea constituere, quae lites componerent, dubitari non poterit, quin de illis quoque egerint, quibus commercium gentilium cum Iudaeis facilius redderetur et aversio Iudaeorum a gentibus auferretur. Talia quoque in conventu apostolorum acta esse, non solum re ipsa suadetur, sed ostenditur quoque Gal. 2,10, ubi Paulus unum ex illis affert, quae ad animos Iudaeorum placandos et murum illum separationis destruendum (cf. Eph. 2,14) erant statuta : tantum ut pauperum memores essemus i. e. pauperum Iudaeo-christianorum. Alterum eius rei documentum nobis ipsa Iacobi oratione praebetur; is enim conventu illo habito, pariter sicut Petrus, coram populo ea explicare et persuadere videtur quae antea iam discussa et decreta erant. Loquitur Iaco-

bus; eius enim auctoritas, utpote legis observantissimi, plurimum valebat apud iudaizantes; erat simul episcopus eius ecclesiae in qua conventus habebatur (cf. *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 600 seq.); loquitur secundo loco nihilominus; proin Petrum principem apostolorum etiam ea in re facile videris agnosci. Apte loquitur post narrationem Barnabae et Pauli, ex qua discere poterant iudaizantes quae olim in Cornelio essent facta etiam in gentibus Deo operante evenisse; inde satis demonstrari Dei voluntatem. Hisce, nisi velint esse contumaces, bene erant parati ad doctrinam.

Summa eius orationis haec est: quod Simon re gesta ostendit, idem a prophetis iam est indicatum; quare gentes non sunt onerandae; sed quo commercium cum eis nobis Iudaeis facilius reddatur, gentes a quibusdam gentium moribus debent abstinere; v. 13 *et postquam tacuerunt,* loqui cessarunt, *respondit Iacobus* ex sua quoque parte ad quaestionem agitatam v. 7, *dicens : viri fratres, audite me,* v. 14 *Simon narravit,* Lucas eo nomine in Act. utitur solum aliorum sermones referens (10,5. 17. 18. 32; 11,13); Iacobus nomen adhibet in urbe inter Iudaeos vel unice vel magis notum, *quemadmodum primum Deus visitavit* ἐπεσκέψατο prospexit, curavit, *sumere ex gentibus populum nomini suo* i. e. sibi adsciscere ex gentibus populum; dicitur nomini suo i. e. sibi, suo cultui, suae de se revelationi; populus enim Dei is dicitur super quem invocatum est nomen Domini (vide de notione nominis ad Matth. 6,9). In Petri narratione cernitur modus quo Deus ex gentibus vocet ad populum nominis sui; scil. sine circumcisione; idem iam in prophetiis continetur; v. 15 *et huic* modo vocationis *concordant verba prophetarum, sicut scriptum est :* v. 16 *post haec revertar et reaedificabo tabernaculum David quod decidit et diruta eius reaedificabo et erigam illud,* Am. 9,11; tabernaculum David concidit regno iudaico per Nabuchodonosor destructo; praedicitur erigendum tempore messiano per Messiam qui propterea David appellatur (cf. Ier. 23,5; 33,15. Ez. 17,22. 23; 21,27; 34,23); unde angelus quoque ad Mariam dixit: dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum (Luc. 1,32).

Quid vero cum hac erectione tabernaculi David, cum tempore igitur messiano et cum opere Messiae ex Dei consilio et voluntate immediate coniungatur, assignatur a vate; v. 17 *ut requirant ceteri hominum Dominum et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec;* haec itaque est Dei voluntas tempore messiano, ut ceteri quoque hominum praeter Iudaeos ad Dei cognitionem et cultum omni studio se addicant, ut id faciant omnes gentes, quae iam populus Dei vocandae sint et eo titulo peculiari Dei protectione et

custodia fruuntur. Eousque Israel solus erat populus super quem invocatum est nomen Domini i. e. qui appellabatur populus Domini, populus Iahve, populus Deo sacer et consecratus (cf. Deut. 28,10. 3 Reg. 8,43. 2 Par. 7,14. Ier. 14,9 etc.); si nunc haec appellatio gentibus attribuitur, gentes non constituuntur impares populo Dei et tamquam alia natio Deo dicata (ut *Weiss* vult), sed unum illum populum Dei ingredi ac constituere dicuntur. Nusquam enim duo regna Dei, duo populi Dei commemorantur. Vaticinium itaque ipsis rebus gestis plane congruit. Deus iam multos ex gentilibus sine circumcisione ad ecclesiam Messiae adduxit; sed in vaticinio enuntiatur tempore messiano gentes fore populum Dei. Ex vaticinio apparet Deum velle, ut gentes ingrediantur regnum messianum; sed rebus gestis demonstratur Deum iam multos advocasse sine circumcisione; ergo circumcisio excluditur.

Ex quo argumento consequitur instaurationem tabernaculi David in ipsa fundatione et propagatione Ecclesiae Christi contineri (vide quae dixi in Comment. Proph. min. I p. 336). Vaticinium recitatur fere secundum LXX; textus hebr. in altero membro fertur alio modo, uti legitur in vulg. : ut possideant reliquias Idumaeae et omnes nationes etc. Discrimen itaque solum est in uno membro : ut possideant reliquias Edom; sensus autem est idem. Nam declaratur instaurationis messianae ambitus et indoles, ut sicut David Edomitas suo regno addidit (2 Reg. 8,14. 3 Reg. 11,16), ita regni davidici instauratio et sanguine cognatos primum et omnes dein nationes complectatur. Ceterum vide quae ad Am. 9,12 dixi (l. c. p. 333 seq.). Totum versionis discrimen ad litterarum similitudinem refertur. In textu hebr. habetur יירשו... אדום; LXX legerunt ידרשו... אדם et ita verterunt. Et ad confirmationem oraculi additur : dicit Dominus *faciens haec*, quo addito significatur id certissime fore neque hominum libertate aut malitia evadere posse vaticinium incassum (vide quae notavi ad Is. 9,7. Zach. 6,15). Ecce, concludit Iacobus, Deus iam ab antiquissimo tempore declaravit se nosse quid facturus esset post saecula v. 18 *notum a saeculo est Domino opus suum;* ab aeterno praescivit quid facturus esset cum gentibus (*Beel.*); quibus verbis causam aperit cur ex iis quae dixit v. 14-17, concludere illud oporteat quod v. 19 infert (*Patr.*).

Sequitur itaque necessario v. 19 *propter quod ego iudico non inquietari* μὴ παρενοχλεῖν non insuper vexare, onerare, molestias creare *eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum;* enuntiat itaque pariter Iacobus quod in conventu apostolorum v. 6 erat statutum (cf. Gal. 2,9). Sed simul ad conciliandos animos Iudaeorum addit v. 20 *sed scribere ad eos* ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς mittere illis mandatum, *ut abstineant se a con-*

taminationibus simulacrorum et fornicatione et suffocatis et sanguine. Uti iam supra dixi, puto haec non addi a Iacobo ceteris apostolis insciis, verum haec quoque in conventu esse statuta. Neque obstat quod dicit Iacobus : ego iudico, κρίνω, censeo, sententiam fero. Nam prius quod dicit μὴ παρενοχλεῖν etiam iam erat constitutum in conventu apostolorum v. 6; ergo illud κρίνω nullatenus probat rem proferri plane novam, a solo Iacobo nunc excogitatam et propositam. Ea vitare gentes iubentur quae Iudaeis maximae erant offensioni; τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων intelligi εἰδωλόθυτα apparet ex v. 29 ea quae idolis erant immolata; ne igitur epulis sacrificalibus accumberent neve ea manducarent quae tamquam idolothyta proponerentur. Verbum ἀλισγεῖν habes Eccli. 40,29. Dan. 1,8 (vulg. polluere), Mal. 1,7. 12 (contaminare). Pariter iubentur abstinere a suffocatis et sanguine; cum enim Lev. 17,10 et Iudaeis et alienigenis qui in terra palaestinensi incolebant comestio sanguinis stricte interdicatur, Iudaeis a longa consuetudine abstinendi esus iste videbatur maxime abominabilis. Ex eadem ratione prohibentur suffocata, in quibus sanguis non ipsa occisione est effusus; nam : si quis ceperit feram vel avem, fundat sanguinem eius et operiat illum terra (Lev. 17,13. 14; cf. v. 11,12).

Interdicitur πορνεία, *fornicatio,* scortatio; adhibetur vox de concubitu illicito 1 Cor. 5,1; 6,13. 18; 7,2. 2 Cor. 12,21. Eph. 5,3. Col. 3,5. 1 Thess. 4,13; eodem modo πορνεύειν 1 Cor. 10,8 (Num. 25,1 seq.). Cum talis sit usus ac significatio vocis, et decretum quod scribitur, gentibus scribatur, apud quas nulla alia vocis notio possit supponi, merito haec notio hic quoque retinenda videtur, ita ut fornicatio, concubitus extra matrimonium prohibeatur (cf. *Cai. Salm. Lap. Beel. Calm. Hake, Patr. Thomas* in Revue des quest. hist. 1889 II p. 454, *Weiss;* alios eiusdem sententiae recenset *Schenz* l. c. p. 120 seq.). Sed quomodo gentilibus conversis id explicite prohibetur, quod lege naturali et lege a Christo lata iam interdictum est? erantne hi quasi primorum elementorum disciplinae christianae ac morum ignari? Verum id tibi minus mirum videbitur, si duo tecum perpenderis. Prius est quod Paulus longo tempore post conventum hunc Corinthiis iam ab aliquo tempore conversis scribere necessarium duxit. Eos diserte monet : esca quidem ventri et venter escis; corpus autem non fornicationi, et compluribus argumentis a commercio meretricio, a fornicatione esse abstinendum, committi maximam in Christum iniuriam, templum pollui Spiritus sancti, committi peccatum in ipsum corpus, docere non solum utile, sed necessarium existimavit; atque eiusmodi peccatores in ea urbe fuisse, qui ne moniti quidem de tali peccato volebant agere poenitentiam, ipse asserit 2 Cor. 12,21; ce-

terum vide 1 Cor. 5,1; 6,12-20. Alterum est fornicationem apud gentes habitam fuisse rem indifferentem, imo licitam; imo etiam ad sacrum idolorum cultum haud raro pertinuisse. Notum est quod Micio apud Terentium dicit : non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari (Adelph. I, 2,21). Et ipse Cicero ita perorare non veretur : verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus : negare non possum; sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit ut quod licet non liceret (or. pro. Coelio 20)? Et Horatius (Satir. I, 2. 31 seq.) : quidam notus homo cum exiret fornice « macte Virtute esto », inquit sententia dia Catonis, Nam simul ac venas inflavit taetra libido, Huc iuvenes aequum est descendere. Ad quod Porphyrion : laudavit existimans libidinem compescendam esse sine crimine; et Acron Catonem facit dicentem : adolescens ego te laudavi, tamquam huc interdum venires (cf. *Ritter,* Horatii carmina, Serm. I, 2. 34).

Magna tamen est inter interpretes de hac πορνείᾳ disceptatio. Placuit sat multis vocem referre ad Lev. 18,1 seq. ad prohibitionem matrimoniorum incestuosorum in proximis consanguinitatis vel affinitatis gradibus. Nam Lev. 17,7 prohibetur cultus idololatricus sacrificalis, 17,10. 12-14 prohibetur comestio sanguinis (et consequenter suffocati quoque, quia suffocatum animal retinebat sanguinem); unde pronum videbatur πορνείαν ex eodem loco explicare (cf. *Lightfoot,* Hor. hebr. ad h. l. *Wendt, Bl.* et huius sententiae patronos multos enumerant *Schenz* p. 124 seq. *Felt. Wendt*). Eandem sententiam etiam *Cornely* propugnat, apostolos neophytis ethnicis, uti esum illorum ciborum a quibus Iudaei abhorrebant, ita etiam matrimonia inter consanguineos et affines iuxta legem mosaicam interdixisse (Comment. in 1 Cor. p. 120). Difficultas tamen est in ipsa voce; nam etsi vox hebr. ערוה dicatur apud talmudistas de unaquaque femina cuius congressus consanguinitatis causa in lege est prohibitus sub poena excisionis, ita ut hac ratione mater, soror, filia etc. vocetur ערוה (*Buxtorf,* Lex. talm. p. 1663), tamen difficillimum est intellectu, cur ad hanc rem designandam vox fornicationis seu scortationis sit selecta, vel quomodo ethnici πορνείαν hac speciali notione potuerint intelligere; neque ex 1 Cor. 5,1 potest deduci vocem hac particulari significatione fuisse usu apud veteres receptam. Respondent aliqui legatos missos esse cum decreto qui illud interpretari et πορνείαν ea notione declarare debebant. Utique eiusmodi declaratio perquam necessaria erat; sed malim assumere legislatores apostolos in lege condenda vocem selegisse claram, ex usa linguaque communi petitam, non aenigmaticam, quam tandem discere nobis opus

esset ex rabbinico ערוה, quam vocem Lev. 18,6 seq. LXX reddunt ἀσχημοσύνην, neutiquam πορνείαν. — De aliis multis explicationibus haec accipe : significari idololatriam, quam prophetae quidem ita nominant; prohiberi lascivias quae diebus festis ethnicorum exercerentur; designari πορνικὴν θυσίαν, vel professionem meretriciam, prostitutionem, vel concubinatum, vel polygamiam, vel matrimonium cum infideli, vel deuterogamiam. Neque deerant conatus emendandi textus : χοιρείαν, vel πορκείαν legere oportere, prohiberi scil. carnem suillam in gratiam Iudaeorum. Sed de hisce ingenii foetibus satis.

Cur haec illis mandanda et mittenda sint, additur ratio v. 21 *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur;* inde enim quod lex mosaica et constanter lecta sit maioribus Iudaeorum et perpetuo etiamnum in synagogis recitetur illa abominationi sunt Iudaeis, quam abominationem quasi hereditatem quandam a maioribus acceperint et continua lectione legis foverint; unde necesse est, ut ea in re Iudaeis aliquid concedatur et gentiles ad illa vitanda obligentur (cf. *Hake, Felt. Weiss*), ne Iudaei nimis avertantur a re christiana. Cum decretum fiat pro gentilibus et tota disquisitio illos solum tangat, non potest explicari : non opus est Iudaeis aliquid praecipere, nam Moyses legitur etc.; unde pariter falso infert *Bl.* : significari videtur Iudaeis reliqua quoque praecepta esse servanda. Sed de Iudaeis nihil declaratur. Gentes solvuntur a circumcisione et reliqua observatione legis; quid Iudaeis facere vel omittere liceat, explicite non attingitur. Verum bene iam *Chr.* notat ex iis quae Petrus dicat v. 9-11 necessario consequi legem ne pro Iudaeis quidem iam esse necessariam, sed Iudaeos quoque doceri ut discedant a lege; sed tamen hoc nondum explicite eis dici.

Varie explicant nexum v. 21 ad superiora; haec scil. non scribi Iudaeis quia habent noruntque legem (*Chr. Salm.*); ne Iudaei studio legis addicti querantur deleri Moysen eiusque legem aboleri; libertatem gentibus concessam Moysi nihil officere (*Calm.*); non opus esse ut nos Christifideles solliciti simus de honorando Moyse; eum enim in synagogis satis celebrari a Iudaeis (*Lap.*); vel : si qui pleniorem legis notitiam adipisci fortasse cupiunt, habent quo satis sibi faciant, cum omnibus sabbatis publice ea legatur in synagogis (*Patr.*). Aliter *Beda* : « etsi praeceptorum nunc acerbitate non graventur a nobis, procedente tamen tempore, dum frequentius ad lectionem legis prophetarumque convenerint, paulatim vitae instituta et servandae invicem dilectionis iura suscipient » et *Cassiod.* sufficere ait Moysi quod eius nomen in synagogis omni sabbato sub veneratione nominetur. Longius progressi aliqui acatholici hic enuntiari volunt auctoritatem

perennem ac perpetuam legis mosaicae, ex qua sequatur si solam doctrinam spectaveris legem suam quoque auctoritatem obligationemque gentibus imponere. Verum tum Iacobus sibi ipsi aperte contradiceret (v. 14-18). Demum *Beel.* fateor, inquit, me non satis perspicere, quanam tandem ratione versiculo 21 contineatur causa cur Iacobus voluerit, ut ea quae dixerat v. 20 ethnico-christianis praeciperentur; nec ullum adhuc legi interpretem qui rem, mea quidem sententia, recte explicaverit. — Merito utique hoc dixeris de variis interpretationibus quas modo recensui. Sed ratio supra primo loco data sufficiet aequa postulanti.

d) **Decretum promulgatur 15,22-34.**

15,22. Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus; 23. Scribentes per manus eorum: Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae, fratribus ex gentibus salutem; 24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus; 25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo, 26. Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. 27. Misimus ergo Iudam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. 28. Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria : 29. Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

30. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. 31. Quam quum legissent, gavisi sunt super consolatione. 32. Iudas autem et Silas, et ipsi quum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. 34. Visum est autem Si-

15,22. Τότε ἔδοξε τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι εἰς Ἀντιόχειαν σὺν τῷ Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ, Ἰούδαν τὸν καλούμενον Βαρσαββᾶν, καὶ Σίλαν, ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, 23. γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν· Οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἀδελφοὶ, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαίρειν. 24. ἐπειδὴ ἠκούσαμεν ὅτι τινὲς ἐξ ἡμῶν (ἐξελθόντες) ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις, ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, οἷς οὐ διεστειλάμεθα, 25. ἔδοξεν ἡμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν ἐκλεξαμένοις ἄνδρας πέμψαι πρὸς ὑμᾶς, σὺν τοῖς ἀγαπητοῖς ἡμῶν Βαρνάβᾳ καὶ Παύλῳ, 26. ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 27. ἀπεστάλκαμεν οὖν Ἰούδαν καὶ Σίλαν, καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. 28. ἔδοξεν γὰρ τῷ Πνεύματι τῷ Ἁγίῳ καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τούτων τῶν ἐπάναγκες, 29. ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτῶν καὶ πορνείας. ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. ἔῤῥωσθε.

30. Οἱ μὲν οὖν ἀπολυθέντες κατῆλθον εἰς Ἀντιόχειαν· καὶ συναγαγόντες τὸ πλῆθος, ἐπέδωκαν τὴν ἐπιστολήν. 31. ἀναγνόντες δὲ ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει. 32. Ἰούδας τε καὶ Σίλας, καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ ἐπεστήριξαν. 33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον, ἀπελύθησαν μετ' εἰρήνης ἀπὸ τῶν ἀδελ-

lae ibi remanere; Iudas autem solus abiit Ierusalem. | φῶν πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτούς.

In v. 23 D γραψαντες επιστολην δια χειρος αυτων περιεχουσαν ταδε, sim C gig epistolam continentem haec, ph (mg) epistolam et mittentes in qua erant haec. In v. 24 gig destruentes animas vestras... dicentes : circumcidimini et custodite legem; sim περιτεμνεσθαι etc CEHLP al pler syr ph Chr Theoph Ir. In v. 26 add DE 137. ph (mg) εις παντα πειρασμον, item Bed ex graeco in omnem tentationem. In v. 29 om suffocato Tert Cyp Ambrosiast Hier Pacian; add D aliq minusc ph c* Ir Cyp και οσα etc. uti in v. 20. In v. 30 D add εν ημεραις ολιγαις. In v. 32 D add πληρεις πνευματος αγιου. Non habent v. 34 ℵABEHLP mu minusc am fuld demid ph Chr Theoph.

Quo magis sententia sit fide digna, et scripto traditur et praeter Paulum et Barnabam alii eliguntur qui et epistolam perferant et sententiam latam explicent, ne scil. perturbatoribus illis suspecti esse possint Paulus et Barnabas; nam si hi soli perferrent sententiam, quid homines suae sententiae amantissimi non moverent suspicionis? v. 22 *tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba,* ἐκλεξαμένοις; quod alii testes habent ἐκλεξαμένους eodem modo est explicandum; nam accusativum post dativum poni, ut apud atticos quoque saepe, ita multo magis usuvenit in novo testamento (*Bl.*); non verti potest : electos viros; legit *Chr.* ἐκλεξαμένους ἄνδρας; at recte bis explicat : ἐκλεξάμενοι, εἶπεν, ἄνδρας ἐξ ἡμῶν — *Iudam qui cognominabatur Barsabas,* cum idem sit patronymicum, eum esse fratrem Iosephi 1,23 coniectant (*Lap. Calm. Beel. Patr. Felt.*), *et Silam,* Silvanum, qui futurus est Pauli socius itinerum 15,40; 16,19 seq. 17,4. 10; 18,5. 2 Cor. 1,19. 1 Thess. 1,1. 2 Thess. 1,1, *viros primos in fratribus* ἡγουμένους, qui inter fratres eximia auctoritate pollebant, quasi duces ac principes; erant enim prophetae v. 32; proin doctores ex peculiari Spiritus sancti impulsu, qui singulari honore digni erant. In Doctrina apostolorum praescribitur, ut qui loquitur verbum Dei, honoretur ut dominus (τιμήσεις αὐτὸν ὡς κύριον, 4,1).

Ili itaque viri perferebant epistolam apostolorum et seniorum; v. 23 *scribentes per manus eorum,* γράψαντες est anacoluthon, refertur ad τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις v. 22; quale anacoluthon etiam apud profanos non infrequens est (cf. *Blass,* Grammatik des neutest. Gr. p. 278 seq.). Scripserunt per eos i. e. mittunt scriptum per eos ad fideles : *Apostoli et seniores fratres* non esse legendum καὶ οἱ ἀδ. cum textu recepto hodie critici generatim agnoscunt et probatur 16,4 loco parallelo; sese appellant *fratres,* ut arctam coniunctionem et caritatem cum fratribus, cum fidelibus ad quos scribunt profiteantur, *his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae, fratribus ex gentibus,*

salutem; fratres antiocheni nominantur primo loco, cum in ea metropoli Syriae disceptatio orta sit; dirigitur epistola ad ethnico-Christianos quos secum fratres nominant in Syria et Cilicia; iis in regionibus Paulus multum laboravit (cf. Gal. 1,21) ibique cum plurimi quoque Iudaei incolerent haec disceptatio agitabatur; Tarsus, Pauli patria, metropolis erat Ciliciae. Iis itaque speciali ratione decretum mittitur; verum, ubi eaedem conditiones, eademque vel necessitas vel opportunitas propter commercium cum Iudaeis inveniebantur, ibi quoque decretum esse promulgatum et valuisse quamdiu ratio eius requirebat, discimus ex 16,4.

Primo exponitur occasio et necessitas scribendi v. 24 *quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis* ἐτάραξαν, eodem verbo apostolus iudaizantium conatus artesque malas designat Gal. 1,7; 5,10; *evertentes animas vestras,* destruentes, corrumpentes scil. falsa doctrina; « animas quae iam firmatae erant ἀνασκευάζοντες quasi in aedificio quae ab illis facta erant ponentes » (*Chr.*), *quibus non mandavimus,* paucis sed efficacibus verbis pernicies et fraus iudaizantium depingitur omnique auctoritate destituti ecclesiarum perturbatores et adversarii apostolorum palam traducuntur. Dein exponitur, quibus obviam ire censuerint et destruere eorum conatus v. 25 *placuit nobis collectis in unum* γενομένοις ὁμοθυμαδόν postquam unanimes facti sumus, postquam scil. omnium consensu singula sunt discussa et statuta, *eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo,* v. 26 *hominibus qui tradiderunt animas suas,* qui non dubitarunt se suamque vitam omni periculo ac discrimini exponere, *pro nomine Domini nostri Iesu Christi,* ut nomen eius ubique annuntiarent et notum facerent; alludunt ad persecutiones Antiochiae, Iconii, Lystris contra eos factas. Laus Pauli et socii ora eorum obstruxit (*Chr.*); nam eo elogio donantur ad sinistram de puritate fidei illorum opinionem ex animis Iudaeorum, si quam illi conceperant, abolendam; ambo enim neophytorum libertatem propugnantes invidiam incurrerant iudaizantium (*Calm.*).

Prudenter alii quoque mittuntur, « ne utervis suspectus esset quia dogma illud amplexus erat » (*Chr.*); unde consultum erat ut decretum per alios perferretur et promulgaretur; v. 27 *misimus ergo Iudam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem; ergo* refertur ad v. 25; eadem quae litteris continentur etiam verbis explanabunt; *Weiss* hic adnotat, si idem dicere debent, quod etiam Paulus et Barnabas dicunt, plane superflue eos mitti; criticus non videt, cur valde prudenter et opportune propter iudaizantes eligantur Iudaei hierosolymitani; si ageretur de scriptore profano certe vidisset; sed suum

« redactorem » sibi fingit satis ineptum, qui in v. 12.22 totam addiderit multitudinem, ecclesiam, de qua in v. 6 nihil continetur, et qui proin illam contradictionem et fontis historici perversionem narrationi asperserit. Sed quis non videt varios distingui conventus?

Iam sollemni formula declaratur quid constitutum sit v. 28 *visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria,* v. 29 *ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione;* vide ad v. 20; tria priora utique necessaria sunt ratione habita commercii cum Iudaeis; sunt itaque propter conditionem et aversionem Iudaeorum necessaria; proin pro illis quibus ea prohibentur possunt dici simpliciter necessaria secundum mentem apostolorum. Quare immerito oggerit *Weiss* vocem τῶν ἐπάναγκες non congruere cum v. 21; *a quibus custodientes vos bene agetis,* εὖ πράξετε, bene vos habebitis, feliciter vivetis (*Lap.*); aderit pax et concordia; εὖ πράττειν est graeca formula in epistolis (*Bl.;* cf. Eph. 6,21), sicut etiam : *valete,* ἔρρωσθε; cf. 21,30, uti eadem graeca usi sunt formula in initio χαίρειν. Haec itaque illis praescribuntur, imponuntur novo titulo eousque inaudito, non vi legis mosaicae (Lev. 17), sed auctoritate apostolorum, qui simul profitentur suum decretum dirigente ac docente Spiritu sancto esse confectum. Exercent ergo potestatem legiferam, praecipiunt cum auctoritate; sciunt se duci per Spiritum sanctum. En, ita iam opere manifestantur quae Iesus dedit ac promisit: cf. Matth. 18,18. Ioan. 14,26; 15,26; 16,13.

Bene notat *Bl.* : « multi fidem universam huius decreti impugnarunt, innixi maxime Pauli verbis Gal. 2,6 seq. cur vero Paulus decretum commemoraret? num auctoritate egebat apostolorum ad praecepta sua iniungenda, cum semper praedicet se illis non minorem esse? itaque nihil est, cur de Lucae fide dubitemus ». Etiam melius, cur decreti non mentionem faciat, respondet *Cornely,* Introd. III. 2. ed. p. 334; agebatur quippe apud Galatas nullatenus de sententia reprobata : nisi circumcidamini, non potestis salvari; quaestio erat plane alia, cf. Gal. 3,3 (cf. *Cornely* l. c. p. 422 seq. et eius Comment. in Gal.). Alio modo fidem narrationis convellere studet *Weizs.* (p. 179 seq.); tale decretum aliquando exstitisse et habere proin auctoritatem historicam concedit. At negat eo tempore in conventu apostolorum esse conditum. Cur negat? respondet : decretum ratione addita a Iacobo eo loco non solvit quaestionem in Ierusalem propositam; neque enim decernitur quid gentiles debeant observare, ut sint christiani, sed iis praescribitur, quid observare debeant, ubi cum Iudaeis versantur; quaestio de communione fidei non soluta est. —

Sed quaestio in Ierusalem agitata habetur v. 5; et si quis legit : nihil ultra vobis imponere etc. habet clarum ad quaestionem responsum. — Decreto hoc solum declaratur *gentibus non imponi* observationem legis mosaicae. De Iudaeo-christianis nihil decernitur. Unde Iudaeo-christiani poterant pergere in stricta observatione, qua fieri poterat, ut a mensa ethnico-christianorum et eorum conviviis abstinerent; cuius rei exemplum habes Gal. 2,12. Pariter iudaizantes decreto illo non impediebantur, quominus persuadere niterentur gentilibus, ut essent *perfecti* christiani, *eodem plane censu et ordine* cum Iudaeo-christianis, requiri observationem legis. Id quod apud Galatas revera tentabant. — De observatione decreti etiam tempore posteriore vide quae afferunt *Schenz* l. c. p. 172 seq., *Cornely,* Introd. III l. c. Pars dogmatica observationem legis mosaicae non esse ad salutem necessariam neque eam a gentibus exigi posse, utique semper valuit et valet. Pars disciplinam spectans de tribus illis prioribus pertinebat proprie ad eos ad quos decretum ipsa inscriptione dirigitur; debuit observari quamdiu conditiones erant eaedem; cessabat vero eo ipso temporis decursu mutatione conditionum, v. g. quando iam nulla ratio erat habenda Iudaeorum. Postmodum unum v. g. de comestione sanguinis iniungebatur iterum variis conciliis particularibus ob varias rationes; pariter consultum erat neophytis idolothyta interdicere. Ceterum vide quomodo in alia ecclesia Paulus de ea quaestione statuat (1 Cor. 10,25).

In altera lectione effertur illos *celeriter* Antiochiam descendisse, sane prae gaudio et desiderio, ut fratribus quos iudaizantes turbaverant et qui non sine aliqua forte anxietate decretum apostolorum ex Ierusalem praestolabantur, consolationem pacemque optatissimam perferrent; v. 30 *illi ergo dimissi* ἐν ἡμέραις ὀλίγαις *descenderunt Antiochiam et congregata multitudine tradiderunt epistolam;* v. 31 *quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione;* summa enim epistolae est eos liberos esse a lege mosaica et qui contra docuissent, nulla ratione ab apostolis esse missos, sed esse perturbatores. Iudas et Silas etiam agunt quod ipsis in epistola v. 27 erat iniunctum; v. 32 *Iudas autem et Silas et ipsi cum essent prophetae* (cf. 13,1) *verbo plurimo consolati sunt fratres et confirmaverunt;* suo exemplo praeeuntes iudaizantibus, ut amice ac familiariter agerent cum eis; v. 33 *facto autem ibi aliquanto tempore dimissi sunt cum pace a fratribus,* vade in pace, ite in pace (16,21. Luc. 7,50) formula est hebraea qua discedentes valere iubentur (*Bl.*); ergo a coetu fidelium datur illis potestas redeundi *ad eos qui miserant illos,* et eo fideles simul declarant illos munus ab apostolis iniunctum explevisse.

Recte addi apud aliquos testes (C D mu minusc sah ph c* gig) v. 34 patet ex v. 40, neque contradicitur eo addito ei quod modo dictum est. Nam in v. 33 a coetu fidelium expleto munere illis abeundi fit potestas; nunc explicatur quid utrique visum fuerit agere v. 34 *visum est autem Silae ibi remanere; Iudas autem solus abiit Ierusalem;* merito retinet *Bl.* hunc versum. Nulla iis incumbebat necessitas redeundi Ierusalem, neque ex v. 22, neque ex v. 27. Videtur Silas iam animo sibi proposuisse annuntiationem evangelii inter gentes. Cum Silas esset ἡγούμενος in fratribus, eius Antiochiae commoratio longior et sponte facta non poterat non esse utilitati gentilibus conversis eorumque cum Iudaistis commercio et consuetudini; huius enim viri tantae auctoritatis exemplum videbant illi.

3. *Secundum iter apostolicum* 15,35-18,22.

Paulus electo Sila comite ac socio prius visitat ecclesias, quibus antea iam praedicaverat, ecclesias Syriae, Ciliciae, Lycaoniae iisque decretum apostolorum tradit. Timotheo quoque assumpto per Phrygiam et Galaticam regionem venit Mysiam. Inde visione quadam vocatur ut pergat in Macedoniam; Troade alius ei adiungitur socius, Lucas. Praedicatur evangelium Philippis, Thessalonicae, Beroeae, Athenis, et longiore commoratione Corinthi. Ab hac urbe navigavit Ephesum; ab Epheso per Caesaream et Ierusalem rediit Antiochiam.

a) **Paulus visitat ecclesias 15,35-16,5.**

15,35. Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. 37. Barnabas autem volebat secum assumere et Ioannem qui cognominabatur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. 39. Facta est autem dissensio, ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum. 40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus. 41. Perambula-

15,35. Παῦλος δὲ καὶ Βαρνάβας διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ, διδάσκοντες καὶ εὐαγγελιζόμενοι, μετὰ καὶ ἑτέρων πολλῶν, τὸν λόγον τοῦ Κυρίου. 36. μετὰ δέ τινας ἡμέρας εἶπεν πρὸς Βαρνάβαν Παῦλος, Ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ Κυρίου, πῶς ἔχουσιν, 37. Βαρνάβας δὲ ἐβούλετο συμπαραλαβεῖν καὶ τὸν Ἰωάννην τὸν καλούμενον Μάρκον· 38. Παῦλος δὲ ἠξίου, τὸν ἀποστάντα ἀπ' αὐτῶν ἀπὸ Παμφυλίας, καὶ μὴ συνελθόντα αὐτοῖς εἰς τὸ ἔργον, μὴ συνπαραλαμβάνειν τοῦτον. 39. ἐγένετο δὲ παροξυσμὸς, ὥστε ἀποχωρισθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, τόν τε Βαρνάβαν παραλαβόντα τὸν Μάρκον ἐκπλεῦσαι εἰς Κύπρον· 40. Παῦλος δὲ ἐπιλεξάμενος Σίλαν ἐξῆλθεν παραδοθεὶς τῇ

bat autem Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum.

16,1. Pervenit autem Derben et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris Iudaeae fidelis, patre gentili. 2. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant et Iconio fratres. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci; et assumens circumcidit eum propter Iudaeos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat gentilis. 4. Quum autem pertransirent civitates, tradebant eis cutodire dogmata quae erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Ierosolymis. 5. Et ecclesiae quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie.

χάριτι τοῦ Κυρίου ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. 41. διήρχετο δὲ τὴν Συρίαν καὶ τὴν Κιλικίαν, ἐπιστηρίζων τὰς ἐκκλησίας.

16,1. Κατήντησεν δὲ καὶ εἰς Δέρβην καὶ εἰς Λύστραν· καὶ ἰδοὺ, μαθητής τις ἦν ἐκεῖ ὀνόματι Τιμόθεος, υἱὸς γυναικὸς Ἰουδαίας πιστῆς, πατρὸς δὲ Ἕλληνος· 2. ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν. 3. τοῦτον ἠθέλησεν ὁ Παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν, καὶ λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις· ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες ὅτι Ἕλλην ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπῆρχεν. 4. ὡς δὲ διεπορεύοντο τὰς πόλεις, παρεδίδοσαν αὐτοῖς φυλάσσειν τὰ δόγματα τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις. 5. αἱ μὲν οὖν ἐκκλησίαι ἐστερεοῦντο τῇ πίστει, καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ καθ' ἡμέραν.

In v. 38 D ουκ εβουλετο λεγων... εργον εις ο επεμφθησαν τουτον μη ειναι συν αυτοις. In v. 39 D τοτε βαρναβας παραλαβων τον μ. επλευσεν; sim gig. In v. 41 add D παραδιδους τας εντολας των πρεσβυτερων, sim gig ph (mg) vulg (excipe am tol). In 16,1 D διελθων δε τα εθνη ταυτα κατηντησεν, sim ph (mg); Cassiod gig et cum circuisset civitates devenit. In v. 4 D διερχομενοι δε τας πολεις εκηρυσσον και παρεδιδοσαν αυτοις μετα πασης παρρησιας τον κυριον ιν χν αμα παραδιδοντες και τας εντολας των etc, sim ph (mg).

In hac commoratione antiochena accidisse illud quod Gal. 2,12 seq. narratur, iam *Beda, Salm.* aliique adnotant. Cur Lucas id omiserit, critici et vituperant et inquirunt. Sed cur eius rei mentionem faceret? Nulla erat in doctrina dissensio, uti ex Gal. 2,6. 16 seq. evidenter patet; pariter elucet Petrum alias, quando non exsistebat occasio offensionis Iudaeorum, « gentiliter vixisse », proin commercium cum neophytis omnino habuisse. Cum itaque talis fuerit consensus et doctrinae et conversationis inter Petrum et Paulum, Lucas non debuit referre cur semel in occasione satis difficili Petrus censeret parcendum esse praeiudiciis Iudaeorum, Paulus vero damnum quoddam neophytorum averti debere existimaret. Paulus id commemorat aptum pro Galatarum institutione; id in epistola scribit magis ut rem privatam; Lucas, scriptor rerum, id omisit, quia ad rerum quas tractat cognitionem nihil addit. Si autem *Weizs.* contendit Petri modo agendi quem in conventu observarit plane excludi illud quod Gal. 2,12 referatur, solum ostendit se minime perspexisse decreto illo *gentiles solum* liberos declarari a legis observatione. Porro si Paulus Iudaeis factus est Iudaeus, ut Iudaeos lucrifaceret (1 Cor. 9,19), cur non etiam Petrus

non obstante oratione illa 15,13 seq.? v. 35 *Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae docentes et evangelizantes cum aliis plurimis verbum Domini;* v. 36 *post aliquot autem dies,* non diu itaque Antiochiae docebat Paulus, postquam Iudas abiit, *dixit ad Barnabam Paulus : revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant;* pro more veri apostoli tenetur sollicitudine omnium ecclesiarum (2 Cor. 11,28); simul scit sua praesentia fore ut aliquid gratiae spiritualis tribuatur fidelibus (Rom. 1,11) et opus esse, ut grex visitetur a pastore, ut infirma consolidet, aegrota sanet, confracta alliget, abiecta reducat, quaerat quod perierat (Ez. 34,4. 16).

Verum ibi exstitit aliqua dissensionis causa v. 37 *Barnabas autem volebat secum assumere et Ioannem qui cognominabatur Marcus,* qui eius erat consobrinus (Col. 4,10); v. 38 *Paulus autem rogabat eum* ἠξίου iustum, aequum iudicavit et congruum, *ut qui discessisset ab eis de Pamphylia* 13,13 « vel metu persecutionis vel fuga laboris vel amore matris degentis in Ierusalem » (*Lap.*), *et non isset cum eis in opus, non debere recipi;* deesse adhuc in eo animi fortitudinem ac constantiam et robur ad labores tolerandos Paulus censuit; ipse enim cum esset vir tenax propositi et fortissimae in rebus exsequendis constantiae minime tolerare potuit speciem inconstantiae et infirmitatis; unde cum uterque in sua permaneret sententia, pro qua utrique non deerant rationes probabiles ac graves v. 39 *facta est autem dissensio* παροξυσμός, irritatio, e vehementi scil. studio eius quod unus secus atque alter magis expedire existimabat (*Patr.*); est irritatio illa, qua duo aut intellectu aut voluntate, aut utroque inter se dissentiunt; Paulus zelo ductus iustitiae renuebat in suum comitatum Marcum esse admittendum; Barnabas zelo mansuetudinis ac lenitatis consulebat esse recipiendum; putabat enim aetati esse aliquid veniae dandum, quod tiro molestiis inter initia succubuerat (*Salm.*); « noli hoc delictum putare; non enim commoveri malum est, sed irrationabiliter, nulloque iusto flagitante negotio commoveri » (*Beda*); *ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum,* ubi scil. ipse Cyprius genere (4,36), praedicaverat antea (13,4 seq.); hae igitur ecclesiae etiam visitandae erant. Dissensio facta est, non inimicitia neque contentio (οὐκ ἔχθρα οὐδὲ φιλονεικία); plurimum vero Marco profuit haec pugna; Pauli nempe severitas convertit illum; benignitas autem Barnabae fecit ut ne relinqueretur (*Chr.*). Fortasse Paulus ideo quoque discessum Barnabae non impedivit, quia ille Antiochiae non satis constantem se praestiterit in iuribus neophytorum defendendis (Gal. 2,13). Ceterum irritationem illam

mox cessisse discimus, cum Paulus mox iterum habuerit Barnabam socium (1 Cor. 9,6), imo et Marcum (Col. 4,10).

Dissensione id quoque commodi allatum est, ut visitarentur plures ecclesiae eodem tempore; v. 40 *Paulus vero electo Sila profectus est traditus gratiae Dei a fratribus;* cf. 14,25; exinde Silas fidelis est Pauli socius 16,19 seq. 17,4 seq. 18,4. 2 Cor. 1,19. 1 Thess. 1,1. Non miraberis, criticum virum *Weiss* rem melius scire: nam statuit Silam non fuisse Antiochiae eo tempore ex v. 33; unde pariter a fide historiae alienum esse modum quo hic Paulus dicatur iter suum apostolicum coniungere cum approbatione suae praedicationis, quae facta sit in Ierusalem. Verum eadem approbatio a Paulo quoque asseritur (Gal. 2,6) et quamvis Silas in Ierusalem profectus esset — quod nequaquam ex v. 33 sequitur, unde scit « criticus » eum non redisse Antiochiam et quid de 16,19 seq.? ibi et in sequentibus Silam socium esse Pauli, *Weiss* quoque agnoscit! v. 41 *perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias;* etiam hic mirantur aliqui critici ecclesias commemorari, de quarum fundatione antea non fuerit mentio; at dictum est Paulum Tarsi versari (9,30; 11,25) et eo ipso quod Paulus post v. 36 has ecclesias invisit, satis indicatur ibi Paulum praedicasse, id quod cum Gal. 1,21 bene congruit. Ergo non est, cur ingenia critica turbentur; additur apud quosdam testes : *praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum;* iis enim ecclesiis inscripta sunt v. 23.

Ex Antiochia iter faciens per Syriam et Ciliciam tandem in Lycaoniam venit 16,1 *pervenit autem Derben et Lystram;* cf. 14,6; *et ecce discipulus quidam erat ibi, Timotheus, filius mulieris iudaicae fidelis, patre gentili;* hic itaque iam in primo itinere apostolico ad fidem accesserat et ex eo tempore plurimum fide et zelo se fratribus probaverat; v. 2 *huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant et Iconio fratres;* perspexit apostolus optimam adolescentis indolem eumque dignum fore evangelii praeconem fidelemque suum socium merito speravit; neque deceptus est; vide enim quas laudes ei postea tribuat Phil. 2,20-22; ei commisit negotia difficilia (1 Cor. 4,17; 16,10. 1 Thess. 3,2. etc.) et vide utramque ad eum epistolam; v. 3 *hunc voluit Paulus secum proficisci;* eum fuisse satis in iuvenili aetate, elucet ex 1 Tim. 4,12; nam circa annum 65 adhuc ei scribit : nemo adolescentiam tuam (σου τῆς νεότητος) contemnat; *et assumens circumcidit eum propter Iudaeos qui erant in illis locis; sciebant enim omnes quod pater eius erat gentilis;* profitetur enim Paulus : et factus sum Iudaeis tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer, iis qui sub lege sunt quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem (1 Cor. 9,20.21).

Id secutus Timotheum circumcidit, ut aptus evaderet ad evangelium Iudaeis praedicandum; libentius enim isti admittunt et audiunt circumcisum; cum eo licet libere versari, ad eum accedere. Proin id fecit quod ad id quod intendebat maximae erat utilitatis. Neque enim (ut perperam in breviario legitur) eum circumcidit propter Iudaeos qui crediderant; hoc Paulus nunquam fecisset; talibus restitit qui circumcisionem Titi postulabant (Gal. 2,3. 5); sed solum quia, ut *Chr.* dicit, Iudaei non tulissent audire verbum ab incircumciso. Accedebat ratio alia quia mater eius erat iudaea; filius autem mulieris israelitae, eo ipso censebatur Israelita (cf. *Wetst.* ad h. l.); nam partus sequitur ventrem, etiam apud illos valebat; unde talis filius incircumcisus a Iudaeis habitus esset abominationi tamquam apostata a religione Dei et foedere. Viri quidam critici hic iterum omne acumen criticum abiiciunt clamantes hanc circumcisionem esse aperte a Luca fictam, fictam contra omnem historiae fidem, fictam, ut Paulus legis observator falso demonstraretur et consentiens cum priscis apostolis (cf. *Baur, Zeller, Overb. Hilg.* partim *Weizs.*). Verum hodie iam *Wendt, Weiss, Bl.* aliique illos criticos egregie refutant, neque id difficile est attentis rerum conditionibus iisque quae Paulus statuit 1 Cor. 7,19; 9,20.

Reliquas quoque civitates, Iconium, Antiochiam, Pergen, Attaliam visitatas esse ex 15,36 concluseris et indicatur v. 4 *cum autem pertransirent civitates* Paulus, Silas, Timotheus, *tradebant eis custodire dogmata quae erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Ierosolymis;* nam iis in regionibus multi erant Iudaei, unde eadem rerum conditio reperiebatur, ob quam decretum illud conditum erat. Ceterum vide notam ad 15,23. Alia lectione statuitur eos etiam magna libertate evangelium praedicasse, proin evangelium apud alios propagasse. Id etiam ex nostro textu colligitur; nam eum in finem Timotheus fuit circumcisus et indicatur quoque clare v. 5 *et ecclesiae quidem confirmabantur fide,* maiorem acceperunt cognitionem et firmitatem fidei; vita fidelium ad fidei normam stabili ratione exigebatur, *et abundabant numero quotidie,* augescebant in dies numero; en fructus duplex visitationis apostolicae.

b) Iter per Asiam minorem et in Macedoniam 16,6-15.

16,6. Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. 7. Quum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam; et non per-

16,6. Διῆλθον δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν, κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, 7. ἐλθόντες δὲ κατὰ τὴν Μυσίαν ἐπείραζον εἰς τὴν Βιθυνίαν πορευθῆναι καὶ

misit eos Spiritus Iesu. 8. Quum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem; 9. Et visio per noctem Paulo ostensa est : vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum et dicens : Transiens in Macedoniam, adiuva nos. 10. Ut autem visum vidit, statim quaesivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis.

11. Navigantes autem a Troade recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Neapolim; 12. Et inde Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, ubi videbatur oratio esse; et sedentes loquebamur mulieribus quae convenerant. 14. Et quaedam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum audivit : cuius Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur a Paulo. 15. Quum autem baptizata esset et domus eius, deprecata est dicens : Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coegit nos.

οὐκ εἴασεν αὐτοὺς τὸ Πνεῦμα Ἰησοῦ, 8. παρελθόντες δὲ τὴν Μυσίαν, κατέβησαν εἰς Τρωάδα. 9. καὶ ὅραμα διὰ νυκτὸς τῷ Παύλῳ ὤφθη· ἀνὴρ Μακεδών τις ἦν ἑστὼς καὶ παρακαλῶν αὐτὸν καὶ λέγων, Διαβὰς εἰς Μακεδονίαν βοήθησον ἡμῖν. 10. ὡς δὲ τὸ ὅραμα εἶδεν, εὐθέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς Μακεδονίαν, συμβιβάζοντες ὅτι προσκέκληται ἡμᾶς ὁ Θεὸς εὐαγγελίσασθαι αὐτούς.

11. Ἀναχθέντες οὖν ἀπὸ Τρωάδος, εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθράκην, τῇ δὲ ἐπιούσῃ εἰς Νέαν Πόλιν, 12. κἀκεῖθεν εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶν πρώτη μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολωνία. Ἦμεν δὲ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει διατρίβοντες ἡμέρας τινάς, 13. τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πύλης παρὰ ποταμόν, οὗ ἐνομίζομεν προσευχὴν εἶναι, καὶ καθίσαντες ἐλαλοῦμεν ταῖς συνελθούσαις γυναιξίν. 14. Καί τις γυνὴ ὀνόματι Λυδία, πορφυρόπωλις πόλεως Θυατείρων, σεβομένη τὸν Θεόν, ἤκουεν· ἧς ὁ Κύριος διήνοιξεν τὴν καρδίαν, προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ Παύλου. 15. ὡς δὲ ἐβαπτίσθη, καὶ ὁ οἶκος αὐτῆς, παρεκάλεσεν λέγουσα, Εἰ κεκρίκατέ με πιστὴν τῷ Κυρίῳ εἶναι, εἰσελθόντες εἰς τὸν οἶκόν μου μένετε· καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς.

In v. 6 διηλθον ℵ A B C D E plu minusc cat syr (utr) sah cop arm aeth Epiph Did Caes; gig pertransiebant... prohibiti. In v. 7 D ηθελαν εις Βιθ πορευεσθαι; sim syr. In v. 9 D και εν οραματι δια ν. ωφθη τω Π. ωσει ανηρ Μακ. τις εστως κατα προσωπον αυτου; sim ph c*. In v. 10 D διεγερθεις ουν διηγησατο το οραμα ημιν και ενοησαμεν οτι, item sah; ο κυριος D H L P al longe plu syr (utr) sah arm Ir Chr. In v. 11 D 137. τη δε επαυριον αναχθεντες, item ph (mg). In v. 12 *Bl* WH (in append.) coniectant πρωτης μεριδος της Μακ. et invenitur in versione quadam saec. 13 et in quodam codice latino; vide *Bl.* Acta p. XXVI. In v. 13 D εδοκει προσευχη ειναι; item e gig vg. In v. 15 gig haec cum baptizata esset cum omnibus suis, rogabat dicens... introeuntes... manete.

Visitatione ecclesiarum absoluta apostolus cum sociis, Sila et Timotheo, alias regiones ingreditur evangelii praedicandi causa. Et ipse quidem voluit occidentem versus in Asiam propriam pergere (Mysiam, Ioniam, Lydiam, Cariam); quod ne faceret prohibitus est a Spiritu sancto. Quare iter instituit septemtrionem versus et in Phrygia et in galatica regione praedicabat. Id summatim indicatur in v. 6 διῆλθον, pertransibant (gig) Phrygiam et galaticam regionem, κωλυθέντες prohibiti a Spiritu sancto etc. i. e. quia vel postquam prohibiti sunt; eodem modo versio vulg. intelligi debet v. 6 *transeuntes autem*

Phrygiam, quae Phrygia magna nomen habuit et cuius pars inter boreales Lycaoniae et meridianos Galatiae usque ad orientales Cappadociae terminos excurrebat (*Patr.*); ibi quoque multi incolebant Iudaei; nam iam Antiochus magnus duo millia familiarum (οἴκους) Iudaeorum ex Mesopotamia et Babylonia in Lydiam et Phrygiam sedes transferre iusserat (*Iosephus,* Antiq. 12,3,4) *et Galatiae regionem;* priscae enim Phrygiae pars a Galatis, Gallis, Keltis fuit occupata; iude nomen ei factum Galatiae, galaticae regionis; fuisse olim unam regionem fortasse indicatur eo quod utraque regio uno articulo τὴν Φρ. καὶ Γαλατικὴν χώραν comprehenditur; urbes habuit haec regio Pessinunta, Ancyram, Tavium. Evangelium ibi praedicatum esse, proin διῆλθον eo sensu esse intelligendum, elucet ex 18,23. Ibi vero annuntiatum est quia *vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia,* intellige Asiam propriam, provinciam sic dictam.

Cum ibi igitur praedicassent, profecti ad confinia Mysiae inde in Bithyniam tendere volebant; nam in Mysia, quae ad Asiam pertinebat, prohibiti erant a praedicatione v. 7 *cum venissent autem in Mysiam* κατὰ i. e. versus Mysiam, ad confinia Mysiae (*Bl.*), quae est regio maxime borealis Asiae propriae, Mysia minor, *tentabant ire in Bithyniam,* positam inter Pontum euxinum, Paphlagoniam, Galatiam, Phrygiam magnam, Mysiam minorem et Propontidem (*Patr.*) *et non permisit eos spiritus Iesu;* v. 8 *cum autem pertransissent Mysiam descenderunt Troadem;* nomen Troas proprium fuit regionis mari aegaeo adiacentis inter Mysiam minorem maioremque; huius regionis urbs primaria, in litore posita, proprium nomen habuit Alexandria, quo vero aliis urbibus sic nuncupatis distingueretur, Ἀλεξάνδρεια ἡ Τρῳάς, vel sicut ipsa regio Troas vocari solita fuit (*Patr.*). Hoc loco ipsa urbs intelligitur, ab Augusto colonia aucta, ad mare sita contra Tenedum (*Bl.*). Ibi iam Christianos fuisse, colligi potest quia ibi Lucas se adiunxit apostolo (v. 10); in pentecoste enim etiam ex Asia aderant in urbe (2,9) per quos nuntius messianus huic quoque regioni est allatus. Et fortasse haec erat ratio, cur Paulus prohiberetur in Asia praedicare, quo citius scil. amandaretur ad regiones, ubi Christus nondum erat nominatus.

Apostolo novus laboris campus ostenditur v. 9 *et visio per noctem Paulo ostensa est : vir Macedo quidam,* satis bene altera lectio ὤφθη τῷ Π. ὡσεὶ ἀνὴρ etc.; unde noverat Paulus esse Macedonem? « poterat vidisse die proximo Troade Macedones quosdam, chlamyde causiaque insignes; inde facile agnoscebat » (*Bl.*). At ea re ne opus quidem est; cum enim audiret Paulus : transiens in Macedoniam adiuva *nos,* virum esse Macedonem erat manifestum. Id accidisse mox ubi Paulus

Troadem advenerat, ex eo quoque collige quia in Asia prohibitus erat praedicare; id ex ipsa narrationis forma comperiri *Patr.* dicit; *erat stans* in altera lectione κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, quam dictionem, cum in novo testamento apud solum Lucam reperiamus (2,31; Act. 3,23; 25, 16), non ab alio quodam, sed ab ipso Luca esse adscriptam *Bels.* existimat; *et deprecans eum et dicens : transiens in Macedoniam adiuva nos;* pergitur in altera lectione : expergefactus (διεγερθείς) ergo narravit *nobis* visionem et intelleximus etc.; v. 10 *ut autem visum vidit, statim quaesivimus proficisci in Macedoniam, certi facti,* συμβιβάζοντες, στοχαζόμενοι (*Chr.*); cf. 9,22; colligentes, concludentes, *quod vocasset nos Deus evangelizare eis;* ibi igitur adfuisse Lucam ipso narrandi modo patet; ad rem notat *Bl. :* « potuit Lucas, ut Pauli comes, in enarrandis eius rebus gestis interdum persona prima uti, de eis scilicet, quae communiter acta erant neque Paulum actorem primarium habebant; sicut autem dicere potuit ἐπορευόμεθα, ita minime debuit, etsi adfuerat ipse; itaque ubi prima persona est, cognoscimus adfuisse Lucam; at ubi tertia, non cognoscimus eundem afuisse. Valebat in hac re magis occasio quam consilium; potuitque usus primae personae paullatim in consuetudinem vertere, id quod factum revera videmus » (p. 10).

Et quam prompte obedierint et ipsa divina providentia disponente quam cito iis praesto fuerit navigandi opportunitas in altera lectione effertur : postera die v. 11 *navigantes autem a Troade* ἀναχθέντες 13,13, *recto cursu venimus Samothraciam* εὐθυδρομήσαμεν 21,1 de cursu secundo; Samothrace insula libera maris aegaei, a Thraciae ora distans 38 millia passuum, circuitus 32 m. p.; attollitur monte Saoce 10 m. p. altitudinis, vel importuosissima omnium (ita *Plinius,* n. h. 4,23; al. 73; cf. *Strabo* 7,49. 50) *et sequenti die Neapolim,* oppidum ad mare e regione Thasi situm (*Dio Cass.* 47,35) in sinu strymonico; Datenorum urbs est Neapolis καὶ αὐτὸ τὸ Δάτον, arva habens frugifera et portum et fluvios et navium fabricas et auri fodinas quaestuosas (*Strabo* 7,36). Verum, uti iam *Chr.* notat, solebat Paulus oppida minora praeterire, et in maioribus morari; quare Neapoli non substitit, sed ad nobiliorem urbem properavit, ex qua dein toti quoque regioni prospicere haud erat difficile; v. 12 *et inde Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas, colonia;* urbem ex pago, cui Crenides nomen erat (*Strabo* 7,34. 42) exstruxit Philippus I Macedo; sita est ad Pangaeum montem, inter Strymonem et Nestum fluvios. De textu iam ita habet *Patr. :* « ne dubites quin Lucas scripserit πρώτης *primae* quod et absentia articuli ante nomen πρώτη et auctoritas (*Cavedoni,* Numismatica bibl. Append. II p. 119) com-

probant, res vero ipsa certum praestat. Paulus Aemilius subactam Macedoniam in quatuor partes divisit; primae partis, in qua erant Philippi, caput fecit non hanc urbem, sed Amphipolim (*Livius* 45, 29). Prima haec Macedoniae pars[1] posita erat inter fluvios Strymonem et Nestum, quam regionem Philippus Thraciae ademptam attribuit Macedoniae, proptereaque geographi Macedoniam adiectam vocare solent; hinc causa, cur quidam scriptores, etiam seriores, ut Plinius (n. h. 4,11 al. 18 al. 42), Philippos, non secus ac Neapolim, Thraciae urbibus annumerant ».

Hac utique lectione : quae est primae partis Macedoniae civitas, res est clara et omnis evanescit difficultas et quaestio, quomodo prima civitas vocari possit. Eam acceptionem etiam prae se fert lectio quam *Beda* praebet : quae est prima parte Macedoniae civitas. Eodem modo legit *Bl.* ἥτις ἐστὶν πρώτης μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, cui acceptioni *Bels.* quoque applaudit : quae est in prima parte Macedoniae urbs; erat etiam *colonia,* iuris scil. italici; Octavianus illuc coloniam deduxerat (*Dio Cass.* 51,4; *Plinius* 4,11 al. 18) ex iis qui ab Antonio steterant; ἀξίωμά ἐστιν πόλεως ἡ κολωνεία (*Chr.*).

Lectionem pervulgatam ἥτις ἐστὶν πρώτη vario explicare tentabant. Eam urbem *primam* vel caput (D κεφαλη) fuisse illius partis Macedoniae *Wetst.* censet : « videtur igitur post proelium philippense in locum Amphipoleos fuisse evectos Philippos »; sed eius partis urbs primaria erat Amphipolis; nam « capita regionum, ubi concilia fierent, primae regionis Amphipolim, secundae Thessalonicen, tertiae Pellam, quartae Pelagoniam fecit » (Aem. Paullus; *Livius* 45,29). Alii titulum ibi honoris agnoscebant; in Asia minore quidem urbes titulo πρώτη ornabantur; sed in aliis quoque regionibus eum usum et titulum valuisse ostendi nequit. Urbem designari nobiliorem *Salm.* censet; ita dici quia venientibus a Neapoli, tunc Thraciae urbe, Philippi erant macedonica urbs prima, sive proxima (*Beel. Lap. Felt.*); sed cur tum adderetur μερίδος vel τῆς μερίδος? Melius vidit *Calm.* : prima est Romanorum colonia quae e Thracia in Macedoniam venientibus occurrit; non ait primam urbem esse, cum antea Neapolim obviam habuerit, sed primam coloniam. Cui acceptioni *Wendt* calculum adiicit; at in ea quoque explicatione non satis congruit illud τῆς μερίδος. Contentus est *Weiss* exponere urbem eminere prae aliis (eine erste, hervorragende Stadt; cf. 13,50).

Ibi itaque opportunitatem exspectabant annuntiandi evangelium : *eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes* διατρίβοντες commorantes, consistentes; dies scil. qui fuerint inter adventum et

1. Livius 45,29 haec habet : « deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam (Paullus pronuntiavit); unam fore et primam partem quod agri inter Strymonem et Nessum amnem sit; accessurum huic parti trans Nessum ad orientem versum qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida praeter Aenum et Maroneam et Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea quam Sinticen adpellant ».

sabbatum, de quo statim narratur (*Patr.*); v. 13 *die autem sabbatorum* 13,14; dicitur enim pluralis τὰ σάββατα frequenter de uno sabbato, *egressi sumus foras portam* urbis *ad flumen, ubi videbatur oratio esse* προσευχή oratio, preces; sed etiam locus precibus faciendis destinatus; dein locus subdialis quo preces Iudaei facere solebant in ripa fluminis ubi aqua ad lotiones caerimoniales suppetebat (cf. *Grimm* s. v.). Ita ψήφισμα Ἁλικαρνασσέων Iudaeis dat inter alia potestatem τὰς προσευχὰς ποιεῖσθαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος (*Iosephus,* Antiq. 14,10,23); eandem vocem ea notione *Iuvenalis* quoque novit, qui etiam conqueritur : sacri fontis nemus et delubra locantur Iudaeis (3,11-13. 295) et *Tertullianus* quoque orationes litorales Iudaeorum, preces memorat, quas omissis templis per omne litus quocunque in aperto ad coelum mittant (ad nationes 1,13; de ieiuniis 16; *M.* 1,579; 2,976). Ceterum προσευχή vix a synagoga multum distinguebatur; nam *Iosephus* scribit ; συνάγονται πάντες εἰς τὴν προσευχὴν μέγιστον οἴκημα καὶ πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυνάμενον (vita 54) et Philo quoque vocem ad synagogas applicat, unde aliqui nullum discrimen intercedere opinantur (cf. *Schürer* l. c. II p. 373) sicut *Patr.* quoque non aliud nisi nominum discrimen agnoscit.

Uti priscum nomen *Crenides* indicat, prope Philippos crebri erant fontes; nomen vero rivi traditum non est; intelligi parvum fluvium Gangam vel Gangiten aliqui putant (cf. *Felt. Wendt*); at teste Appiano aberat Philippis duodeviginti stadia (*Patr.*). In ipsa igitur urbe non erat synagoga, et numerus Iudaeorum non videtur fuisse magnus cum ad orationem solum mulieres convenerint. In loco orationis *sedentes loquebamur mulieribus quae convenerant;* v. 14 *et quaedam mulier nomine Lydia* nomen est satis frequens (cf. *Horatius.* Od. I, 8; 13; 25,1; III, 9,6. 7), *purpuraria civitatis Thyatirenorum* πορφυρόπωλις venditrix purpurarum, pannorum, vestium purpureo colore tinctorum; Thyatira, urbs Lydiae, Macedonum colonia (*Strabo* 13,4,4; al. 625, al. 928), vocatur metropolis (Ptolem. 5,2,16), olim Pelopia et Euhippia cognominata (Plinius 5,31; al. 29; al. 115), *colens Deum* i. e. proselyta, *audivit*, ἤκουεν, audiebat verbum (gig), *cuius Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur a Paulo;* « aperire itaque Dei est, attendere vero illius; res igitur erat et divina et humana » (*Chr.*); v. 15 *cum autem baptizata esset et domus eius, deprecata est dicens : si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam et manete;* « vide quam humilia proferat verba, cum quanta sapientia; nihil ad persuadendum aptius; non rogavit, non precata est tantum, non eorum arbitrio rem reliquit, sed coegit » (*Chr.*); *et coegit nos* blanda quadam vi, cum apostoli non statim ac-

quiescerent (*Beel.*); ipsa iam proludit illi magnae liberalitati qua fideles philippenses in Paulum usi sunt (Phil. 4,15. 16. 18). Multa autem obsecratione opus erat, quia apostolus generatim volens evangelium sine sumptu facere victum sibi labore manuum comparabat (cf. 18,5; 20,34. 1 Cor. 4,12; 9,15. 18. 1 Thess. 2,9. 2 Thess. 3,8), uti *Felt.* adnotat.

c) Paulus et Silas mittuntur in carcerem 16,16-24.

16,16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando. 17. Haec subsecuta Paulum et nos, clamabat dicens : Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. 18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, et conversus, spiritui dixit : Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19. Videntes autem domini eius quia exivit spes quaestus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, perduxerunt in forum ad principes : 20. Et offerentes eos magistratibus, dixerunt : Hi homines conturbant civitatem nostram, quum sint Iudaei; 21. Et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere neque facere, quum simus Romani. 22. Et cucurrit plebs adversus eos; et magistratus, scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis caedi. 23. Et quum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, praecipientes custodi ut diligenter custodiret eos. 24. Qui quum tale praeceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno.

16,16. Ἐγένετο δὲ πορευομένων ἡμῶν εἰς τὴν προσευχὴν, παιδίσκην τινὰ ἔχουσαν πνεῦμα πύθωνα ὑπαντῆσαι ἡμῖν, ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχεν τοῖς κυρίοις αὐτῆς μαντευομένη. 17. αὕτη κατακολουθοῦσα Παύλῳ καὶ ἡμῖν ἔκραζεν λέγουσα, Οὗτοι οἱ ἄνθρωποι δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶν, οἵτινες καταγγέλλουσιν ὑμῖν ὁδὸν σωτηρίας. 18. τοῦτο δὲ ἐποίει ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. διαπονηθεὶς δὲ Παῦλος, καὶ ἐπιστρέψας τῷ πνεύματι εἶπεν, Παραγγέλλω σοι ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς. καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. 19. καὶ ἰδόντες οἱ κύριοι αὐτῆς, ὅτι ἐξῆλθεν ἡ ἐλπὶς τῆς ἐργασίας αὐτῶν, ἐπιλαβόμενοι τὸν Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας· 20. καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς εἶπαν, Οὗτοι οἱ ἄνθρωποι ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν, Ἰουδαῖοι ὑπάρχοντες, 21. καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν παραδέχεσθαι οὐδὲ ποιεῖν, Ῥωμαίοις οὖσι. 22. καὶ συνεπέστη ὁ ὄχλος κατ' αὐτῶν· καὶ οἱ στρατηγοὶ, περιρήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια, ἐκέλευον ῥαβδίζειν· 23. πολλὰς δὲ ἐπιθέντες αὐτοῖς πληγὰς, ἔβαλον εἰς φυλακὴν, παραγγείλαντες τῷ δεσμοφύλακι ἀσφαλῶς τηρεῖν αὐτούς, 24. ὃς παραγγελίαν τοιαύτην λαβὼν ἔβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, καὶ τοὺς πόδας ἠσφαλίσατο αὐτῶν εἰς τὸ ξύλον.

In v. 16 D* δια τουτου μαντευομενη. In v. 18 D ινα εξελθης, ut exeas Lcif gig. In v. 19 D οτι απεστερησθαι της εργασιας αυτων ης ειχαν δι αυτης. In v. 22 και πολυς οχλος συνεπεστησαν κατ αυτων κραζοντες; gig et destitutis tunicis eorum. In v. 24 gig in nervo conclusit; in nervo Lcif.

In urbe Philippensium apostolum praedicasse multosque gentilium ad fidem adduxisse, et in v. 40 et praeprimis ex epistola apparet, quam ex captivitate romana ad Philippenses dedit. Quanto cum

gaudio et quanta consolatione hunc primum in Europa fidelium coetum amplexus sit, ipsa epistola luculentissimum praebet documentum. Lucas tamen ex illa commoratione solum refert quali persecutioni expositus sit apostolus; v. 16 *factum est autem euntibus nobis ad orationem* εἰς τὴν προσευχήν, in proseucham, ad locum orationis *puellam quandam* παιδίσκην ancillam, *habentem spiritum pythonem* i. e. spiritum divinationis, spiritum fatidicum; « pythones divinare videntur et non continuo dii sunt, denique a christianis hominibus effugantur » πύθωνες μαντεύονται, ἀλλ' ὑφ' ἡμῶν ὡς δαίμονες ἐκριζούμενοι φυγαδεύονται (Clem. Recogn. 4,20; Homil. 9,16; *M.* 1, 1323; 2, 253). Eo nomine vocabatur draco magnus, quem Apollo secundum fabulas oraculum Delphorum custodientem interfecit; unde ipse pythius est appellatus (cf. *Ovid.* Metam. I, 438). Unde nominis translatio ad spiritum divinationis facile intelligitur. Tempore posteriore, ut *Plutarchus* testatur (de defectu orac. 9), ventriloqui (engastrimythi) appellabantur πύθωνες, et puellam illam fuisse ventriloquam saepius dicunt (*Wendt*). At id non sufficit; saltem dicendum est daemonem illo artificio usum e ventre eius locutum et vaticinatum esse; *obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando,* poterant esse unius servi domini plures e. gr. fratres duo (*Bl.*).

Uti daemones quandoque laudes Iesu clamabant (Marc. 1,24. 34), ita hic daemon simile quid tentat v. 17 *haec subsecuta Paulum et nos clamabat dicens : isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis;* maligne id daemonem fecisse clarum est (*Chr.*); sed cur ore puellae usus sit ad tale edendum testimonium, quaeri potest. Respondet *Oec. :* volebat in posterum fide dignum facere suum testimonium; si enim Paulus illud admisisset, multos sane etiam credentium fefellisset tamquam ab illo susceptus; propterea ea dici sinit quae contra se faciunt, ut sua stabiliat. Alii causam reddunt ex ipso eventu quem daemon sperabat fore; scil. Paulum id non laturum; se iri utique expulsum, at simul ob lucri cessationem maximam in Paulum conflatum iri invidiam, ita ut expelleretur vel etiam occideretur ad rei religiosae maximum detrimentum (*Lap. Beel.*). Censet vero *Patr.* Deum voluisse ut ipse mendacii auctor veritati testimonium redderet et ita ipse inimicus occasionem praeberet ostendendi potentiam Pauli. Daemonem id coactum fecisse et coactum sibi ipsi debuisse expulsionem machinari, forte probabilissime censeri potest; v. 18 *hoc autem faciebat multis diebus;* magnam hic invenit difficultatem *Hilg. :* « quomodo puella semper eadem via qua illi tendebant ad locum orationis illis obviam ire censeri potest?

Et ad illum locum, quem tamen viri Iudaei non semper vitaverint, Paulus multis diebus sine ulla prohibitione iverit? » Haec ei sufficiunt, ut v. 13 perperam esse insertum et simile quid in v. 16 esse illatum affirmet. Nonne, si scio aliquem certa via solere ingredi, tum demum facillime possum ei obviam venire? Philippis persecutio non est mota a Iudaeis; unde illos vel paucos fuisse vel non malevolos colligitur. Proinde etiam Paulus sine ullo impedimento locum orationis adire poterat ad proselytos docendos.

Christus noluit commendari a daemone; item Paulus; *dolens autem Paulus* διαπονηθείς i. e. κινηθεὶς καὶ δηχθείς, (*Oec.*), commotus et molestia quasi morsus; indignum erat, ut verbum evangelii spiritus immundus annuntiaret (*Beda*) *et conversus spiritui dixit : praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, et exiit eadem hora,* statim (εὐθέως D) exiit. Unde evidens est non artem illam ventriloquorum intelligi, quae ne ad divinationem quidem per se valeret, sed obsessionem seu possessionem daemoniacam. Nam ad verbum Pauli ancilla iam plane destituta est priore illa divinandi facultate; v. 19 *videntes autem domini eius quia exivit,* uti daemon exivit, *spes quaestus eorum;* iam enim non poterat, uti antea, ope daemonis de occultis, de absentium actis, de rebus amissis, de furtis respondere et de eiusmodi rebus quas vulgus a praestigiatoribus petere solet (cf. *Beel.*), *apprehendentes Paulum et Silam perduxerunt in forum ad principes* ἄρχοντες qui statim nomine muneris στρατηγοί, praetores dicuntur, erant in municipiis et coloniis duumviri iuri dicundo, qui praetores quoque appellabantur (cf. *Cicero,* de lege agr. II, 34; *Vigouroux,* Le Nouveau Test. et les découvertes archéol., p. 205). Vi et impetu εἵλκυσαν pertraxerunt (gig traxerunt) eos ad praetores. Haec prima recensetur persecutio a gentilibus excitata, non primarie ob odium religionis, sed ob iram et indignationem de lucri detrimento.

Verum quo certius illi suam in eos expleant vindictam, accusationem odio populari et quadam legitima specie vestiunt, sed tacent cur nunc tandem tanto studio tuendae dignitatis romanae legumque romanarum inflammentur; v. 20 *et offerentes eos magistratibus* τοῖς στρατηγοῖς, praetoribus, *dixerunt : hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Iudaei;* ad odium nominis Iudaei provocant eo maiore effectu, quia Claudius Iudaeos assidue tumultuantes Roma expulerat (cf. 18,2); ceterum gens iudaica Romanis invisa erat; etiam Cicero barbarae superstitionis Iudaeos accusat urbemque Hierosolyma suspiciosam ac maledicam civitatem appellat (or. pro Flac. 28); v. 21 *et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere neque facere, cum simus Romani;* urbs erat colonia (v. 12); quare Romanum nomen

iactant, seque ramano iure et lege vivere velle et debere affirmant; illos autem se rebelles praebere, cum Romanos a lege romana deficere doceant. Nam lege romana cautum erat : separatim nemo habessit deos neve novos neve advenas nisi publice adscitos privatim colunto (*Cicero*, de legibus 2,8; plura vide apud *Mommsen*, Roemisches Staatsrecht III 2 p. 1177, Leipzig 1888). Ceterum cultus extraneos et superstitiones multas Romae et in provinciis esse tolerata et suscepta constat; Iudaeorum religio non solum tolerata erat, sed etiam aliquibus privilegiis honorata (cf. *Iosephus*, Antiq. 14,10,8. 20-24; *Philo*, Legatio ad Cai. 23; *Schürer* l. c. II 523 seq.).

Sed nihilominus perfacile erat furorem plebis in Iudaeos excitare et generatim Iudaei odio erant et contemptui apud Romanos; v. 22 *et cucurrit plebs adversus eos* συνεπέστη una insurrexit contra eos (18,12); ad rei veritatem (gig consurrexit) additur in altera lectione turbas clamantes insurrexisse in eos; *et magistratus* οἱ στρατηγοί *scissis tunicis eorum iusserunt eos virgis caedi*, περιρήξαντες; generatim fit mentio scissionis vestium ante flagellationem (cf. Livius 8,32; Tacitus, Hist. 4,27 scissa veste, verberato corpore; Valer. Max. de discipl. milit. 2,7,8; Dion. halic. 9,39 τὴν ἐσθῆτα περικαταρρῆξαι etc.). Hanc narrationem de persecutione omni destitui fide *Weizs.* audacter asserit (p. 240) et rationem affert ex modo agendi Pauli; nam « ita Paulus agere non potuit » ut scil. prius contra ius et fas se caedi permitteret, quo maiorem postea satisfactionem postularet. De satisfactione vide ad v. 37-39. Alii quoque (*Zeller, Overb.*) negant eam flagellationem, quia Paulus alias iure suo civitatis romanae usus eam non permiserit. Verum ex ipsius Pauli testimonio scimus ipsum ter illi iuri renuntiasse (2 Cor. 11,25 ter virgis caesus sum); cur singulis in casibus non usus sit iure suo nescimus; sed valde frivolum est affirmare eum debuisse semper ius suum proclamare; et hoc asserere, cum tamen eius ipsius testimonium 2 Cor. 11,25 constet, debuit esse alienissimum a viro critico, dummodo amans velit esse veritatis; v. 23 *et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, praecipientes custodi, ut diligenter custodiret eos;* ἀσφαλῶς tuto; plagis illis male admodum eorum corpora habita fuisse; collige quoque ex v. 33; hae plagae illae sunt quarum stigmata Paulus corpori suo impressa esse gloriabatur (Gal. 6,17; *Patr.*).

Custos diligenter praeceptum exsequitur, ut *tuto* custodiantur v. 24 *qui cum tale praeceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem et pedes eorum strinxit ligno;* duo itaque facit ad tutissime eos custodiendos; misit eos in intimam partem carceris, et insuper ἠσφαλίσατο firmos reddidit, firmiter adstrinxit pedes eorum claudendo scil. eos

εἰς τὸ ξύλον, in nervum (νέρϐον *Chr.*), i. e. in truncum habentem foramina, quibus pedes immittebantur et nervis vincti adstringebantur. Ita sane omnis fuga vel sese liberandi spes illis adimebatur. De hisce scribit Paulus Thessalonicensibus : antè passi et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro (1 Thess. 2,2). Iam coeptum est impleri illud : ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati (9,16).

d) Liberantur e carcere 16,25-40.

16,25. Media autem nocte, Paulus et Silas orantes laudabant Deum; et audiebant eos, qui in custodia erant. 26. Subito vero terrae motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia; et universorum vincula soluta sunt. 27. Expergefactus autem custos carceris, et videns ianuas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, aestimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna dicens : Nihil tibi mali feceris : universi enim hic sumus. 29. Petitoque lumine, introgressus est; et tremefactus procidit Paulo et Silae ad pedes.

30. Et producens eos foras, ait : Domini, quid me oportet facere ut salvus fiam? 31. At illi dixerunt : Crede in Dominum Iesum; et salvus eris tu et domus tua. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum; et baptizatus est ipse et omnis domus eius continuo. 34. Quumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et laetatus est cum omni domo sua credens Deo.

35. Et quum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes : Dimitte homines illos. 36. Nuntiavit autem custos carceris verba haec Paulo : Quia miserunt magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis : Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc oc-

16,25. Κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν Θεόν· ἐπηκροῶντο δὲ αὐτῶν οἱ δέσμιοι. 26. ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου· ἠνεῴχθησαν δὲ (παραχρῆμα) αἱ θύραι πᾶσαι, καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. 27. ἔξυπνος δὲ γενόμενος ὁ δεσμοφύλαξ, καὶ ἰδὼν ἀνεῳγμένας τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, σπασάμενος τὴν μάχαιραν ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, νομίζων ἐκπεφευγέναι τοὺς δεσμίους. 28. ἐφώνησεν δὲ Παῦλος μεγάλῃ φωνῇ λέγων, Μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακόν· ἅπαντες γάρ ἐσμεν ἐνθάδε. 29. αἰτήσας δὲ φῶτα εἰσεπήδησε, καὶ ἔντρομος γενόμενος προσέπεσε τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ.

30. καὶ προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω, ἔφη, Κύριοι, τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; 31. οἱ δὲ εἶπαν, Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. 32. καὶ ἐλάλησαν αὐτῷ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, σὺν πᾶσιν τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. 33. καὶ παραλαϐὼν αὐτοὺς ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τῆς νυκτὸς ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν, καὶ ἐϐαπτίσθη αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ ἅπαντες παραχρῆμα. 34. ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον παρέθηκεν τράπεζαν, καὶ ἠγαλλιάσατο πανοικεὶ πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ.

35. Ἡμέρας δὲ γενομένης ἀπέστειλαν οἱ στρατηγοὶ τοὺς ῥαϐδούχους λέγοντες, Ἀπόλυσον τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους. 36. ἀπήγγειλεν δὲ ὁ δεσμοφύλαξ τοὺς λόγους πρὸς τὸν Παῦλον, ὅτι ἀπεστάλκασιν οἱ στρατηγοὶ, ἵνα ἀπολυθῆτε· νῦν οὖν ἐξελθόντες πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ. 37. ὁ δὲ Παῦλος ἔφη πρὸς αὐτούς, Δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ ἀκατακρίτους, ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας

iactant, seque ramano iure et lege vivere velle et debere affirmant; illos autem se rebelles praebere, cum Romanos a lege romana deficere doceant. Nam lege romana cautum erat : separatim nemo habessit deos neve novos neve advenas nisi publice adscitos privatim colunto (*Cicero,* de legibus 2,8; plura vide apud *Mommsen,* Roemisches Staatsrecht III 2 p. 1177, Leipzig 1888). Ceterum cultus extraneos et superstitiones multas Romae et in provinciis esse tolerata et suscepta constat; Iudaeorum religio non solum tolerata erat, sed etiam aliquibus privilegiis honorata (cf. *Iosephus,* Antiq. 14,10,8. 20-24; *Philo,* Legatio ad Cai. 23; *Schürer* l. c. II 523 seq.).

Sed nihilominus perfacile erat furorem plebis in Iudaeos excitare et generatim Iudaei odio erant et contemptui apud Romanos; v. 22 *et cucurrit plebs adversus eos* συνεπέστη una insurrexit contra eos (18,12); ad rei veritatem (gig consurrexit) additur in altera lectione turbas clamantes insurrexisse in eos; *et magistratus* οἱ στρατηγοί *scissis tunicis eorum iusserunt eos virgis caedi,* περιρήξαντες; generatim fit mentio scissionis vestium ante flagellationem (cf. Livius 8,32; Tacitus, Hist. 4,27 scissa veste, verberato corpore; Valer. Max. de discipl. milit. 2,7,8; Dion. halic. 9,39 τὴν ἐσθῆτα περικαταρρῆξαι etc.). Hanc narrationem de persecutione omni destitui fide *Weizs.* audacter asserit (p. 240) et rationem affert ex modo agendi Pauli; nam « ita Paulus agere non potuit » ut scil. prius contra ius et fas se caedi permitteret, quo maiorem postea satisfactionem postularet. De satisfactione vide ad v. 37-39. Alii quoque (*Zeller, Overb.*) negant eam flagellationem, quia Paulus alias iure suo civitatis romanae usus eam non permiserit. Verum ex ipsius Pauli testimonio scimus ipsum ter illi iuri renuntiasse (2 Cor. 11,25 ter virgis caesus sum); cur singulis in casibus non usus sit iure suo nescimus; sed valde frivolum est affirmare eum debuisse semper ius suum proclamare; et hoc asserere, cum tamen eius ipsius testimonium 2 Cor. 11,25 constet, debuit esse alienissimum a viro critico, dummodo amans velit esse veritatis; v. 23 *et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, praecipientes custodi, ut diligenter custodiret eos;* ἀσφαλῶς tuto; plagis illis male admodum eorum corpora habita fuisse; collige quoque ex v. 33; hae plagae illae sunt quarum stigmata Paulus corpori suo impressa esse gloriabatur (Gal. 6,17; *Patr.*).

Custos diligenter praeceptum exsequitur, ut *tuto* custodiantur v. 24 *qui cum tale praeceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem et pedes eorum strinxit ligno;* duo itaque facit ad tutissime eos custodiendos; misit eos in intimam partem carceris, et insuper ἠσφαλίσατο firmos reddidit, firmiter adstrinxit pedes eorum claudendo scil. eos

εἰς τὸ ξύλον, in nervum (νέρϐον *Chr.*), i. e. in truncum habentem foramina, quibus pedes immittebantur et nervis vincti adstringebantur. Ita sane omnis fuga vel sese liberandi spes illis adimebatur. De hisce scribit Paulus Thessalonicensibus : antè passi et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro (1 Thess. 2,2). Iam coeptum est impleri illud : ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati (9,16).

d) Liberantur e carcere 16,25-40.

16,25. Media autem nocte, Paulus et Silas orantes laudabant Deum; et audiebant eos, qui in custodia erant. 26. Subito vero terrae motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia; et universorum vincula soluta sunt. 27. Expergefactus autem custos carceris, et videns ianuas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, aestimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna dicens : Nihil tibi mali feceris : universi enim hic sumus. 29. Petitoque lumine, introgressus est; et tremefactus procidit Paulo et Silae ad pedes.

30. Et producens eos foras, ait : Domini, quid me oportet facere ut salvus fiam? 31. At illi dixerunt : Crede in Dominum Iesum; et salvus eris tu et domus tua. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum; et baptizatus est ipse et omnis domus eius continuo. 34. Quumque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, et laetatus est cum omni domo sua credens Deo.

35. Et quum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes : Dimitte homines illos. 36. Nuntiavit autem custos carceris verba haec Paulo : Quia miserunt magistratus ut dimittamini, nunc igitur exeuntes ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis : Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc oc-

16,25. Κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν Θεόν· ἐπηκροῶντο δὲ αὐτῶν οἱ δέσμιοι. 26. ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου· ἠνεῴχθησαν δὲ (παραχρῆμα) αἱ θύραι πᾶσαι, καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. 27. ἔξυπνος δὲ γενόμενος ὁ δεσμοφύλαξ, καὶ ἰδὼν ἀνεῳγμένας τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, σπασάμενος τὴν μάχαιραν ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, νομίζων ἐκπεφευγέναι τοὺς δεσμίους. 28. ἐφώνησεν δὲ Παῦλος μεγάλῃ φωνῇ λέγων, Μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακόν· ἅπαντες γάρ ἐσμεν ἐνθάδε. 29. αἰτήσας δὲ φῶτα εἰσεπήδησε, καὶ ἔντρομος γενόμενος προσέπεσε τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ.

30. καὶ προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω, ἔφη, Κύριοι, τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; 31. οἱ δὲ εἶπαν, Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. 32. καὶ ἐλάλησαν αὐτῷ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, σὺν πᾶσιν τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. 33. καὶ παραλαϐὼν αὐτοὺς ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τῆς νυκτὸς ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν, καὶ ἐϐαπτίσθη αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ ἅπαντες παραχρῆμα. 34. ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον παρέθηκεν τράπεζαν, καὶ ἠγαλλιάσατο πανοικεὶ πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ.

35. Ἡμέρας δὲ γενομένης ἀπήστειλαν οἱ στρατηγοὶ τοὺς ῥαϐδούχους λέγοντες, Ἀπόλυσον τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους. 36. ἀπήγγειλεν δὲ ὁ δεσμοφύλαξ τοὺς λόγους πρὸς τὸν Παῦλον, ὅτι ἀπεστάλκασιν οἱ στρατηγοί, ἵνα ἀπολυθῆτε· νῦν οὖν ἐξελθόντες πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ. 37. ὁ δὲ Παῦλος ἔφη πρὸς αὐτούς, Δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ ἀκατακρίτους, ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας

culte nos eiiciunt? Non ita; sed veniant, 38. Et ipsi nos eiiciant. Nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba haec. Timueruntque audito quod Romani essent; 39. Et venientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant ut egrederentur de urbe. 40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam; et visis fratribus consolati sunt eos, et profecti sunt.

ἔβαλον εἰς φυλακὴν, καὶ νῦν λάθρᾳ ἡμᾶς ἐκβάλλουσιν; οὐ γάρ· ἀλλὰ ἐλθόντες αὐτοὶ ἡμᾶς ἐξαγαγέτωσαν. 38. ἀπήγγειλαν δὲ τοῖς στρατηγοῖς οἱ ῥαβδοῦχοι τὰ ῥήματα ταῦτα· ἐφοβήθησαν δὲ ἀκούσαντες ὅτι Ῥωμαῖοί εἰσι, 39. καὶ ἐλθόντες παρεκάλεσαν αὐτοὺς, καὶ ἐξαγαγόντες ἠρώτων ἀπελθεῖν ἀπὸ τῆς πόλεως. 40. ἐξελθόντες δὲ ἀπὸ τῆς φυλακῆς εἰσῆλθον πρὸς τὴν Λυδίαν· καὶ ἰδόντες παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ ἐξῆλθαν.

In v. 30 D και προηγαγεν αυτους εξω τους λοιπους ασφαλισαμενος και ειπεν; sim ph c*. In v. 35 D συνηλθον οι στρατηγοι επι το αυτο εις την αγοραν και αναμνησθεντες τον σεισμον τον γεγονοντα εφοβηθησαν και απεστειλαν; sim ph (mg); item απολυσον τους ανθρωπους ους εχθες παρελαβες; sim ph (mg). In v. 36 D και εισελθων ο δεσμοφ; sim syr; D om εν ειρηνη. In v. 37 D αναιτιους δειραντες. In v. 38 D add τα ρηθεντα προς τους στρατηγους. In v. 39 D και παραγενομενοι μετα φιλων πολλων εις την φυλακην παρεκαλεσαν αυτους εξελθειν ειποντες ηγνοησαμεν τα καθ υμας οτι εστε ανδρες δικαιοι και εξαγαγοντες παρεκαλεσαν αυτους λεγοντες εκ της πολεως ταυτης εξελθατε μηποτε παλιν συστραφωσιν ημιν επικραζοντες καθ υμων; sim ph c* 137. In v. 40 D ιδοντες τους αδελφους διηγησαντο οσα εποιησεν κυριος αυτοις παρακαλεσαντες.

« Perpende imprimis cui exercitio vacarent apostoli iniuria affecti; nimirum hymnos Deo canebant et gratias agebant, quod digni fuissent habiti pro nomine Iesu et pro evangelio contumeliam pati » (*Salm.*); v. 25 *media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum* cf. 5,41; et alta quidem voce Deum celebrabant; *et audiebant eos qui in custodia erant* οἱ δέσμιοι ceteri vincti (gig). Uti 4,31, ita hic Deus precibus suorum militum ac praeconum signo externo manifestat se annuere v. 26 *subito vero terraemotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris; et statim aperta sunt omnia ostia et universorum vincula soluta sunt;* ita simul patuit non casu terraemotum illum evenisse, ut nonnemo putare videtur, quia motus terrae tam frequentes sint in illis regionibus (*Bl.*); v. 27 *expergefactus autem custos carceris et videns ianuas apertas carceris,* « ad quod certe satis erat exigua illa lux quae noctu per fenestras in cubicula immitti solet; de ianuis vero secus viam positis neque illa opus erat ut eas custos apertas videret. Ceterum nihil est quod credere vetet lucernam fuisse in loco ubi custos dormiebat, neque quominus id credamus obstat v. 29, quin imo sic credere suadent tum diligentia et cautio quibus ad carceres custodiendos advigilatur, tum illud quod Paulus manens in interiore carcere viderit, quid custos in propriam vitam machinaretur » (*Patr.*). Quid, si nox splendore lunae erat clara? En, non deest varia ratio qua illud *videre* facile concipiatur. Verum custos

phrenetico quodam terrore correptus *evaginato gladio volebat se interficere aestimans fugisse vinctos;* nam, uti lege fertur, ad commentariensem receptarum personarum custodia observatioque pertineat; ipsum volumus huiusmodi poena consumi, cui obnoxius docebitur fuisse qui fugerit (*Wetst.* ad h. l.).

At captivi non fugerant; censet quidem *Chr.* illos ianuas esse apertas non vidisse, « alioquin fugissent omnes »; sed hi quoque terrore correpti et de eventu adeo insolito stupefacti, vel vi quadam occulta divinitus impediti retinebantur; v. 28 *clamavit autem Paulus voce magna dicens : nihil tibi mali feceris; universi enim hic sumus;* e re notat *Bl.* : « vituperandus fortasse carceris custos, quod parum circumspecte acturus erat; mirum autem est eam vituperationem a quibusdam ad Lucam transferri quasi parum circumspecte narret. Quaerentibus autem cur non revera captivi fugerint, facile respondetur, sine dubio id eos facturos fuisse, si esset datum tempus et rem cognoscendi et ex terrore animos colligendi ». Ex Pauli verbis forte concludi potest cum *Felt.* captivos terrore correptos propter vehementem terrae motum omnes cucurrisse ad carcerem interiorem, ad Paulum et Silam, quos Deo laudes dicentes audierint. Custos autem v. 29 *petito lumine introgressus est et tremefactus procidit Paulo et Silae ad pedes* v. 30 *et producens eos foras;* effertur altera lectione quod utique per se intelligitur, ceteros captivos ab eo iterum esse tuto adstrictos; *ait : domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam?* non intelligit *Hilg.* quomodo custos statim intellexerit miraculum factum esse propter hos quos brevi antea nervo adstrinxerat eosque viros Dei declarari; quomodo itaque talis cognitio ei potest adscribi ? nonne id plane incredibile est ? Scrupulum hunc iam satis superque solverunt *Calm. Beel. Patr. Felt.;* sed catholica sunt — non leguntur. Ita Patr : « quid vero custodem impulit, ut id faceret, utque ad horum potius pedes accideret quam ad aliorum qui erant in eodem carcere? facile est id coniicere. Multus procul dubio sermo erat Philippis de Paulo et Sila, de horum sanctimonia, de nova doctrina quam illuc attulerant, de miraculis quae, ut credere est, illic sicut alibi Paulus edebat, famaque magis ac magis percrebuerat, ex quo illa divina v. 16 Paulum huiusque socios per urbis vias prosequens clamare coeperat, quod multis diebus ea iam fecerat cum Paulus et Silas in carcerem trusi sunt; huc quidam quasi cumulus accesserat python eiectus. Haec autem carceris custodem latere non poterant ». Scivit absque dubio eos ob novam de Deo doctrinam esse missos in carcerem; facile poterat quoque audivisse illos promittere obsequentibus sibi salutem aeternam (cf. *Calm. Beel. Felt.*). Unde visis prodigiis non poterat du-

bitare, quin *illis* a Deo suo, cuius causa male habiti sint, testimonium redderetur.

Eo modo facile etiam eius quaestio intelligitur; v. 31 *at illi dixerunt : crede in Dominum Iesum et salvus eris tu et domus tua;* v. 32 *et locuti sunt ei verbum Domini;* proin pluribus eum docuerunt de religione christiana aliosque : *cum omnibus qui erant in domo eius;* v. 33 *et tollens eos in illa hora noctis lavit plagas eorum* παραλαβών i. e. abduxit secum in locum ubi lavarentur (*Bl.*). Id factum esse ante longiorem institutionem et expositionem doctrinae patet; sed Lucas commode poterat v. 32 statim adiungere ad v. 31 i. e. ad rem clarius explicandam; *et baptizatus est ipse et omnis domus eius continuo;* exierunt ergo extra tecta sub dium, in cavaedium fortasse, ad fontem, ut baptismo initiarentur. Quare apte pergitur v. 34 *cumque perduxisset eos in domum suam* ἀναγαγών in locum altiorem eos duxit, eos ex cavaedio, ubi fons vel puteus erat, ascendere fecit in domum suam, *apposuit eis mensam et laetatus est cum omni domo sua credens Deo;* mensam apponi illis istius noctis vigilia et praecedente sanguinis effusione viribus exhaustis non ingratum fuerit (*Beel.*). Ipse custos laetatus est quia cum omni domo sua credidit (*Beel. Patr. Felt.*).

In subsequentibus ad unam alteramve quaestionem quae secundum textum communem moveri solebat, responsum datur in altera lectione; v. 35 *et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores* ῥαβδούχους, nomen habent a virgis quas gestabant, *dicentes : dimitte homines illos;* quid eos impulerit, quaerunt; fortasse agnoverant indicta causa se illos punivisse (*Salm.*); sive quod puduerit eos rei perverse gestae cum viris insontibus, sive quod amici Pauli omnia moverint pro eorum libertate procuranda et magistratus sincera narratione de rei veritate certiores fecerint, sive quod miraculum quod per quietem noctis acciderat, renuntiatum illis fuerit (*Calm.*). Haec ratio in altera lectione redditur : congregati sunt praetores una in foro et recordati terrae motus qui factus fuerat timuerunt et miserunt (ita D, ph mg); quam lectionem *Cassiod.* quoque cognovisse videtur, cum scribat : quo terrae motu magistratus quoque commoti sunt et praeceperunt, ut apostoli de custodia linquerentur. Facile enim credi potest magnum illum terrae motum nequaquam in solo carcere, verum in tota urbe esse perceptum; unde illis qui modo viros de religione numinis alicuius accusatos re nullatenus inquisita diris plagis mulctaverant, necessario oriri debuit persuasio, dei illius vindictam cerni in terrae motu, qui facinus a se patratum adeo immediate sequatur (*Bels.*). Unde numinis iram placare volebant missis lictoribus ad custodem : dimitte homines quos heri traditos accepisti.

Uti ex v. 40 patet, vide quoque v. 36. 38. 39, apostoli iterum in carcerem redierunt, id quod etiam consultum erat, ne negotium et molestia crearetur custodi apud praetores; v. 36 *nuntiavit autem custos carceris*, illud καὶ εἰσελθὼν etiam indicat illos rediisse in custodiam *verba haec Paulo, quia miserunt magistratus, ut dimittamini; nunc igitur exeuntes ite in pace.* Verum huic modo Paulus non poterat acquiescere; Dei honor et evangelii gloria poscebat, ut praecones iusti et crimine vacui agnoscerentur; id pro neophytis et generatim pro fama nominis christiani erat pernecessarium (*Calm.*). Si simpliciter urbem reliquissent, macula quaedam indelebilis et ipsis et rei christianae apud multos inusta mansisset; v. 37 *Paulus autem dixit eis* per custodem lictoribus responderi iussit et nuntiari praetoribus : *caesos nos publice, indemnatos* ἀκατακρίτους ita ut nulla inquisitio culpae, iudicium nullum, nulla condemnatio sententia iudiciali facta praecesserit, *homines Romanos* ὑπάρχοντας quippe qui insuper cives simus romani, quo loquendi modo Silas quoque eam civitatem habuisse dicendus erit; nescio cur aliqui id negent (*Calm.*) aut dubitent; nam ratio haec, quia alias id de Sila non refertur, est tamen in tanta de Sila rerum paucitate plane infirma, *miserunt in carcerem, et nunc occulte nos eiiciunt? non ita, sed veniant*, v. 38 *et ipsi nos eiiciant* ἐξαγαγέτωσαν educunto; οὐ γὰρ i. e. neque enim occulte, ἀλλὰ sed e contra; alii concipiunt οὐ γάρ, uti saepe in responsis, non profecto (*Bl.*). Triplex crimen erat, ait *Chr.*, quod Romanos, quod non damnatos, quod publice in carcerem coniecissent. Ad cumulum iniuriae accessit quod occulte sine ulla excusatione et satisfactione eos volebant dimittere.

Id utique iam pro ratione muneris Paulus non poterat permittere. Id solum postulat quod plane necessarium erat. Falso rem describit *Weizs.* non potuisse Paulum ita agere i. e. prius permittere contra ius flagellationem, quo dein « tanto maiorem satisfactionem » postularet. Ubinam est illa « tanto maior satisfactio »? num honores, publicam deprecationem facti, decretum in aere incisum et palam expositum, ingentem pecuniae vim poposcit? *nuntiaverunt autem magistratibus lictores verba haec; timueruntque audito quod Romani essent;* nam lege Porcia vetitum erat verberari civem romanum (cf. Liv. 10,9; Valer. Max. 4,1,1. Dionys. halic. 9,39) id quod maxime effert Cicero (in Verrem II, 5,53-57). Asserenti autem Paulo fidem adhibebant, cum eum ex numinis vindicta iam cognoverint virum numini carum neque facile quis ausus fuerit id falso sibi adscribere; Claudius enim, ut Suetonius refert (Claud. 25), securi percussit civitatem usurpantes. Ceteroquin praetores non potuit latere Iudaeorum

sat multos civitate romana esse donatos (cf. *Iosephus* Antiq. 14,10, 13-19; *Philo* Legat. ad Cai. 23; *Schürer* l. c II p. 537). Quare non est cur de Sila ea in re dubitetur.

Res fusius in altero textu narratur : veniunt praetores cum multis amicis in carcerem et deprecantur eos ut exeant dicentes : ignoravimus vestram conditionem (quae ad vos spectant), quod estis viri iusti; et educentes eos deprecantur : exite ex hac urbe, ne iterum concursent ad nos clamantes contra vos; verum rei summa clare quoque habetur in v. 39 *et venientes deprecati sunt eos et educentes rogabant, ut egrederentur de urbe;* coetus fidelium iam erat constitutus in urbe, ex qua urbe evangelium in vicinas regiones propagari potuit; alias quoque solebat apostolus coetu quodam quasi nucleo constituto ad alias urbes properare; quare nihil obstabat quominus petitioni acquiesceret. Sed non statim neque clam ex urbe excedit; et fidelibus et aliis quoque demonstrari debuit eos non quasi fugitivos urbem reliquisse; v. 40 *exeuntes autem de carcere introierunt ad Lydiam,* proin in domum, ubi commorari solebant *et visis fratribus consolati sunt eos,* narratione quomodo Deus pro causa evangelii testimonium reddiderit, eos quoque in fide confortarunt, *et profecti sunt* Paulus et Silas certe. Sed cum Timotheus in epistolis ad Thessalonicenses statim ab initio nominetur, poterat videri simul cum Paulo et Sila in fundanda illa ecclesia laborasse. Si ita, tum is quoque profectus est cum Paulo; et Paulus quidem eum misit Thessalonicensibus (1 Thess. 3,2); inde quoque concluseris eum iam notum ipsis fuisse. Lucas remansisse videtur; alias exspectaremus : profecti sumus, quamvis *Bl.* negat eum debuisse recurrere ad primam personam.

Apostolus ipse testatur 1 Thess. 2,2 se ante passum et contumeliis affectum Philippis ad Thessalonicenses venisse; rem melius scire sibi videtur *Weiss.* dum asserit in medio esse relinquendum, utrum ex eventu illo de puella persecutio exorta sit necne (p. 240); et quare? quia ibi scriptor recedit a suo fonte; nam captivitas non potest separari a miraculosa liberatione e carcere, quae plane indolem mythicam et fabulosam prae se fert et in id tendit, ut Paulus aequiparetur etiam in mira liberatione Petro. Hanc aequiparationem cum Petro, qua tamen Paulus conversione domus gentilis supra Petrum emineat, *Hilg.* quoque ea narratione debuisse stabiliri innuit; praeterea laudibus celebrat meritum quod *Weiss* sibi acquisierit eo quod scenam in carcere quae plane intelligi nequeat (in sich völlig unbegreifliche Kerkerscene) 16,23-34 tamquam interpolationem serius factam e textu genuino separaverit. Ipse scit in fonte originali Paulum et Silam esse liberatos sine miraculo et honoratos utpote cives romanos.

Idem *Hilg.* 16,13 quoque interpolationem habet; et bene notanda est, quaeso, ratio tamquam specimen « criticae sublimioris » : nam domini illi 16,20. 21 nihil sciunt de eo quod Paulus et Silas praedicationem suam restrinxerint ad locum orationis; e contra affirmant praedicationem qua tota urbs commoveatur! Ergo inde sequitur Paulum neque primo sabbato neque alias proseucham adiisse, sed proseucham esse insuper ab interpolatore confictam!! Miranda est modestia qua ne umbra quidem argumenti iam ad persuadendum sufficit. Alius, item validus « criticae sublimioris » propugnator hoc terribili ariete inter alia narrationem hanc subvertit : in v. 40 veniunt apostoli ad Lydiam, sed nihil narrant de miraculo facto, nihil quoque de conversione custodis, cui ne valedicitur quidem. Ergo tota narratio de miraculo terrae motus et de conversione custodis iam ostenditur falso illata. Ita *Jüngst* (cf. *Bels.* p. 79). Non expendit vir criticus quoties Lucas vel summatim referat vel multa quae tamen certe facta sint penitus omittat. Hic autem in solo verbo παρεκάλεσαν totum satis indicatur. Nam fratribus de captivitate moestis profecto maximae consolationi erat et Dei testimonium et conversio custodis et honorifica praetorum deprecatio. Porro Lucas supponit librum suum legi ab hominibus ratione praeditis. Quid opus erat narrare quod pro indole humana per se patet, apostolos narrasse quae evenissent; aut quis putaverit fratres ne unum quidem verbum dixisse, quia si locuti essent, Lucas debuit id commemorare? An et vos sine intellectu estis?

e) **Paulus in urbibus Thessalonica et Beroea 17,1-15.**

17,1. Quum autem perambulassent Amphipolim et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudaeorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, 3. Adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati et resurgere a mortuis; et quia hic est Iesus Christus quem ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, et adiuncti sunt Paulo et Silae, et de colentibus gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucae.

5. Zelantes autem Iudaei, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem; et assistentes domui Iasonis quaerebant eos producere in populum. 6. Et quum non invenissent eos, trahebant Iasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes : Quoniam hi qui urbem con-

17,1. Διοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν καὶ τὴν Ἀπολλωνίαν, ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην, ὅπου ἦν συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων. 2. κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ εἰσῆλθεν πρὸς αὐτούς, καὶ ἐπὶ σάββατα τρία διελέξατο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, 3. διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ Ἰησοῦς ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. 4. καί τινες ἐξ αὐτῶν ἐπείσθησαν, καὶ προσεκληρώθησαν τῷ Παύλῳ καὶ Σίλᾳ, τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πλῆθος πολὺ, γυναικῶν τε τῶν πρώτων οὐκ ὀλίγαι.

5. ζηλώσαντες δὲ οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ προσλαβόμενοι τῶν ἀγοραίων ἄνδρας τινὰς πονηροὺς, καὶ ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν· καὶ ἐπιστάντες τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος, ἐζήτουν αὐτοὺς προαγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον· 6. μὴ εὑρόντες δὲ αὐτοὺς, ἔσυρον Ἰάσονα καί τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας, βοῶντες, ὅτι οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες, οὗτοι καὶ ἐνθάδε πάρεισιν,

citant, et huc venerunt, 7. Quos suscepit Iason, et hi omnes contra decreta Caesaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum. 8. Concitaverunt autem plebem et principes civitatis audientes haec. 9. Et accepta satisfactione a Iasone et a caeteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Beroeam. Qui quum venissent, in synagogam Iudaeorum introierunt.

11. Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicae; qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum gentilium honestarum, et viri non pauci. 13. Quum autem cognovissent in Thessalonica Iudaei quia et Beroeae praedicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt et illuc commoventes et turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare; Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas; et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

7. οὓς ὑποδέδεκται Ἰάσων· καὶ οὗτοι πάντες ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος πράττουσι, βασιλέα ἕτερον λέγοντες εἶναι, Ἰησοῦν. 8. ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας ἀκούοντας ταῦτα· 9. καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς. 10. Οἱ δὲ ἀδελφοὶ εὐθέως διὰ νυκτὸς ἐξέπεμψαν τόν τε Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν εἰς Βέροιαν· οἵτινες παραγενόμενοι, εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων ἀπῄεσαν.

11. οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. 12. πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, καὶ τῶν Ἑλληνίδων γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων καὶ ἀνδρῶν οὐκ ὀλίγοι. 13. ὡς δὲ ἔγνωσαν οἱ ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι, ὅτι καὶ ἐν τῇ Βεροίᾳ κατηγγέλη ὑπὸ τοῦ Παύλου ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, ἦλθον κἀκεῖ σαλεύοντες καὶ ταράσσοντες τοὺς ὄχλους. 14. εὐθέως δὲ τότε τὸν Παῦλον ἐξαπέστειλαν οἱ ἀδελφοὶ πορεύεσθαι ἕως ἐπὶ τὴν θάλασσαν· ὑπέμεινάν τε ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος ἐκεῖ. 15. Οἱ δὲ καθιστάνοντες τὸν Παῦλον ἤγαγον ἕως Ἀθηνῶν· καὶ λαβόντες ἐντολὴν πρὸς τὸν Σίλαν καὶ τὸν Τιμόθεον, ἵνα ὡς τάχιστα ἔλθωσιν πρὸς αὐτόν, ἐξῄεσαν.

In v. 3 gig adaperiens et confirmans. In v. 4 και ελληνων AD aliq minusc gig vg cop. In v. 5 D οι δε απειθοντες ιουδαιοι συστρεψαντες τινας etc.; gig om ζηλωσαντες. In v. 6 gig qui orbem terrae inquietant. In v. 11 add in fine quemadmodum Paulus annuntiabat gig; item ph c* 137. In v. 12 τινες μεν ουν αυτων επιστευσαν, τινες δε ηπιστησαν και των ελληνων των ευσχ. ανδρες και γυναικες ικανοι επιστευσαν D; gig graecae mulieres divites. In v. 13 D οτι ο λογος θεου κατηγγ. εις βεροιαν και επιστευσαν, ηλθον εις αυτην.. et in fine add ου διελιμπανον. In v. 15 D habet post Αθηνων· παρηλθεν δε την θεσσαλιαν εκωλυθη γαρ εις αυτους κηρυξαι τον λογον· λαβοντες δε εντ. παρα παυλου.

Profecti sunt per viam Egnatiam quae ab Hellesponto ad Dyrrachium pertinebat (*Bl.*); v. 1 *cum autem perambulassent Amphipolim*, iter fecissent per Amphipolim, *et Apolloniam, venerunt Thessalonicam*, Amphipolis, Atheniensium colonia, cuius latera Strymon divisus in duas partes alluit (*Patr.*), erat caput Macedoniae primae, distat Philippis ab occasu 33 millia passuum (cf. *K. Miller*, Weltkarte des Castorius, Tab. peuting. segm. 8); nunc Iamboli nomen habet; Apollonia posita in Mygdonia Macedoniae regione, ab Amphipoli

distans 30 millia passuum (Tab. peuting. l. c.). vel ut Livius dicit, iter unius die (45,28), sita erat ad Bolben lacum, haud ita longe a mari. Thessalonica erat per illam aetatem urbs primaria totius Macedoniae, sedes praesidis romani; olim Therme vocabatur, unde sinui cui adiacet nomen est Thermaeo, nunc Saloniki vocata, abest in occasum ab Apollonia circiter 37 m. p. (*Patr.*), in tab. peut. depicta est urbs tamquam magnum quoddam emporium (cf. *K. Miller,* l. c. Einleitender Text p. 92). Nomen inditum esse dicunt vel a Cassandro, Antipatris filio, in honorem uxoris Thessalonicae, filiae Philippi magni, vel a Philippo in memoriam victoriae de Thessalis reportatae (cf. *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 397; ibi videsis eius rei assertores).

Quales fuerint in ea urbe Iudaei, tum ex hac narratione, tum ex 1 Thess. 2,15. 16 satis elucet; *ubi erat synagoga Iudaeorum;* v. 2 *secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos;* cf. 13,5. 14; 14,1. Rom. 1,16. 1 Cor. 9,20; ad quam consuetudinem ostendendam *Chr.* merito allegat Rom. 9,3 et 10,1; insuper vide Rom. 11, 14; *et per sabbata tria disserebat eis de scripturis* διελέξατο disputavit cum eis (gig); verbum intelligi omnino potest de sermonibus alternis, ita ut Iudaei Paulo docenti obiecerint, ille responderit; nam tale colloquiorum genus in synagogis non erat inusitatum (cf. Matth. 12,9. Luc. 4,16. Ioan. 6,25-59; *Felt.*). Disputatio autem erat ἀπὸ τῶν γραφῶν; materies sumebatur e locis s. librorum; v. 3 *adaperiens et insinuans,* aperiens scil. verum illorum sensum (cf. Luc. 24,32. 45) et παρατιθέμενος proferens locos iisque docens, *quia Christum,* Messiam quem gens iudaica exspectat et quem prophetae vaticinati sunt, *oportuit pati et resurgere a mortuis;* ita igitur quasi in theoria veram exposuit imaginem Messiae in scripturis annuntiati; dein exposuit in quo solo ea omnia sint impleta, quis itaque sit ille quem diu exspectatum iam debeant agnoscere *et quia hic est Iesus,* homo ille in Palaestina notus, *Christus quem ego annuntio vobis;* graece : hic est ὁ χριστός, Iesus (scil.) quem ego annuntio vobis. Nota, quomodo ex vaticiniis argumenta depromat et doceat, eo scil. modo qui ad Iudaeos maxime erat accommodatus.

Et praedicationem minime caruisse successu ipse testatur 1 Thess. 1,5 seq. et Lucas refert v. 4 *et quidam ex eis crediderunt et adiuncti sunt Paulo et Silae,* iis fideliter adhaeserunt, quo magis edocerentur; ἐπείσθησαν iis persuasum est; argumenta intellexerunt; προσεκληρώθησαν, quasi sorte attributi sunt a Deo et associati Paulo et Silae; Iudaeorum paucos credidisse, ex voce τινὲς satis colligitur et effertur ipsa oppositione *et de colentibus gentibusque multitudo magna et mulieres nobiles non paucae;* proin hic quoque longe maior

numerus fidelium constituitur ex *colentibus* σεβομένοις i. e. proselytis, et gentilibus, Graecis. Nam illud καί (gentilibusque, et de Graecis, gig) quod aliqui testes habent, videtur omnino retinendum. Id ex eo iam probatur, quod 1 Thess. 1,9 maior fidelium pars ethnicae superstitioni dicitur antea addicta fuisse : ipsi enim annuntiant... quomodo conversi estis ad Deum a simulacris servire Deo vivo et vero; id quod sane de *colentibus* dici nequit. Porro id iam ipsa exigitur dictione, nam ὁ σεβόμενος Ἕλλην nunquam legitur, « nec apud Lucam occurrere potest, cui Ἕλλην non est nomen nationis, sed nomen religionis atque proin ὁ σεβ. Ε. « ethnicus verum Deum colens » est contradictio in adiecto; unicus locus N. T. in quo Ἕλλην barbaro oppositus Graecum natione designat est Rom. 1,14; in aliis omnibus Iudaeo opponitur et religionem designat » (*Cornely,* Introd. III 2 ed. p. 399). Quare non nimium asserit *Patr.* scribens : verum multa et gravia sunt quae latina hoc in loco praeferre vel sinunt vel etiam cogunt. Inter socios Pauli duo recensentur Thessalonicenses : Aristarchus et Secundus (20,4).

Verum, uti Antiochiae et Iconii (13,50; 14,2. 18), ita hic quoque Iudaei exsistunt perturbatores et persecutores v. 5 *zelantes autem Iudaei,* invidia et ira flagrantes ob magnam fidelium ex gentibus multitudinem; cf. 13,45 et 1 Thess. 2,16 prohibentes nos gentibus loqui nos persecuti sunt; habent zelum, sed non secundum scientiam (Rom. 10,2), *assumentesque de vulgo viros quosdam malos* τῶν ἀγοραίων ἄνδρας τινὰς ex circumforaneis, ex iis qui otiose in foro versantur, subrostrani, subbasilicani, *et turba facta concitaverunt civitatem,* tumultu excitato civitatem perturbarunt, *et assistentes domui Iasonis* ἐπιστάντες se sistunt ante domum Iasonis apud quem noverant hospitari Paulum et Silam, *quaerebant eos producere in populum,* ut plebe per Iudaeos excitata male tractarentur. Iason nomen est apud Iudaeos non adeo infrequens, quod scil. pro hebr. Iesus usurpabatur, ut aliquo modo graecis moribus accommodaretur (cf. 2 Mach. 1, 7; 4,7; *Iosephus,* Antiq. 12,5,1 : ὁ μὲν οὖν Ἰησοῦς Ἰάσονα αὑτὸν μετωνόμασεν); v. 6 *et cum non invenissent eos, trahebant Iasonem et quosdam fratres ad principes civitatis,* ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας; hanc vocem bene notent quicumque Lucae fidem detrectare audent! vox enim haec olim lexicographis incognita, tandem reperta est et ea quidem qua titulus magistratus Thessalonicae constituitur; πολιτάρχας enim Thessalonicae rebus praefuisse inscriptiones docent, in quibus vel sex vel quinque vel duo nominantur (cf. *Bl.; Vigouroux* l. c. p. 223[1]).

1. Bene ibi adnotatur : on ne saurait trop insister sur l'importance des preuves de ce genre, quelque minutieuses qu'elles puissent paraître, parce que, aux yeux de la critique,

Accusatio erat eadem quae etiam a Iudaeis contra Iesum erat prolata (Luc. 23,2. Ioan. 19,12. 15; *Salm.*), *clamantes : quoniam hi qui urbem concitant et huc venerunt* τὴν οἰκουμένην; ergo legendum est *orbem* (fuld., orbem terrarum *Cassiod.*, orbem *Cai.*); quibus verbis alludi videtur ad id quod *Iustinus* narrat de Iudaeis : « delectos homines constituistis ac per eos in totum orbem terrarum missos praedicastis impiam quandam et exlegem sectam a plano quodam Iesu excitatam fuisse » (c. Tryph. n. 108; cf. n. 17; *M.* 6,727. 514); idem quoque ex veterum scriptis patere asserit *Eusebius* (ad Is. 18, 1; *M.* 24,213). Proinde iam omnium invidiam in eos excitare student; v. 7 *quos suscepit Iason, et hi omnes,* proinde non solum apostolos, verum omnes iam fideles pro sua perfidia reos agere volunt laesae maiestatis, *contra decreta Caesaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum;* proin isti pariter, uti sacerdotes hierosolymitani, negant Messiam regem; regnum eius spirituale calumniatores isti regnum dicunt temporale, quo facilius invidiam et vindictam Romanorum evocent. Atque ita agunt Iudaei, ceteroquin ad rebellionem paratissimi et odio alieni imperii accensi. Hisce accusationibus plebem et praesides rei ignaros revera perturbarunt; nam si hoc ita erat, facile accidere poterat, ut civitas haberetur a Romanis pro seditiosa. Sed Iasoni ceterisque fidelibus thessalonicensibus qui praesidibus noti erant, non erat difficile illas calumnias destruere; praesidibus quoque honori reputandum est, quod non clamoribus Iudaeorum se obruere paterentur, sed testimonio Iasonis aliorumque acquiescerent v. 9 *et accepta satisfactione a Iasone et a ceteris dimiserunt eos* τὸ ἱκανὸν λαβόντες satisdatione accepta, ita scil. ut praesidibus persuasum esset nihil contra leges accidisse seu machinari. Quomodo illis sit satis datum, an per vades, sponsores, fideiussores (ph, *Bl.*), an deposita pecunia, ut simul pro futuro adesset sponsio, decerni nequit, neque multum interest. Et profecto, illis erat haud difficile invicte probare nihil esse actum nec agi neque ullum esse periculum ne quid ageretur quod cum aliqua specie criminis laesae maiestatis posset accusari.

Nihilominus consultum putarunt, ut apostoli furori Iudaeorum cederent. Ita Paulus citius quam pro institutione Thessalonicensium optandum erat profectus est (cf. 1 Thess. 2,17. 18; 3,10; 4,12 seq.)

elles sont décisives. Jamais aucun faussaire n'aurait pu deviner que les premiers magistrats de Thessalonique s'appelaient politarques, puisque les plus savants lexicographes, jusqu'à ces dernières années, ont eu peine à le croire. Cet argument acquiert encore beaucoup plus de force, si on le corrobore par tous les arguments de détail que nous avons donnés jusqu'ici et qui montrent tous la même exactitude et la même sûreté de renseignements.

v. 10 *fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Beroeam;* urbem Macedoniae, ad occidentem versus a Thessalonica, ad radices montis Bermii prope Pellam; *qui cum venissent, in synagogam Iudaeorum introierunt,* pro more; Iudaeis enim ex Christi mandato prius erat nuntius messianus deferendus; in synagoga aderant proselyti; ibi ergo ii praesto erant qui iam maxime praeparati erant ad evangelii susceptionem et per quos spes aderat fore, ut alii quoque ad evangelium audiendum adducerentur. Haec erat via et ratio aptissima pro propagatione evangelii. Et imprudentissimos rerumque plane vel ignaros vel negligentes se praebent illi qui volunt Paulum non a synagogis incepisse, sed statim reiectis synagogis gentiles esse allocutum. Quod uti fuisset contra sanam agendi rationem, ita est contra rerum gestarum fidem. Sed « criticae sublimiori » licet contra utrumque impingere. Saepe traducunt isti « critici » auctorem nostrum tamquam antiiudaicum; sed audiatur quomodo laudet Iudaeos si quid revera in iis laude dignum invenerit : v. 11 *hi autem erant nobiliores eorum* i. e. iis *qui sunt Thessalonicae,* εὐγενέστεροι, ἐπιεικέστεροι (*Chr. Oec. Theoph.*) animis nobiliores, magis generosi, liberaliores; meliorem hanc indolem exhibebant : *qui susceperunt verbum cum omni aviditate* οἵτινες quippe qui cum omni animorum promptitudine et desiderio praedicationem audierunt auditamque expenderunt et examinarunt, *quotidie scrutantes scripturas, si haec ita se haberent,* examinantes scil. locos a Paulo allatos, rectene ex iis argumenta duxerit scil. Messiam debuisse pati, resurgere etc. Bene notat *Lap.* : « non enim tenebantur credere, imo prudenter credere non poterant initiis evangelii et Paulo novo praedicatori, nisi re examinata comperissent hanc praedicationem esse consonam verbo Dei et oraculis prophetarum ». Antequam crederent, doctrinam Pauli examinarunt secundum normam scripturarum (cf. *Cassiod. Cai. Dion. Calm. Beel. Patr. Felt.*); distinguitur enim suscipere verbum et credere.

Omnes quidem qui audierunt Paulum praedicantem examinarunt locos scripturae; at non omnes revera fidem amplexi sunt. Fructum praedicationis et examinis instituti enarrat Lucas in v. 12 *et multi quidem crediderunt ex eis,* vel ut altera lectio habet : et alii quidem eorum credebant, alii autem non credebant; sed fructus praeclarus quoque exstitit ex parte gentilium : *et mulierum gentilium honestarum et viri non pauci* καὶ ἀνδρῶν et mulierum et virorum non pauci, τῶν εὐσχημόνων nobilium; cf. 13,50; divites (gig). Quam vere scripserit Paulus a Iudaeis se prohiberi gentibus loqui (1 Thess. 2,16), iterum ostenditur v. 13 *cum autem cognovissent in Thessalonica Iudaei,*

quia et Beroeae praedicatum est a Paulo verbum Dei et quod crediderunt (alt. lect.), *venerunt et illuc commoventes et turbantes multitudinem;* « nos persecuti sunt, Deo non placent, omnibus hominibus adversantur » (1 Thess. 2,15). Iudaei hierosolymitani occiderunt Messiam; Iudaei in diaspora synedrii sententiam et voluntatem exsequentes suo modo conantur occidere Messiam, ne in hominum animis vivat, ne eius regnum constituatur, atque ad id furorem rabiemque vulgi excitant.

Iudaeorum iram et indignationem praeprimis dirigi in Paulum, ex narratione patet; nam fratres in id incumbunt ut eum illorum vindictae subtrahant; Iudaeorum in se persecutiones multas ipse Paulus commemorat : quinquies a Iudaeis se flagellatum esse, pericula ex genere i. e. ex gente sua se expertum (2 Cor. 11,24. 26); v. 14 *statimque tunc Paulum dimiserunt fratres ut iret usque ad mare;* comitati sunt eum ad mare, ut opportunitate navigandi forte inventa facilius insectationes Iudaeorum vitaret. Id emolumenti afferebant istae persecutiones, ut indicat *Chr.*, praedicatio extendebatur Paulo in alias abeunte regiones; *Silas autem et Timotheus remanserunt ibi;* v. 15 *qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas;* verbis ipsis iter terrestre indicatur; navem itaque paratam invenisse non videntur. Iter terrestre clare indicatur altera lectione, eum impeditum fuisse, dum Thessaliam transiret, illis praedicare, quamvis in Thessalia non defuerint oppida maiora, uti Larissa, Pharsalus. Impeditus erat a Spiritu sancto (cf. 16,6); cito enim evangelium Corinthum erat perferendum, quoniam populus erat Domino multus in hac civitate (18,10); *et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt;* erat itaque coetus fidelium Beroeae satis firmiter constitutus; quare cooperatores suos Paulus ad se venire voluit ut in novo laborum campo sibi essent adiutores.

f) Paulus versatur Athenis 17,16-34.

17,16. Paulus autem quum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus eius in ipso videns idololatriae deditam civitatem. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Iudaeis et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. 18. Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo; et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero : Novorum daemoniorum videtur

17,16. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοὺς τοῦ Παύλου, παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ θεωροῦντος κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. 17. διελέγετο μὲν οὖν ἐν τῇ συναγωγῇ τοῖς Ἰουδαίοις καὶ τοῖς σεβομένοις, καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας. 18. τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἐπικουρίων καὶ τῶν Στωικῶν φιλοσόφων συνέβαλλον αὐτῷ· καί τινες ἔλεγον, Τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; οἱ

annuntiator esse : quia Iesum et resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quae est haec nova, quae a te dicitur, doctrina? 20. Nova enim quaedam infers auribus nostris : volumus ergo scire quidnam velint haec esse. 21. (Athenienses autem omnes, et advenae hospites, ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid nôvi).

22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait : Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. 23. Praeteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat : Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic coeli et terrae quum sit Dominus, non in manufactis templis habitat. 25. Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, quum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia; 26. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, 27. Quaerere Deum si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. 28. In ipso enim vivimus et movemur, et sumus : sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. 29. Genus ergo quum simus Dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominum, Divinum esse simile. 30. Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant; 31. Eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in viro in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis. 32. Quum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Quidam vero viri ad-

δὲ, Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι· ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν εὐηγγελίζετο. 19. ἐπιλαβόμενοι δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον ἤγαγον λέγοντες, Δυνάμεθα γνῶναι, τίς ἡ καινὴ αὕτη ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή; 20. ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν· βουλόμεθα οὖν γνῶναι, τίνα θέλει ταῦτα εἶναι. 21. Ἀθηναῖοι δὲ πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι ἢ ἀκούειν τι καινότερον.

22. Σταθεὶς δὲ Παῦλος ἐν μέσῳ τοῦ Ἀρείου πάγου, ἔφη, Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. 23. διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ. ὃ οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτο ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. 24. ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, οὗτος οὐρανοῦ καὶ γῆς ὑπάρχων κύριος οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, 25. οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρωπίνων θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα· 26. ἐποίησέν τε ἐξ ἑνὸς πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ παντὸς προσώπου τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, 27. ζητεῖν τὸν Θεὸν, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν, καίγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. 28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ἡμᾶς ποιητῶν εἰρήκασιν, Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. 29. γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον. 30. Τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεὸς, τὰ νῦν ἀπαγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πάντας πανταχοῦ μετανοεῖν· 31. καθότι ἔστησεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ, ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισεν, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

32. Ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, οἱ δὲ εἶπαν, Ἀκουσόμεθά σου περὶ τούτου καὶ πάλιν. 33. οὕτως ὁ Παῦλος ἐξῆλθεν ἐκ μέσου αὐτῶν. 34. τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευ-

haerentes ei crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

σαν· ἐν οἷς καὶ Διονύσιος (ὁ) Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς.

In v. 18 aliq minusc αναστασιν αυτου; item syr cop; sah νεκρων; gig om hanc sententiam : quia Iesum etc. In v. 19 D 137 ph μετα δε ημερας τινας επιλαβομενοι... πυνθανομενοι και λεγοντες. In v. 20 τινα θελει ℵAB aliq minusc cop sah aeth; τι αν θελοι DEHL al pler Chr. In v. 23 ο, τουτο ℵ* A* BD Or Hier gig vulg; alii ον, τουτον. In v. 26. εξ ενος ℵAB aliq minusc sah cop vulg; sat mu add αιματος. In v. 27 gig quaerere illud divinum, D το θειον εστιν Ir illud quod est divinum, Clem το θειον. In v. 28 D εσμεν το καθ'ημεραν.

Timotheus Athenas venit ad Paulum; sed inde a Paulo missus est Thessalonicam ad fratres confirmandos in fide (1 Thess. 3,1. 2). Ipse dein et Silas Corinthi apostolo adiunguntur (18,5). Utrum Silas quoque Athenis cum Paulo fuerit et ab eo inde directus sit in Macedoniam ad ecclesias Philippensium et Beroeanorum, an diutius Timotheo abeunte remanserit Beroeae et solum Corinthi Paulum iterum adierit, certo dici nequit. Sed quia Paulus utrumque quam celerrime ad se venire iusserat, merito illud prius assumendum erit. Paulus utrumque exspectabat Athenis; v. 16 *Paulus autem cum Athenis eos exspectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns* θεωροῦντος *idololatriae deditam civitatem*, παρωξύνετο, διέγγεσιν καὶ ζῆλον δηλοῖ (*Chr.*), διηγείρετο, οὐκ ἔφερεν, ἀλλ' ἐτήκετο (*Chr. Oec. Theoph.*); κατείδωλον πόλιν urbem idolis plenam; quae vox hoc solum loco legitur; sed recte formata est, sicut aliae similes : κατάμπελος, κατάδενδρος etc. Veteres quoque affirmant Athenienses quam plurimos deos colere; iis attribuit *Pausanias* περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις σπουδῆς circa divina (1,24,3) et *Iosephus* scribit Graecorum omnium religiosissimos affirmari (εὐσεβεστάτους) Athenienses (c. Ap. 2,11) et *Strabo* hoc eis testimonium reddit : multa sacra peregrina receperunt, adeo ut eo nomine etiam in comoediis exagitarentur (10,3,18; al. 10 p. 471. al, 722); illos duplo plures agere dies festos quam alii soleant *Xenophon* asserit (de republ. Athen. 3 ἑορτὰς διπλασίους ἄγουσιν ἢ οἱ ἄλλοι); maiorem in deos quam ceteri religionem prae se ferunt, repetito scribit *Pausanias* (1,17,1); *Livius* quoque ibi cerni deorum simulacra, omni genere et materiae et artium insignia (45,27) narrat; etiam plura *Wetst.* affert.

Magno studio Paulus omnibus doctrinam veritatis et salutis exponere conabatur v. 17 *disputabat igitur*, διελέγετο cf. 17,2 *in synagoga cum Iudaeis et colentibus*, proselytis, diebus sabbati, *et in foro per omnes dies ad eos qui aderant*, in foro vetere sub Areopago sito (*Bl.*), in Ceramico; nam nomen istius fori erat Κεραμεικός; de eo eiusque

porticibus, statuis, picturis, templis agit Pausanias (1,3). Cum iis qui forte aderant in foro, sermones miscebat; v. 18 *quidam autem epicurei et stoici philosophi disserebant cum eo* συνέβαλλον αὐτῷ cum eo congrediebantur, cum eo conferebant; et epicurei quidem, homines voluptati dediti, eius doctrinae magnum offerunt contemptum et statim a limine eam repudiant; *et quidam dicebant : quid vult seminiverbius hic dicere* τί ἂν θέλοι quasi rem proponeret quae ad quid tendat et quid sibi velit nullatenus intelligi possit ὁ σπερμολόγος, proprie avicula est quae in triviis solet semina colligere; inde homines viles eo nomine vocari solebant (*Oec. Theoph.*), et imprimis erat verbum contumeliosum ad locutorem futilem, blateronem, nugatorem, scurram designandum; « sine dubio hoc ex ipso ore Atheniensium auctor excepit » (*Bl.*). Frivola et profana indoles epicureorum satis una ea voce depingitur. Aliter stoici : *alii vero : novorum daemoniorum videtur annuntiator esse,* δαιμονίων « plane ut Socrates ex accusatione Meleti, Xenoph. Memor. 1,1,1; Plato Apol. 24; neque fortuita haec similitudo; ipse usus nominis τὸ δαιμόνιον = ὁ δαίμων (cum proprie esset velut τὸ θεῖον) a Socratis notissimo daemonio fluxit » (*Bl.*). Et cur *peregrina numina* iis annuntiare videatur, exponitur : *quia Iesum et resurrectionem annuntiabat eis;* Iesum et Anastasin peregrina esse numina putabant, Anastasin deam quandam esse existimantes (*Chr. Felt. Bl. Wendt*).

Uti Cicero refert, Epimenide Crete suadente Athenienses fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae (de legibus 2,11). Quare Anastasin etiam tamquam numen quoddam eos concepisse facile creditur. Curiositate autem stimulati, quid tandem fabularum de peregrinis hisce numinibus peregrinus afferret, eum adducunt in locum editum vacuum, ut coram multis rem suam exponat v. 19 *et apprehensum eum* ἐπιλαβόμενοι 9,27; eum amice manu prehendentes, *ad areopagum duxerunt dicentes : possumus scire quae est haec nova quae a te dicitur doctrina?* non vi, non ad iudicium eum ducunt, non ut accusent eum coram iudicibus; sed uti ex ipsa quaestione patet et Lucas in v. 21 clarissime indicat, nova quaedam ab eo audire volunt. Erat autem areopagus locus editus et vacuus iuxta forum, in quo versari solebat Paulus; « commodissimum erat loco vacuo uti, ubi quod etiam caedis iudicia antiquitus fiebant, profecto nihil ad hanc rem attinet. Attinet fortasse, quod in conspectu proximo erat arx cum praeclarissimis veterum Athenarum monumentis; sed huius rei nosmetipsi commonefacimus, non Paulus neque Lucas, qui haec neque scire neque curare videtur » (*Bl.*). Cur eum audire velint, etiam pluribus efferunt v. 20 *nova enim quaedam* ξενίζοντα i. e. quae sua inso-

lentia, novitate permira videntur *infers auribus nostris; volumus ergo scire, quidnam velint haec esse;* et quantopere id Atheniensium indoli congruat, Lucas adnotat v. 21 *Athenienses autem omnes et advenae hospites* et peregrini qui ibi habitant; Athenienses qui tunc erant colluviem nationum vocat Piso apud Tacit. Annal. 2,55 (*Bl.*), *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi*, id quod iam Demosthenes iis exprobravit : βούλεσθε περιιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι· λέγεταί τι καινόν; in Philip. 1,10, et Seneca (ep. 94) : Alexander qui quod cuique optimum est eripuit, Lacedaemona servire iubet, Athenas tacere; plura eiusmodi affert *Wetst.* ad h. l. Quod veteres dicunt ad iudices Paulum esse ductum non est repetendum.

Oratio Pauli quae sequitur magna prudentia et arte est ad auditorum indolem accommodata. Orditur ab aliqua captatione benevolentiae (v. 22) et mentione facta inscriptionis : ignoto Deo, attentio audiendi aliquid novi excitatur (v. 23); dein exponitur vera Dei notio, a quo per unum hominem totum genus humanum exsistat quandam cum Deo cognationem ac similitudinem referens teste poeta quodam; unde iam explodi notionem idololatriae; Deum nunc omnibus nuntium mittere, ut ab eo errore resipiscant; nam fore iudicium Dei per virum a Deo constitutum et resuscitatione a mortuis approbatum (v. 24-31). Bene notat *Bl.* : « oratio Pauli quin fideliter, etsi brevissime, expressa sit, recte dubitari nequit; ita sunt omnia et loco et audientibus accommodata. Tum quilibet qui paullo recentiore aetate orationes Pauli conficturus erat, usurus erat Pauli epistulis, quarum in hac non magis quam in ceteris orationibus (c. 13. 20.22. 24.26) ullus usus compareat. Neque vero ex illo μόνοι 1 Thess. 3,1 concludendum est ne ministrum quidem Paulo Athenis adfuisse ».

In loco igitur edito ex quo in urbem et monumenta et templa aspectus late patet Paulus hanc primam demonstrationem christianam, primam hanc apologiam coram gentilibus pronuntiavit, quam tamen plene ad finem perducere non potuit, uti ex v. 32 patet; v. 22 *stans autem Paulus in medio areopagi*, non dicitur Ἄρειος πάγος nisi de loco (*Bl.*), *ait : viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video* ὡς δεισιδαιμονεστέρους, quae vox in latina versione non est feliciter reddita; non enim dura illa expressione superstitionis utitur Paulus, sed effert quam studiosi sint colendi et reverendi numina, δαιμόνια; *Chr.* explicat εὐλαβεστέρους et ait : ὥσπερ ἐγκωμιάζων αὐτοὺς δοκεῖ οὐδὲν λέγειν βαρύ. Nam omne numen revereri illis ita cordi erat, ut ignoto quoque deo aram consecrarent, v. 23 *praeteriens enim et videns simulacra vestra inveni et aram, in qua scriptum erat : ignoto Deo;* « inde pulcherrimum sumit initium, quod scriptum reperit : ignoto

Deo, ut necessario quaererent, quem ipsi incognitum sibi esse professi sunt » (*Cassiod.*). Et *Pausanias* quidem refert in Phalero, portu Athenarum, fuisse aras θεῶν ὀνομαζομένων ἀγνώστων (1,1,4) et Olympiae quoque recenset ἀγνώστων θεῶν βωμόν (5,14,8). Ex quo narrandi modo exstitisse aras ignotis diis inscriptas, nullatenus sequitur ubique pluralem numerum esse adhibitum; dubitari nequit quin Paulus id revera viderit quod coram Atheniensibus se vidisse affirmat. Qua ratione autem eiusmodi inscriptio poni potuerit, discimus ex eo quod Diogenes Laertius narrat in vita Epimenidis (Vitae philos. 1,10); « Atheniensibus enim peste laborantibus Epimenides ita pestem compescuit : sumpsit oves nigro et candido vellere duxitque in areopagum atque inde quo vellent abire permisit, his qui illas sequebantur mandans, ubicumque illae accubuissent, singulas deo loci — τῷ προσήκοντι θεῷ — immolarent. Hinc est quod etiamnunc per Atheniensium demos sive pagos reperiuntur arae sine nomine » i. e. arae sine nomine certi cuiusdam dei, quae itaque inscriptae erant τῷ προσήκοντι θεῷ, τῷ ἀγνώστῳ etc.[1].

Inde ergo ansam capit, quasi dicens non peregrina vobis annuntio, sed quem vos ipsi nominastis ignotum Deum, hunc praedico (cf. *Theoph.*) : *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis,* « ordo diligenter apostolicae disputationis est intuendus, qua ita apud gentiles tractatus seriem format, ut primum unum Deum auctorem mundi omniumque esse doceat » (*Beda*) v. 24 *Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat;* Deus iste vobis ignotus creator est omnium adeoque Dominus omnium; de eo nullatenus cogitandum est prout de falsis diis sentiri solet; nam dii, seu numina divina censebantur habitare in simulacris; quare apud Ciceronem de Verre talia queruntur, sese iam ne deos quidem in suis urbibus ad quos confugerent habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris sustulisset; et apud senatum romanum alii queruntur, deos ipsos convulsos esse ex sedibus suis, quos adorarent, ad quos precentur et

1. Inscriptionem fuisse hanc affirmat Hieronymus : diis Asiae et Europae et Africae, diis ignotis et peregrinis (Comment. in ep. ad Tit. 1,12; *M.* 26,572); hanc affert *Oec.* : θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ; item *Theoph.* — Athenis fuisse aras etiam ἀγνώστων θεῶν Philostratus quoque refert in vita Apollon. 6,2; cf. *Wendt.* In *cat.* affertur ex sermone *Chr.* adversus Iudaeos : « Paulus ingressus Athenas non ex prophetis neque ex evangelio eis disserebat, sed ex altari adhortationem instituit, non quasi illud altare maiore fide dignum putaret quam evangelia, neque quia verba ibi scripta digniora essent ac praeclariora vocibus prophetarum, sed quia ad Graecos loquebatur, qui nihil nostrarum rerum credebant, a domesticis eorum sententiis eos adortus est. Hoc est quod dicit : factus sum τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος ». Qua occasione posita sit illa inscriptio, varia referunt *Isidorus* pelusiota (ep. 4,69; *M.* 78,1128, et in *cat.*), item *Oec. Theoph.*

supplicent, Ambraciensibus non superesse (vide haec aliaque eiusdem rei testimonia in meo Comment. Is. II p. 164). Una hac voce, ait *Chr.*, omnia philosophorum dogmata (de origine mundi rerumque omnium) subvertit; opus Dei esse declarat mundum et cuncta quae in eo sunt; vide brevitatem et in brevitate claritatem.

Dein duo divinitatis indicia exhibet, quod nullo indigeat et quod omnibus omnia praebeat (*Chr.*) v. 25 *nec manibus humanis colitur*, θεραπεύεται non indiget ministerio humano, ut quaedam ei suppeditentur; non indiget sacrificiis, quasi *indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem* πνοήν, halitum, spiritum vitalem, quo scil. vita semel data conservatur; proin vitae conservationem largitur continuo, sicuti continuo spiritus ille vitalis trahitur et uno verbo tribuit nobis *et omnia;* notionem sublimem Dei tradit: est omnium effector, dominus omnium, omnibus largiens cuncta quae habent, totum quod sunt. Homo igitur a Deo originem et vitam habet; verum ita ut omnes homines unam magnam familiam constituant ex uno parente ortam ac proin arcta necessitate et cognatione coniunctam v. 26 *fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae;* mythos igitur illos convellit, quibus alia origo aliis nationibus attribuitur; proin aliae gentes non sunt contemnendae, non utpote barbarae et vili origine ortae abiiciendae; eadem est in omnibus ac singulis dignitas humana. Genus humanum Deus sua providentia regere eique providere non desistit: *definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum,* dum scil. prout singulis hominibus, ita populis quoque suum cuique tempus imperii et quasi vitae assignaret, iisque certos quosdam terminos habitationis praefigeret. Ita cuncta in populorum historia Deo subesse et ab eo dirigi docet. Uti cuique genti certum quoddam tempus praefigitur, ita conditiones quoque regionis, aeris, brevi, cuncta quibus termini habitationis constituuntur et ab aliis distinguuntur, singulis ab eorum creatore ac gubernatore attribuuntur (cf. 13,19. Iob 12,23). Sunt qui *statuta tempora* explicent secundum 14,16: dans tempora frugifera, dans ver, aetatem, hiemem (*Wendt*); verum id iam continetur in v. 25; hoc loco apostolus maius quid indicat et generi humano sicuti certa tempora, ita quoque certos terminos ait assignari qui montibus, fluminibus, maribus aliisque conditionibus fertilitatis, variorum subsidiorum inter se differant et constituantur.

Haec autem Dei providentia et cura in id tendit ut homines hunc rerum omnium effectorem ac gubernatorem ex ipsius effectibus adeo conspicuis agnoscant ac venerentur v. 27 *quaerere Deum,* scil. ut quaererent Deum, infinitivus solus saepe ita ponitur ut quod quis

consequi velit exprimatur (cf. *Buttmann,* Neutest. Gr. p. 224; *Blass,* Gram. d. neutest. Gr. p. 218). Proin ex omnibus illis quae habebant, ex apta rerum dispositione id consequi voluit Deus, ut inquirerent quisnam sit eorum omnium causa, scil. ut ex effectibus illis ad effectorem concluderent (cf. Sap. 13,1 seq. Rom. 1,20), *si forte attrectent eum aut inveniat,* εἰ ἄραγε[1] an igitur (saltem rebus scil. ita comparatis) eum cogitando et quaerendo attrectent mente et inveniant, notionem veram eius et iustam sibi efforment; verbo ψηλαφᾶν egregie declaratur et proximum esse Deum et oculis occultum (*Bl.*). Dictio apta est ad verbum quaerere; qui quaerit, manibus palpat et si rem quaesitam palpaverit eam invenit. Id quod facile ad mentis operationes transfertur. Atque haud difficile fuisse Deum invenire statim subditur : *quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum,* v. 28 *in ipso enim vivimus et movemur et sumus,* vita omnis, omnis motus, ipsum esse in eo solo habetur, ab eo accipitur, per eum conservatur; in eo tamquam in causa efficiente nos toti versamur; in eo omnis vita, motus, esse omne quasi in suo fulcro et origine consistit et nititur; insuper « quasi corporeo exemplo huiusmodi quidpiam dicit : sicut impossibile est ignorare aerem ubique diffusum non procul ab unoquoque esse, imo et in nobis esse, ita etiam omnium creatorem » (*Chr.*). Unde *Lap.* : in Deo ergo quasi in aethere infinito vivimus et movemur; intra illum stamus et habitamus; ille nos penetrat sua essentia, penetrat totum corpus, totam animam, omnes eius sinus, angulos et latebras; extra illum exire non possumus; in Deo vivimus et ex eo vivimus, ut extra eum vivere non possimus.

In ipsa sententia cernitur gradatio : sine Deo vel extra Deum non haberemus vitam, ne motum quidem, ne esse quidem. Unum quod in illo ἐν αὐτῷ continetur, nos scil. haec habere a Deo iam illustrat apte ad indolem audientium : *sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : ipsius enim et genus sumus;* hemistichium hoc legitur apud Aratum (quem *Chr.* quoque nominat) Phaenom. 5 et apud Cleanthem, Hymn. in Iov. 5 (cf. *Beel. Patr. Felt. Wendt*) i. e. ab ipso originem ducimus, ipsius sumus progenies; proin similitudo quaedam necesse est intercedat inter nos et ipsum, cuius genus sumus. Quare ea sententia apostolus utitur, ut genus idololatriae vulgatum perstringat et ostendat, homines ex sua ipsorum natura debuisse pervenire ad notionem Deo digniorem v. 29 *genus ergo cum simus*

1. De hac particula ἄρα agit *Klotz,* Devar. II p. 178, de ἄραγε p. 191; ἄρα nihil aliud significat nisi rebus ita comparatis; si γε accedit, augetur notio et est quaedam elliptica ratio dicendi agnoscenda : si nihil aliud, certe hoc statuendum est quod per particulam inducatur; ob wenigstens sonach.

Dei, non debemus aestimare auro aut argento aut lapidi, sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile; divinum esse simile figuris scil. factis ex auro vel argento, vel sculpto, operi caelato quod hominum ars vel ἐνθύμησις, cogitatio studiumve fecerit. Homo itaque ex sua ipsius natura, ex intellectu et voluntate, sibi efformare debuit notionem Dei summe intelligentis, potentis, libere volentis et plane respuere notionem qua numen divinum consecratione quadam statuis inesse iisque quasi alligari vulgus existimabat; eius opinionis testimonia vide in Comment. Is. II p. 164. « Nostra conditio et natura ipsa certiores nos facit nihil divinum esse posse in fictis numinibus, sive ad horum materiem spectes sive ad formam quippe quam nos pro lubitu illis indamus » (*Patr.*).

Ita sibi paravit viam ad veritatem annuntiandam, quam ipse Deus iam omnium auribus animisque inferri iubet v. 30 *et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus;* cf. 14,15; haec tempora erroris aversatus, *nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant,* μετανοεῖν, ut resipiscant cum dolore de anteactis; de vocis notione hac vide quae notavi in Comment. Matth. I p. 117. Ad quam adhortationem firmandam additur ratio v. 31 *eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in aequitate,* proin, uti Rom. 1,18, iram Dei minatur; iudicium fore dicit ἐν δικαιοσύνῃ; quale iudicium igitur immineat idololatris, nisi egerint poenitentiam, satis ex antecedentibus colligitur, quibus ostensum est, quam longe ignoratio Dei et idololatria a norma veri ac recti recedat et homini ratione utenti in ignominiam et culpam vertatur. Dies itaque talis iudicii iam constitutus est. Iudicium autem fiet per Iesum; unde *in viro* (cf. 1 Cor. 6,2 *in* vobis iudicabitur mundus), simul explicatur intima eius viri, in quo Deus iudicaturus est, cum Deo unio ac consensio, *in quo statuit* ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισεν quem statuit, constituit (10,42) ad hoc destinavit; et hunc virum ab eo esse approbatum, *fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis* huic Deus apud omnes fidem facit, omnibus persuasionem certam demonstrat illum esse constitutum iudicem, quia eum a mortuis suscitavit. Ergo hic quoque resurrectio tamquam certissimum pro Iesu missione documentum profertur.

Ita apostolus iam de Iesu servatore sermonem inferre voluit. Verum qui eum audiebant, mentione plane mira suscitationis a mortuis adeo percelluntur, ut loquentem interrumpant v. 32 *cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dicebant: audiemus te de hoc iterum;* alii eum deridebant, alii urbanius id agentes dicebant: audiemus te alias hac de re (*Beel.*); simili modo audita resurrectione mortuorum Festus exclamat: insanis,

Paule; multae te litterae ad insaniam convertunt (26,24). Oratione itaque minime ad finem perducta v. 33 *sic Paulus exivit de medio eorum*. Neque tamen omni fructu eius oratio caruit v. 34 *quidam vero viri adhaerentes ei crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita et mulier nomine Damaris et alii cum eis,* Dionysius erat areopagitici tribunalis assessor; in collegium Areopagitarum deveniebant munere archontum functi (*Bl.*). Erat proin vir nobilis et munerum gestatione insignis. Nomen Δάμαρις aliunde est ignotum; Δάμαλις (quod fl praebet) satis vulgatum; neque tamen propterea mutationem facere consultum est. Nam etsi λ et ρ saepius inter se commutentur, nomina virorum Damarion, Damares; Damaretus, nomen mulieris Damarete reperiuntur (cf. *Wendt*), adeoque Damaris nihil habet quo quis offendatur. Neque opus est ut in tanta nominum multitudine et varietate unumquodque nomen pluribus testimoniis comprobari quis velit.

Non defuerunt qui Damarin uxorem Dionysii putarent (cf *Ambrosius*, ep. ad Vercell. I, 63; *M.* 16,1196; *Chrysost.* de sacerdotio 4,7; *M.* 48,669; *Asterius*, or. 8 in Petrum et Paulum; *M.* 40,293); sed cum Lucas scribat καὶ γυνή (non ἡ γυνή, non αὐτοῦ) haec opinio excluditur. De ea re longiorem disputationem praebent Acta SS. Oct. t. 4 p. 771 seq. de Areopagita ibidem p. 697 seq. Dionysium fuisse episcopum Atheniensium iam asseruit ἀρχαίων τις alter Dionysius, episcopus Corinthi, uti *Eusebius* refert (h. e. 3, 4; 4, 23; *M.* 20,221. 385); idem asseritur in Constit. apost. 7,46 (*M.* 1,1054) et a Maximo in suis annotationibus ad opera (spuria) Dionysii (*M.* 4,17). Ceterum vide quae de epistolis dixi quae olim Dionysii Areopagitae censebantur (Comment. Matth. II p. 531. 532) et vide *Stiglmayr :* Der Neuplatoniker Proclus als Vorlage des sog. Dionysius Areop.; Hist. Jahrb. 1895 p. 253 seq. 721 seq. — Das Aufkommen der Pseudo-Dionysischen Schriften und ihr Eindringen in die christl. Litteratur bis zum Laterankonzil 649; Feldkirch 1895.

Critici aliqui mira sagacitate non possunt inter se conciliare, quomodo Paulus videns urbem idolis refertam indignetur et in synagoga Iudaeorum disserat. Ita v. g. *Hilg.* statuit : si Paulus indignationem suam de idolis declarat sermonibus, uti μὲν οὖν docet, hisce locus non erat synagoga! Quare ipse interpolationem esse censet ea quae de synagoga dicuntur; alter criticus e contra synagogam retinet, sed indignationem de idolis ad interpolationem refert. Num revera duo haec non possunt inter se consistere? Indignatur de idololatria; quare ut Dei honor promoveatur, et in synagoga et in foro docet. Cur propter indignationem de idolis impediretur ne adiret synagogam? *Hilg.* quaerit : cum Paulus Athenis fuerit sine socio, quomodo eius oratio potuit fideliter tradi? ibi videtur magnam cernere difficultatem, quia vituperat philologum Curtius, quod ad hanc quaestionem non responderit. Probabilissime is cum aliis id plane superfluum re-

putavit, quia Paulus post eam orationem neque memoriam neque loquelam amisit; unde ipse potuit narrare quid Athenis egerit. *Hilg.* etiam v. 34 eiicit; « nam in 18,1 nullum est vestigium parvi illius successus et 1 Cor. 16,15 non Dionysius, sed Stephanas appellatur ἀπαρχὴ Achaiae; unde ipse Paulus dicit contrarium eius quod in v. 34 legitur ». Prius non meretur responsum; cur enim necesse erat scribere ipsum valedixisse fratribus, ita ut hoc omisso iam pateret v. 34 esse spurium? non Stephanas, sed eius domus, familia vocatur prima, ἀπαρχή Achaiae. In v. 34 de nulla familia mentio fit quae fidem susceperit, sed de singulis quibusdam.

g) Paulus fructuose laborat Corinthi 18,1-11.

18,1. Post haec egressus ab Athenis, venit Corinthum. 2. Et inveniens quemdam Iudaeum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem eius (eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma), accessit ad eos. 3. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur (erant autem scenofactoriae artis). 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatque Iudaeis et Graecis.

5. Quum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudaeis esse Christum Iesum. 6. Contradicentibus autem eis et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum : mundus ego, ex hoc ad gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogae. 8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, et multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : Noli timere, sed loquere, et ne taceas : 10. Propter quod ego sum tecum; et nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac civitate. 11. Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei.

18,1. Μετὰ ταῦτα χωρισθεὶς ἐκ τῶν Ἀθηνῶν ἦλθεν εἰς Κόρινθον· 2. καὶ εὑρών τινα Ἰουδαῖον ὀνόματι Ἀκύλαν, Ποντικὸν τῷ γένει, προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, καὶ Πρίσκιλλαν γυναῖκα αὐτοῦ, διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ τῆς Ῥώμης, προσῆλθεν αὐτοῖς· 3. καὶ διὰ τὸ ὁμότεχνον εἶναι, ἔμενεν παρ' αὐτοῖς καὶ ἠργάζοντο· ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τῇ τέχνῃ. 4. διελέγετο δὲ ἐν τῇ συναγωγῇ κατὰ πᾶν σάββατον, ἔπειθέν τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας.

5. Ὡς δὲ κατῆλθον ἀπὸ τῆς Μακεδονίας ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος, συνείχετο τῷ λόγῳ ὁ Παῦλος, διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. 6. ἀντιτασσομένων δὲ αὐτῶν καὶ βλασφημούντων, ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια εἶπεν πρὸς αὐτούς, Τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν· καθαρὸς ἐγώ, ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὰ ἔθνη πορεύσομαι. 7. καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς οἰκίαν τινὸς ὀνόματι Τιτίου Ἰούστου, σεβομένου τὸν Θεόν, οὗ ἡ οἰκία ἦν συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ. 8. Κρίσπος δὲ ὁ ἀρχισυνάγωγος ἐπίστευσεν τῷ Κυρίῳ σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ· καὶ πολλοὶ τῶν Κορινθίων ἀκούοντες ἐπίστευον καὶ ἐβαπτίζοντο. 9. Εἶπεν δὲ ὁ Κύριος ἐν νυκτὶ δι' ὁράματος τῷ Παύλῳ, Μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει καὶ μὴ σιωπήσῃς· 10. διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ, καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι τοῦ κακῶσαί σε· διότι λαός ἐστί μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. 11. ἐκάθισεν δὲ ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ἕξ, διδάσκων ἐν αὐτοῖς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.

In v. 1 D αναχωρησας δε απο, gig post haec ab Athenis recessit et venit. In v. 2 gig add et salutavit eos. In v. 3 ph (mg) fl et quia eiusdem gentis et opificii esset; sim Spec (Aug) unius gentis et unius artis. In v. 4 D διελεγετο και εντιθεις το ονομα του κυριου ιησου sim ph (mg) gig vulg, D ου μονον ιουδαιους αλλα και ελληνας. In v. 5 gig urgebatur verbo Paulus. In v. 6 praemittit D πολλου δε λογου γινομενου και γραφων διερμηνευομενων; item ph (mg); D αφ υμων νυν πορευομαι. In v. 8 εβαπτιζοντο πιστευοντες τω θεω δια του ονοματος του κυριου ημων ιησου χριστου; ph c* credebant per nomen domini I. Chr.

Athenis parum fructus se collecturum intellexit Paulus et indole Atheniensium (17,21) et modo quo duae illae philosophorum sectae doctrinam contemptim audierunt. Hisce sectis duo illa quasi exhibentur quae maximo fidei impedimento sunt : voluptas et superbia; quibus si accedat levitas illa, verbum Dei solum irrisioni exponitur. Unde apostolus se recepit ab Athenis, ἀναχωρήσας (D) quasi locum quaerens tutiorem, meliorem (*Bels.*, vide quae de eo verbo dixi ad Matth. 4,12) v. 1 *post haec egressus ab Athenis venit Corinthum,* urbs locuples dicitur ob emporium, in Isthmo sita, portus duos habet, unum Italiae, alterum Asiae obversum; ita *Strabo* (8,6,20; al. 378 al. 580); eodem teste fanum Veneris πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτητο ἑταίρας; urbs erat ob morum corruptionem male famosa, uti voce κορινθιάζειν satis proditur; v. 2 *et inveniens quendam Iudaeum nomine Aquilam,* Ἀκύλας (cf. Κυρίνιος Quirinius); est Aquila nomen romanum et effertur graece Ἀκύλας, uti patet etiam ex titulo libri 59 historiarum Dionis Cassii, ubi Aquila Iulianus Ἀκύλας transcribitur; quare nomen nequaquam Aquilius efferatur necesse est, *Ponticum genere,* oriundum ex Ponto provincia Asiae minoris (cf. 2,9); ibi Iudaeos inhabitasse vide 1 Petr. 1,1; quare frivolum est Lucam erroris arguere; quasi ex eo quod tempore Ciceronis Pontius quidam Aquila vixerit iam necessario sequatur Aquilam hunc fuisse libertum illius Pontii et proin non Ponticum genere, sed Pontium fuisse appellandum, uti aliqui volunt, contra quos *Felt.* bene agit; *qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem eius;* nomen uxoris pariter est romanum; nomen deminutivum a Prisca, uti nominatur Rom. 16,3 et 2 Tim. 4,19; unde discimus eos iterum postea Romam redisse.

Cur dictum sit προσφάτως eos venisse, ratio redditur : *eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma;* id quod nono Claudii anno (49 vel 50 p. Ch.) factum esse *Orosius* affirmat (7,6; *M.* 31,1075) et *Suetonius* scribit : Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit (Claud. 25). Uti Iudaei contra Christianos tumultus excitabant Antiochiae, Iconii, Lystris, Thessalonicae, Beroeae (13,50; 14,2. 18; 17,5. 13); ita Romae quoque contra nascentem Christi ecclesiam a Petro fundatam. Gentilibus nomen Christi erat

ignotum, Chrestus autem erat nomen haud infrequens; unde haud raro immutata littera Chrestum ex ignorantia dicere solebant pro Christo, uti *Lactantius* quoque notat (Instit. 4,7; *M.* 6,464). Si itaque propter Christum Iudaei tumultuabantur et in Christianos, facile intelligitur, quomodo Suetonius ipsum Chrestum tamquam ducem et impulsorem tumultuum potuerit erronee describere. Atque ita plerique explicant; alii tamen Chrestum quendam Iudaeum auctorem rebellionis assumere malunt. Iudaei Romae magno numero habitabant; exemplo est quod legationi Iudaeorum, quae contra Archelaum Romam venerat, sese adiungebant ex Iudaeis Romae degentibus plus quam octo millia (*Iosephus,* Antiq. 17,11,1). Mox tamen conatum eos expellendi esse derelictum, concludendum est ex eo quod Dio Cassius narrat : propter multitudinem difficile fuisse Iudaeos sine perturbatione ab urbe arcere, unde Claudium eos non quidem expulisse, sed τῷ πατρίῳ βίῳ χρωμένους μὴ συναθροίζεσθαι iussisse (60,6).

Apud Aquilam et Priscam Paulus Corinthi habitabat : *accessit ad eos* et salutavit eos (gig) v. 3 *et quia eiusdem erat* gentis et *artis manebat apud eos;* quaerunt fueritne Aquila iam Christianus. Dubium movetur quia v. 2 solum Iudaeus vocatur. Sed potest responderi ibi originem efferri quia origo erat causa, cur debuissent ab Italia migrare; *et operabatur, erant autem scenofactoriae artis,* σκηνοποιοὶ τῇ τέχνῃ, tabernaculorum, tentoriorum confectores (*Cai. Lap. Beel. Patr. Felt. Wendt*), qui ex corio, ciliciis, pannisque linteis tentoria minora portabilia conficiunt vel consuunt (cf. *Grimm,* Lex.). Etiam rabbini saepe opificium quoddam exercebant (cf. *Schürer* l. c. II p. 259) et Maimonides dicit : multi ex sapientibus opificium aliquod exercebant, ne aliis graves essent (*Beel.*). Et apostolus hac ratione sibi victum comparasse, ne cuiquam oneri esset et ut evangelium sine sumptu faceret, saepius professus est (20,34. 1 Cor. 4,12; 9,18. 1 Thess. 2,9. 2 Thess. 3,8). « Et operabatur praedicans : erubescamus nos qui etiam sine praedicatione vivimus otiose » (*Chr.*); v. 4 *et disputabat per omne sabbatum* διελέγετο cf. 17,2. 17, *interponens,* ἐντιθείς inserens *nomen Domini Iesu suadebatque Iudaeis et Graecis,* cum in synagoga praedicaret, Graeci potissimum proselyti erunt intelligendi. Videtur ἐντιθείς indicare eum ab initio non statim aperte de Iesu praedicasse, verum longiore quadam praeparatione usum esse, donec notionem Messiae in Iesu esse adimpletam et absolutam aperte profiteretur.

Postea, cum eius socii advenissent, maiori vi praedicationi instabat et aperte Iesum esse unum illum Messiam ac salvatorem affirmabat v. 5 *cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus,* cf. 1 Thess. 3,1. 2; vide quae notata sunt ad 17,16; *instabat verbo*

Paulus testificans Iudaeis esse Christum Iesum; 9,22 et διαμαρτυρόμενος 2,40; 8,25; 10,42. Verum Messias talis, patiens, crucifixus Iudaeis erat scandalum (1 Cor. 1,23); v. 6 *contradicentibus autem eis et blasphemantibus,* uti 13,45 Antiochiae factum est, *excutiens vestimenta sua,* hoc emblemate designans se omne cum illis commercium abiicere iuxta illud Christi : quicumque non audierit sermones vestros, exeuntes foras excutite pulverem de pedibus vestris (Matth. 10,14. Luc. 10,11; *Calm.*); cf. 13,51; *dixit ad eos : sanguis vester super caput vestrum;* cf. 2 Reg. 1,16; exitium vestrum vobis ipsis imputetur (*Beel. Patr.*); fit allusio ad illud : sanguinem eius de manu speculatoris requiram (Ez. 33,6-9) : nuntium laetissimum omnium de salute vestra aeterna vobis obtulimus, quem vos vestro malo maximo respuistis (*Salm.*); vestes excutit; opere et verbo eos terret; est autem ac si diceret : unusquisque qui a Christo qui vita est discedit seipsum iudicatur occidere transiens a vita ad mortem, quasi sanguinem suum fundens per caedem quam sibi infert (*Oec.*); *mundus ego :* ego insons sum vestri exitii; quod muneris mei erat feci (*Beel.*); sibi applicat illud : si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus, ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti (Ez. 33,9; 3,19). Cum itaque frustra iam labor Iudaeis impendatur : *ex hoc* tempore a vobis *ad gentes vadam;* cf. 13,46. 47.

Haec itaque in synagoga Iudaeis exprobravit v. 7 *et migrans inde* μεταβὰς ἐκεῖθεν ex synagoga; iam non in synagoga docuit; sed in domo vicina exinde praedicabat et suos coetus religiosos celebrabat; *intravit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis Deum,* proselyti, *cuius domus erat coniuncta* συνομοροῦσα contermina, contigua *synagogae;* in domo vicina praedicat, ne Iudaeis praedicationem suam subtrahere videatur, ut ex ipsa vicinia eorum zelum invitet (cf. *Chr.*), quasi demonstrans aegre se fratres suos secundum carnem relinquere, paratum se esse semper ad operam illis praestandam (*Calm.*). Alteram igitur synagogam iuxta synagogam sibi constituit, ita continuo Iudaeos quoque invitans ad nuntium messianum audiendum. Perperam aliqui (uti iam D) illud ἐκεῖθεν referunt ad domum Aquilae et hospitii mutationem enuntiari volunt (*Hilg. Clemen,* contra quos *Bl. Wendt, Weiss*); id quod aperte contra contextum et narrationem asseritur. Paulus Iudaeis obstinationem et contumaciam obiicere vult et se ab infidelibus illis separare gravissimasque minas hac ipsa secessione illis intentare; quid tandem ad hoc conferret mutatio hospitii? Confert autem, ut minis illis pronuntiatis statim discedat ex synagoga et prope eam praedicationem continuet. Quae Pauli severitas

fructu non caruit; nam gravi illa denuntiatione animos percelli oportuit et ad salutare propositum adduci v. 8 *Crispus autem archisynagogus* (cf. 13,15) *credidit Domino cum omni domo sua,* quem Paulus ipse baptizavit (1 Cor. 1,14). Gentilibus quoque maior offerebatur opportunitas eo quod Paulus in domo Titi Iusti praedicabat : *et multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur;* de quo successu vide 1 Cor. 1,26 seq.; praedicavit non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis 1 Cor. 2,1-6; 3,2.

« Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos » (1 Cor. 2,3). Sed qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (2 Cor. 1,4) apostolum suum confortavit v. 9 *dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo : noli timere, sed loquere et ne taceas;* v. 10 *propter quod ego* διότι propterea quod ego, vel nam ego *sum tecum et nemo apponetur tibi ut noceat te* ἐπιθήσεταί σοι aggredietur te, impetum faciet in te τοῦ κακῶσαί σε ea intentione ut te affligat (cf. 12,1; et ad genitivum cf. 3,2. Luc. 2,27; 5,7 etc.). In lingua vulgari *nocere* etiam cum accusativo coniungitur; vide Num. 5,19. Iudith 16,7. Ps. 34,1. Eccli. 28,2. Sap. 14,29. Act. 7,26. Apoc. 11,5; etiam apud profanos (ita in inscriptione : rogo te viator ne noceas meos; vide *Georges,* Lex. 7 ed.). « Vide quot rationibus illi suadeat et quomodo quod illum maxime erigebat, hoc ultimo dicit » (*Chr.*) *quoniam populus est mihi multus in hac civitate,* « ex quo videtur quod Paulus nonnihil dubitaverit de relinquenda Corintho » (*Calm.*). Iesus populum suum ex gentibus sumet (15,14). Et diu ea in regione mansit v. 11 *sedit autem ibi annum et sex menses docens apud eos verbum Dei;* ita comprehendi videtur totum spatium temporis per quod Corinthi commoratus est, ita ut etiam illi dies multi v. 18 includantur (*Patr. Felt. Bl. Weiss*). Neque tamen putandum est apostolum in sola urbe toto illo tempore commoratum esse. Nam ex 1 Cor. 1,2 et etiam ex 2 Cor. 1,1 patet praeter Corinthum in aliis quoque civitatibus exstitisse coetus fidelium et Rom. 15,19 apostolus dicit se usque ad Illyricum replevisse evangelium.

Decretum Claudii, de quo Suetonius refert, *Hilg.* ita explicat ut Claudius solos Iudaeochristianos Roma expulerit. Idem criticus v. 4 tamquam interpolationem considerari vult ét censet Aquilam non potuisse permittere, ut Paulus, laboris socius domusque incola, impulsore Chresto adsidue tumultuaretur i. e. Iudaeis praedicaret. Quare interpolationem esse dicit alteram v. 5 partem et v. 6. Quae de Crispo v. 8 dicuntur, criticus potius ad v. 4 pertinere vult; imo miratur, quod hoc loco Crispus distinguatur a Corinthiis, cum tamen 1 Cor. 1,14. 16 Crispus, Caius cum domo Stephanae soli

dicantur Corinthii quos Paulus baptizaverit. Sed l. c. Paulus solum dicit : neminem vestrum i. e. neminem ex fidelibus vestri coetus, baptizavi nisi Crispum et Caium. Porro in v. 8 Lucas dicere vult praeter Crispum archisynagogum etiam multos Graecos, Corinthios, qui non essent genere Iudaei, suscepisse fidem. Plane arbitrarium est eiicere v. 4. 5ᵇ. 6, quasi non ex ipsis epistolis Pauli abunde constet quantam curam de Iudaeorum quoque conversione gesserit.

h) Paulus accusatur coram Gallione; proficiscitur 18,12-22.

18,12. Gallione autem proconsule Achaiae, insurrexerunt uno animo Iudaei in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal, 13. Dicentes : Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudaeos : Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Iudaei, recte vos sustinerem. 15. Si vero quaestiones sunt de verbo et nominibus et lege vestra, vos ipsi videritis : iudex ego horum nolo esse. 16. Et minavit eos a tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem, principem synagogae, percutiebant eum ante tribunal; et nihil eorum Gallioni curae erat.

18. Paulus vero quum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (et cum eo Priscilla et Aquila), qui sibi totonderat in Cenchris caput : habebat enim votum. 19. Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Iudaeis. 20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit : 21. Sed valefaciens, et dicens : Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso. 22. Et descendens Caesaream, ascendit et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam.

18,12. Γαλλίωνος δὲ ἀνθυπάτου ὄντος τῆς Ἀχαΐας κατεπέστησαν οἱ Ἰουδαῖοι ὁμοθυμαδὸν τῷ Παύλῳ, καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἐπὶ τὸ βῆμα, 13. λέγοντες, ὅτι παρὰ τὸν νόμον ἀναπείθει οὗτος τοὺς ἀνθρώπους σέβεσθαι τὸν Θεόν. 14. μέλλοντες δὲ τοῦ Παύλου ἀνοίγειν τὸ στόμα εἶπεν ὁ Γαλλίων πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, Εἰ μὲν ἦν ἀδίκημά τι ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρὸν, ὦ Ἰουδαῖοι, κατὰ λόγον ἂν ἀνεσχόμην ὑμῶν· 15. εἰ δὲ ζητήματά ἐστιν περὶ λόγου καὶ ὀνομάτων καὶ νόμου τοῦ καθ᾽ ὑμᾶς, ὄψεσθε αὐτοί· κριτὴς ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι. 16. καὶ ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος. 17. ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες Σωσθένην τὸν ἀρχισυνάγωγον ἔτυπτον ἔμπροσθεν τοῦ βήματος· καὶ οὐδὲν τούτων τῷ Γαλλίωνι ἔμελεν.

18. Ὁ δὲ Παῦλος ἔτι προσμείνας ἡμέρας ἱκανὰς τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν, καὶ σὺν αὐτῷ Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας, κειράμενος ἐν Κεγχρεαῖς τὴν κεφαλήν· εἶχε γὰρ εὐχήν. 19. κατήντησαν δὲ εἰς Ἔφεσον, κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ· αὐτὸς δὲ εἰσελθὼν εἰς τὴν συναγωγὴν διελέξατο τοῖς Ἰουδαίοις. 20. ἐρωτώντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ πλείονα χρόνον μεῖναι οὐκ ἐπένευσεν· 21. ἀλλὰ ἀποταξάμενος καὶ εἰπών· Πάλιν ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς, τοῦ Θεοῦ θέλοντος, ἀνήχθη ἀπὸ τῆς Ἐφέσου· 22. καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν, ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος τὴν ἐκκλησίαν, κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν.

In v. 12 D οι ιουδαιοι συνλαλησαντες μεθ εαυτων επι τον παυλον; D και επιθεντες τας χειρας sim sah ph c*. In v. 13 D praemittit καταβοωντες και. In v. 15 gig quodsi quaestiones habetis; D εχετε. In v. 17 παντες οι ελληνες DEHLP al pler sah syr ph arm aeth Chr gig Bed ex graeco; d tunc Gallio fingebat eum non videre; fl simulabat. In v. 18 gig detonsis capillis capitis cenchris. In v. 19 D και τω επιοντι σαββατω εισελθων; sim

sah fl ph c* 137. In v. 21 add δει με παντως την εορτην την ερχομενην ποιησαι εις ιεροσολυμα DHLP al pler cat gig demid syr ph Chr Thph; quod Cassiod quoque indicat; syr ph (mg) 137 τον δε ακυλαν ειασεν εν εφεσω, αυτος δε αναχθεις ηλθεν εις καισαρειαν.

Unum affert Lucas exemplum quo ostendatur quam mirifice facta responderint promissioni Christi v. 9. 10, nihil scil. fuisse quod Paulus sibi timeret a Iudaeis. Intra illud tempus commorationis quod modo v. 11 enuntiavit id evenit (*Patr. Felt. Bl. Wendt*) v. 12 *Gallione autem proconsule Achaiae,* Iunius Annaeus Gallio, frater Senecae philosophi, antea vocatus Marcus Annaeus Novatus, cum a Iunio Gallione adoptatus esset, eius nomen assumpsit. Romani universam Graeciam in duas provincias distribuerant : Macedoniam et Achaiam. Achaia complectebatur Graeciam proprie dictam et Peloponnesum. Quae provincia magna varietate administrata est. Nam primo erat provincia senatoria, proin per proconsules administrata; Tiberio imperante facta est imperatoria, proin praesides vel procuratores in eam mittebantur (*Tacitus,* An. 1,76 : tradi Caesari placuit). Sub Claudio iterum facta est senatoria; nam « provincias Achaiam et Macedoniam quas Tiberius ad curam suam transtulerat, senatui reddidit » (*Suetonius,* Claud. 25; cf. Dio Cass. 60,24). Post mortem Claudii universae Achaiae libertatem Domitius Nero dedit sicque denuo senatui est adempta (cf. *Suet.* Nero 24; *Pausanias* 7,17); Vespasianus Achaiam iterum in provinciae formam redegit (*Suet.* Vesp. 8). In tanta igitur varietate administrationis difficile fuisset scriptori seriori provinciae praepositum recte designare. Lucas autem hac quoque in re sese praebet apprime edoctum. Gallionem vocat ἀνθύπατον, proconsulem; nam sub Claudio provincia facta est senatoria; dicit Achaiae (non Ἑλλάδος), sicut eo tempore tota illa pars Graeciae Achaiae nomine comprehendebatur.

Iterum Iudaei movent persecutionem; *insurrexerunt uno animo Iudaei in Paulum et adduxerunt eum ad tribunal* v. 13 *dicentes: quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum :* variis decretis concessum erat Iudaeis secundum suam legem vivere et sacra celebrare; varia ea de re statuta et decreta refert *Iosephus* (Antiq. 14,10); ita l. c. n. 8 « Caius Caesar cum edicto vetaret ullas in urbe coitiones (θιάσους) haberi, solum istae (Iudaeorum) ne fierent non interdixit; similiter et ego (Caius Iulius, praetor, consul Romanorum) alias coitiones prohibens illis solis permitto patriis moribus et institutis congregari et in eo persistere ». Cum itaque Iudaei ipsi Paulum urbe pellere non possent, id factum iri sperabant per magistratum romanum, si Paulum deferrent violatorem legis illius, secundum quam sibi vivere liceret concessione Romanorum. Verum

res aliter cessit; v. 14 *incipiente autem Paulo aperire os,* μέλλοντος cum Paulus iam in eo esset, ut responderet, defensionem eius Gallio praevenit, satis intelligens ex accusatione quid rei ageretur, *dixit Gallio ad Iudaeos : si quidem esset iniquum aliquid* ἀδίκημά τι, *aut facinus pessimum, o viri Iudaei* (D ω ανδρες ιουδαιοι est sollemnior compellatio, quam solum D fl vulg habent) ὦ Ἰουδαῖοι, omisso ἄνδρες sane melius congruit ad contemptum Iudaeorum quem Gallio clare in v. 16.17 prae se fert; *recte vos sustinerem* κατὰ λόγον secundum rationem, ut ratio exigit (*Patr.*), secundum rationem officii mei (*Beel.*), iure meritoque (*Bl. Wendt, Weiss;* sim. *Felt.*); cf. 10, 29 (τίνι λόγῳ quam ob causam, vulg.).

Verum ex ipsa accusatione, quae pluribus quam in v. 13 indicatur erat prolata Gallio perspexit nihil afferri quod sibi consideratione dignum videretur v. 15 *si vero quaestiones sunt de verbo* περὶ λόγου, de doctrina *et nominibus,* audierit fortasse in accusatione nomen Iesu, Messiae *et lege vestra,* num quis secundum vestrum morem patrium vivat, *vos ipsi videritis;* cf. Matth. 27,4; has controversias vos componite; *iudex ego horum nolo esse;* « responsum ironiae contemptusque plenum et homine romano et Senecae philosophi fratre dignum est; apud Senecam ipsum haec sunt de Iudaeis (frag. 42, apud August. Civ. D. 6,11) : usque eo sceleratissimae gentis consuetudo invaluit, ut per omnes iam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt » (*Bl.*). Integritatis, aequitatis, suavitatis fuisse indolem Gallionis commemorant; et revera Seneca frater eius de eo scribit : « solebam tibi dicere Gallionem fratrem meum, quem nemo non parum amat, etiam qui amare plus non potest, alia vitia non nosse, hoc (vitium adulationis) etiam odisse » (natur. quaest. lib. 4, praefat.) et Papinius Statius dulcem Gallionem eum vocat (Silvarum 2,7,32). Sed hoc loco potius suum in Iudaeos prodit contemptum; v. 16 *et minavit eos a tribunali* ἀπήλασεν abegit eos; proinde satis suam manifestavit indignationem quod talia « gens illa sceleratissima » ad suum detulisset tribunal.

Ex eius vultu et contemptu Iudaeorum plebs corinthia libenter arripit occasionem insultandi illis; fortasse Iudaei aegre discedebant (*Beel.*); v. 17 *apprehendentes autem omnes Sosthenem, principem synagogae* ἀρχισυνάγωγον; cf. v. 8; videtur successisse in munus Crispi; *percutiebant eum ante tribunal,* Ἕλληνες rectum est interpretamentum; Graeci ceciderunt pro apostolo Paulo Sosthenem, scribit Augustinus (ep. 93 n. 17; *M.* 33,324); etiam *Beda;* notat : « in graeco melius scriptum est : apprehendentes autem omnes Graeci Sosthenen; Iudaeis enim cum ignominia expulsis a tribunali

gentiles etiam principem eorum contumelia verberantes afficiebant ». Sosthenes frater nominatur 1 Cor. 1,1; sitne idem qui olim erat archisynagogus et postea Christo nomen dedit, ignoratur; haud pauci id censent probabile. Gallio contemptum suum etiam eo ostendit, quod fingebat, simulabat se non videre quod illi facerent (vide lect. var.) : *et nihil eorum Gallioni curae erat;* Sosthenes nomine Iudaeorum causam egit; repulsam quam tulit alii suo modo exsequi et augere gestiebant. « Contumeliam hanc Sostheni impune illatam Lucas ideo, opinor, commemorare voluit, ut indicaret Iudaeos adeo spe sua Paulo nocendi excidisse, ut vel ipsi male mulctati a tribunali recesserint » (*Beel.*).

Eo eventu ostensum est Paulum protegi, uti Christus promiserat v. 9. 10. Atque deinceps quoque Paulum potuisse sine impedimento suo fungi munere declaratur v. 18 *Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos* προσμείνας cum remansisset (1 Tim. 1,3) dies multos, qui scil. deerant implendis anno et sex mensibus mansionis Corinthi v. 11 (*Patr. Calm. Felt. Bl. Wendt* et plerique); quo fructu et successu praedicarit, collige inter alia ex 2 Cor. 12,12, *fratribus valefaciens navigavit in Syriam* (*et cum eo Priscilla et Aquila*), *qui sibi totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum*, Cenchreae vicus (κώμη) et portus, ab urbe distans ad septuaginta stadia, quo portu utuntur ad negotiationes asianas (πρὸς τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίας, *Strabo* 8,6,22 al. p. 380 al. 583); portus erat ad sinum saronicum; κειράμενος cum totondisset; sunt qui id referant ad Aquilam (*Bl. Wendt*). Sed bene iam advertit *Cai.* : contextus sonat Paulum, eo quod omnia reliqua verba ac participia ad Paulum referuntur. Et eo modo de Paulo, cuius res gestas scribit Lucas, longe plerique intelligunt; ita *Hieronymus* (qui illud *qui* vulg. non habet; cf. epist. 112,9; *M.* 22,922 et inter epist. August. epist. 75; *M.* 33,256), *Theoph. Bed. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Weiss;* Paulo id adscribitur quoque in cat. (ἐξ ἀντιγράφου et a Didymo), voluisse apostolum Iudaeis ostendere legem se non contemnere, verum id re gesta probare quod dixit : factus sum iis qui sub lege erant quasi essem sub lege (1 Cor. 9,21) et eum simile quid etiam postmodum fecisse (21,24. 26). De qua re pluribus *Belser* disputat (l. c. p. 89 seq.).

Votum quod Paulus fecerat est voto nasiraeorum simile. In quo voto tonsio fiebat tempore voti expleto (Num. 6,18); quae utique ex lege ante ostium tabernaculi facienda erat; at facile fieri potuit, ut pro iis qui in regionibus dissitis versabantur alia consuetudo valeret. Tempus eiusmodi voti triginta dierum usu introductum esse videtur. Nam *Iosephus* scribit : iis qui morbo laboraverant aut in angustias

quascumque coniecti fuerant moris erat precibus vacare triginta diebus antequam victimas oblaturi essent et vino abstinere et radere comam (Bell. iud. 2,15,1). Voti persolvendi causa apostolus etiam Ephesi dicit (ex multorum testimonio v. 21) : oportet me sollemnem diem advenientem facere Ierosolymis (gig). Apostolus igitur, ut *Calm.* rem concipit, procul a Palaestina voti tempore impleto comam totondit in portu Corinthi antequam mari se committeret, ac deinde solvit, sacrificia et reliquum voti pensum in templo Ierosolymis redditurus (sim. *Lap. Felt.*). Quare votum fecerit, nescimus. Dubitat *Patr.* num illud *habebat enim votum* exhibeatur tonsurae causa; at verbis id clare enuntiatur; nam ad iter hierosolymitanum referri nequit, quia de illo itinere ne mentio quidem facta est. Quare nequit admitti quod alii quandoque proponunt, apostolum ex more iudaico in gratiam Iudaeorum sibi totondisse comam, quam, dum Corinthi versaretur, Graecorum causa et eorum more aluisset.

Eo in itinere primo visitat nobilissimam Ioniae urbem primamque Asiae proconsularis v. 19 *devenitque Ephesum,* sitam ad mare aegeum prope fluvium Caystrum, quam toto orbe celebrem fecit templum Dianae positum inter urbem et portum (*Patr.*) *et illos,* Aquilam et Priscillam, *ibi reliquit;* cf. v. 26; *ipse vero ingressus synagogam disputabat cum Iudaeis* διελέξατο; cf. 17,2; hoc loco *Hilg.* quoque contra aliquos criticos affirmat verum narrari et Paulum in diaspora debuisse adire Iudaeos et conari eos ad Messiam adducere neque hoc obstare eius vocationi apostoli gentium. Sed cur aliis in locis id perperam esse insertum (13,46. 47; 18,6) contendit? Iudaei ephesii bene dispositi videntur; v. 20 *rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit;* festinationis eius simulque voti suscepti ratio redditur apud multos testes : omnino oportet me proximum diem festum agere in Ierusalem, quem textum genuinum esse satis certum videtur (vide lect. var.); cf. *Bels.* v. 21 *sed valefaciens et dicens : iterum revertar ad vos Deo volente,* proin iam sibi proposuit in prima illa Asiae urbe diutius commorari, postquam evangelium in Macedonia et Graecia propagavit, *profectus est ab Epheso;* ibi reliquit tamen Aquilam et Priscillam tamquam qui alios docerent et viam quasi praepararent evangelio (cf. *Chr. Oec. Theoph.*).

Ab Epheso *navigavit* ἀνήχθη (cf. 13,13; 16,11) in altum scil. mare ductus est et ita venit Caesaream; v. 22 *et descendens Caesaream* κατελθὼν εἰς Καισάρειαν (alii-ρείαν) ex alto mari scil. devectus ad litus, *ascendit et salutavit ecclesiam* scil. hierosolymitanam; nam *ascendere* est quasi terminus technicus pro itinere in urbem Ierusalem (cf. 3 Reg. 23,9. 4 Reg. 24,10. Ps. 121,4. Matth. 20,18. Marc. 10,33;

15,14. Luc. 2,42. Ioan. 2,13; 5,1; 7,8; 11,55. Act. 21,4. 12.15; 25,1. Gal. 2,1 etc.). Porro cum vellet tandem pervenire Antiochiam Syriae, mirum iter instituisset ab Epheso in Caesaream, nisi animo sibi proposuisset visitare Ierusalem. Quare explicatio a recentioribus adoptata : ex portu Caesareae ascendit in oppidum salutaturus fideles Caesareae (cf. *Bl.*), admitti nequit. Ex veteribus *Cassiod.* ita accipit : « descendit Caesaream, ubi salutavit congregationem ecclesiae »; qui tamen iter in Ierusalem pariter asserit : « Ephesi diutius non potuit commorari, Hierosolymam pro Pentecostes sollemnitate festinans ». Merito itaque longe plerique iter hic vident hierosolymitanum (cf. *Cai. Lap. Calm. Beel. Patr. Hake, Felt. Wendt, Weiss,* idque egregie probat *Bels.*); et a Ierusalem *descendit Antiochiam* Syriae, unde profectus erat ad primum et alterum iter apostolicum (14, 25; 15,35).

4. *Tertium iter apostolicum* 18,23-21,16.

Paulus ab Antiochia profectus prius visitat et confirmat coetus fidelium in regione Galatica et in Phrygia; dein fere per triennium Ephesi commoratus evangelium annuntiat Iudaeis et gentilibus fructu magno. Ab Epheso transit in Macedoniam et Graeciam (Corinthum), ubi per tres menses versatur; revertitur per Macedoniam Troadem; inde proficiscitur per Asson, Mitylenen, Samum, Miletum (ubi presbyteris quoque ephesiis valedicit), Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidam, Caesaream, in urbem Ierusalem.

a) De Apollo 18,23-28.

18,23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24. Iudaeus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini; et fervens Spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quae sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. 26. Hic ergo coepit fiducialiter agere in synagoga. Quem quum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini.

27. Quum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis

18,23. Καὶ ποιήσας χρόνον τινὰ ἐξῆλθεν διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν, στηρίζων πάντας τοὺς μαθητάς.

24. Ἰουδαῖος δέ τις Ἀπολλὼς ὀνόματι, Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει, ἀνὴρ λόγιος κατήντησεν εἰς Ἔφεσον, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς. 25. οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν Κυρίου, καὶ ζέων τῷ πνεύματι, ἐλάλει καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάνου· 26. οὗτός τε ἤρξατο παρρησιάζεσθαι ἐν τῇ συναγωγῇ. ἀκούσαντες δὲ αὐτοῦ Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας προσελάβοντο αὐτὸν, καὶ ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ.

27. βουλομένου δὲ αὐτοῦ διελθεῖν εἰς τὴν Ἀχαίαν, προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ ἔγραψαν τοῖς μαθηταῖς ἀποδέξασθαι αὐτόν· ὃς

ut susciperent eum. Qui quum venisset, contulit multum his qui crediderant. 28. Vehementer enim Iudaeos revincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum Iesum.

παραγενόμενος συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσιν διὰ τῆς χάριτος. 28. εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ, ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν.

In v. 24 D απολλωνιος. In v. 25 D κατηχημενος εν τη πατριδι, gig hic audierat viam Domini in patria sua. In v. 27 D εν δε τη εφεσω επιδημουντες τινες κορινθιοι και ακουσαντες αυτου παρεκαλουν διελθειν συν αυτοις εις την πατριδα αυτων, συνκατανευσαντος δε αυτου οι εφεσιοι (ph mg fratres) εγραψαν τοις εν κορινθω μαθηταις οπως αποδεξωνται τον ανδρα, sim ph (mg); D ος επιδημησας εις την αχαιαν πολυ συνεβαλλετο εν ταις εκκλησιαις. In v. 28 E δημοσια και κατ οικον, sim e Bed ex graeco, D διαλεγομενος και επιδεικνυς.

Tamquam bonus pastor qui visitat gregem, ut requirat quod perierat, ut quod infirmum est consolidet et quod forte est custodiat (Ez. 34,16), Paulus mox iterum se itineri committit, ut fidelibus quos iam Christo genuit aliquid impertiatur gratiae spiritualis (Rom. 1, 11); v. 23 *et facto ibi* Antiochiae Syriae *aliquanto tempore;* cf. 15, 33, *profectus est perambulans ex ordine* καθεξῆς (11,4) *Galaticam regionem* prius scil. et dein (ordine a priore itinere diverso 16,6) *et Phrygiam, confirmans omnes discipulos* (cf. 15,32. 41; Luc. 22,32); ad quod iter plerique referunt Gal. 1,9; 4,16; 5,3. Hoc iter ergo non habuit ut novas ecclesias constitueret neque ut Christum apud alios populos praedicaret (*Patr.*); ex coetibus ab eo institutis evangelium iam virtute sibi innata propagabatur, uti testimonio sunt ecclesiae Colossis, Laodiceae, Hierapoli (Col. 4,13) et alibi constitutae, quae eius faciem non viderint (Col. 2,1).

Iam antea apostolus sibi proposuerat Deo volente Ephesi diutius consistere (v. 21). Quomodo annuntiationi evangelii ea in urbe quasi via parata sit, Lucas nunc refert v. 24 *Iudaeus autem quidam, Apollo nomine,* Ἀπολλώς, nomen abbreviatum Ἀπολλώνιος (plura exempla dedi in Comment. Luc. p. 4), *Alexandrinus genere, vir eloquens* λόγιος, ita vox est intelligenda de eloquentia (*Beel. Patr. Bl. Weiss*), disertus (gig); alii explicant : eruditus, doctus, quae notio utique voci etiam inest; verum hoc loco eius eruditio et doctrina explicite effertur altero encomio; *devenit Ephesum, potens in scripturis* δυνατὸς ὢν 7,22, egregie eruditus in s. litteris, qui illas bene noverit, memoria teneat, recte intelligat magnamque habeat in argumentis inde promendis efficacitatem (*Patr.*). Alexandriae ortus facundo dicendi genere et fortasse etiam philosophia erat imbutus, utpote in illa eruditionis sede enutritus; v. 25 *hic erat edoctus viam Domini* in patria (vide lect. var.) cf. 9,2, *et fervens spiritu loquebatur et docebat diligenter ea quae sunt Iesu* τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, docebat certissime de Iesu (gig),

sciens tantum baptisma Ioannis; proin ex praedicatione Ioannis didicerat Iesum esse Messiam; eum itaque ut talem docebat magno fervore. — Quem versum perperam esse insertum *Weiss* contendit. Ratio est, quia 19,1 de discipulis Ioannis ita narratur, ut nullo modo mentio fiat huius discipuli neque huius conversio connectatur cum illorum conversione. Quae ratio profecto valde infirma est. Nam quid, si illi discipuli Ephesum venerint, postquam Apollo diu iam profectus erat? Quae erat necessitas commemorandi prioris illius? Insuper *Weiss* male supponit ex praedicatione Ioannis non potuisse disci τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ; num nihil de Iesu Messia?

Apollo itaque Iesum esse Messiam Iudaeis praedicabat magna fiducia et libertate v. 26 *hic ergo coepit fiducialiter agere in synagoga; quem cum audissent Priscilla et Aquila assumpserunt eum et diligentius exposuerunt ei viam Domini;* per hos itaque praedicatio evangelii Ephesi coepta est. Qua occasione Apollo consilium ceperit eundi Corinthum, traditur altera lectione : aliqui Corinthii commorantes Ephesi, cum eum docentem audissent, eum hortabantur ut secum in patriam urbem proficisceretur; annuit ipse; unde v. 27 *cum autem vellet ire Achaiam exhortati fratres scripserunt discipulis ut susciperent eum* προτρεψάμενοι i. e. eius consilium approbantes eum ad profectionem adhortati sunt. Ita plerique vocem referunt (*Chr. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt.*), quae acceptio altera lectione clare confirmatur. Sunt qui vocem explicent : adhortati scripserunt discipulis; discipulos litteris adhortati sunt, ut eum bene susciperent (*Wendt, Weiss*). Neutrum approbat *Bl.;* putat neque ad apostolum neque ad Corinthios cohortari commode referri posse; aptissime verti syr. *anteverterunt,* ut sit latinismus ante-verto = προ-τρέπομαι. Verum unde *talis* latinismus apud *Lucam?* Ceterum syr. legitur verbum טפח quod lexicographi explicant : incitare, adhortari (cf. *Brun* s. v.). Habemus hic primum exemplum litterarum formatarum et commendatoriarum, quibus praeter litteras communicatorias et dimissorias veteres ecclesiae inter se commercium habere solebant (cf. *Binterim,* Denkwürdigkeiten 5,2 p. 349; *Hake*).

Atque Apollo pro doctrina sua et fervore rem christianam multum promovit : *cum venisset contulit multum* συνεβάλετο profuit (*Beel. Bl.;* cf. Sap. 5,8) *his qui crediderant;* valide enim ea refutabat quibus Iudaei fideles aggredi et a fide Iesu avertere conabantur; v. 28 *vehementer enim,* εὐτόνως acriter (Luc. 23,10, vulg. constanter) *Iudaeos revincebat* διακατηλέγχετο, explicat *Chr.* ἐπεστόμιζε os eorum obturabat, ad silentium eos adigebat, *publice ostendens per scripturas esse Christum Iesum;* « quod publice eos redargueret, hinc fiducia (παρρησία) ostendebatur, quod acriter, vis enitebat, quod ex divinis scriptu-

ris, experientia monstrabatur » (*Chr.*). Merito itaque scribit apostolus : ego plantavi, Apollo rigavit (1 Cor. 3,6; *Bed. Calm.*). Atque tantum apud complures eius facundia et scientia probata est, ut mox aliqui eum praeferrent apostolo et proclamarent : ego sum Apollo (1 Cor. 1,12). Quale partium studium ipse Apollo vehementer abhorruit, ita ut postea ne Paulo quidem rogante vellet statim ad Corinthios reverti (1 Cor. 16,12).

b) Paulus docet Ephesi 19,1-12.

19,1. Factum est autem, quum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos : 2. Dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. 3. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : In Ioannis baptismate. 4. Dixit autem Paulus : Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum. 5. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. 6. Et quum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim.

8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. 9. Quum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. 10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : 12. Ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.

19,1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν Ἀπολλῶ εἶναι ἐν Κορίνθῳ, Παῦλον διελθόντα τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, ἐλθεῖν εἰς Ἔφεσον· καὶ εὑρεῖν τινὰς μαθητὰς, εἰπέν τε πρὸς αὐτοὺς, Εἰ Πνεῦμα Ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; οἱ δὲ πρὸς αὐτὸν, Ἀλλ' οὐδ' εἰ Πνεῦμα Ἅγιόν ἐστιν ἠκούσαμεν. 3. εἰπέν τε, Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; οἱ δὲ εἶπαν, Εἰς τὸ Ἰωάνου βάπτισμα. 4. εἶπεν δὲ Παῦλος, Ἰωάνης ἐβάπτισεν βάπτισμα μετανοίας, τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσιν τουτέστιν εἰς τὸν Ἰησοῦν. 5. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. 6. καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου χεῖρας, ἦλθε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐπ' αὐτούς. ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ ἐπροφήτευον. 7. ἦσαν δὲ οἱ πάντες ἄνδρες ὡσεὶ δώδεκα.

8. Εἰσελθὼν δὲ εἰς τὴν συναγωγὴν ἐπαρρησιάζετο, ἐπὶ μῆνας τρεῖς διαλεγόμενος καὶ πείθων περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. 9. Ὡς δέ τινες ἐσκληρύνοντο καὶ ἠπείθουν, κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τοῦ πλήθους, ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν ἀφώρισεν τοὺς μαθητὰς, καθ' ἡμέραν διαλεγόμενος ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου. 10. τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ ἔτη δύο, ὥστε πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν ἀκοῦσαι τὸν λόγον τοῦ Κυρίου Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας. 11. Δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας ὁ Θεὸς ἐποίει διὰ τῶν χειρῶν Παύλου, 12. ὥστε καὶ ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἀποφέρεσθαι ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ σουδάρια ἢ σιμικίνθια, καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ' αὐτῶν τὰς νόσους, τά τε πνεύματα τὰ πονηρὰ ἐκπορεύεσθαι.

In v. 1 D θελοντος δε του παυλου κατα την ιδιαν βουλην πορευεσθαι εις ιεροσολυμα ειπεν αυτω το πνευμα υποστρεφειν (d, ph mg revertere) εις την ασιαν; sim ph (mg). In v. 2

D πνευμα αγιον λαμβανουσιν τινες, item sah ph (mg). In v. 3 gig in quid ergo baptizati estis. In v. 5 D add χριστου εις αφεσιν αμαρτιων item ph c*. In v. 6 ph (mg) additur donum interpretationis eos sensisse se accepisse. In v. 8 D εν δυναμει μεγαλη επαρρ.; item ph (mg). In v. 9 πληθους των εθνων DE 100. syr ph c*; τυραννου sine τινος ℵAB pl minusc fu tol sah cop syr; add D 137 ph gig ab hora quinta usque in horam decimam. In v. 10 D εως παντες, e usque quo omnes, item syr. In v. 11 gig virtutesque non modicas. In v. 12 gig sudaria *vel* semicincta; item am fu demid; και aliq minusc Theoph in secundo textu.

Quod apostolus promiserat Iudaeis ephesiis, qui bene dispositi erant ad verbum Dei audiendum (18,20. 21), id iam opere implevit longiore in illorum urbe commoratione[1]; v. 1 *factum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus*, τὰ ἀνατολικὰ μέρη legit *Theoph.* (et aliqui minusc); cf. 18,23, provinciae illae cum Epheso urbibusque maritimis comparatae superiores appellantur, ex illis enim Ephesum venientes veluti descendere, et e mari adeuntes ascendere videntur (*Calm.*), *veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos,* cum vocentur simpliciter μαθηταί (et v. 2 πιστεύσαντες) quo nomine credentes in Iesum designantur, hi quoque, sicut Apollo, ex doctrina et institutione Ioannis baptistae iam credunt Iesum Messiam (cf. 18,25), sed baptisma christianum nondum receperant. Cum nihil nobis referatur, ubi antea fuerint, quando venerint Ephesum, frivolum est statuere apertam contradictionem cum 18,25, quasi simul cum Apollo debuissent iam edoceri vel saltem ab Aquila et Priscilla ad Paulum adduci, ut *Weiss* vult.

Unde Paulus inductus fuerit, ut quaereret ex eis de sacramento confirmationis accepto nescimus. Fortasse scivit eos iis in regionibus commoratos esse, ubi nemo apostolorum erat, vel in iis quidquam deesse advertit quod ad vim et vigorem vitae christianae pertineret; v. 2 *dixitque ad eos : si Spiritum sanctum accepistis credentes?* si, particula interrogationis cf. 1,6; 7,1; *at illi dixerunt ad eum : sed neque si Spiritus sanctus est audivimus;* illud *est* aliqui explicant secundum Ioan. 7,39, « quia nec re ipsa ignorare plene Spiritum sanctum poterant, de quo frequens in vetere testamento mentio recurrit, cuius afflatu prophetas vaticinatos fuisse Iudaei omnes norant.

1. In altera lectione suspicionem movet quod Paulus dicatur secundum proprium consilium voluisse proficisci Ierusalem. Id enim prorsus improbabile videtur. Nam 18,22 erat in urbe, dein per breve tempus (χρόνον τινὰ) versatus Antiochiae perambulavit Galaticam regionem et Phrygiam; cur iam iterum post tempus haud adeo longum vellet Ierusalem adire *apostolus gentium*, cuius erat evangelium gentibus annuntiare? Insuper puto haud alienum esse ab indole alicuius scioli qui cogitaret de 18,21 et 16,6 (vetati sunt verbum Dei loqui in Asia), ut existimaret explicationis gratia esse adnotandum Paulo dictum esse a Spiritu ut reverteretur in Asiam; ita scil. illud « revertar ad vos Deo volente » impleri 19,1 facile poterat aliquis interpolator velle suggerere.

Illud novum accidit his conferri in Ecclesia sacramentum quo Spiritus sanctus dabatur; de confirmatione et collato ab illa sancto Spiritu deque donis supra naturam quae per manuum impositionem suppeditantur, ne verbum quidem huc usque audivimus » (*Calm.*). Quae acceptio in altera lectione exhibetur : si Spiritum sanctum aliqui accipiunt ne audivimus quidem; eandem defendunt *Bels. Wendt, Bl. Weiss.* Sed quaestio Pauli tamen supponere videtur eos nihil se scire confessos esse de Spiritu sancto, esse scil. Spiritum sanctum personam divinam ab alia persona divina distinctam; v. 3 *ille vero ait : in quo ergo* εἰς τί in quid (gig) *baptizati estis?* cur enim quaerit de baptismo? certe non, quia illi responderunt se nihil scire de donis extraordinariis quae dentur a Spiritu sancto. Haec enim acceptio Spiritus sancti non ad baptismum pertinet, sed impositione manuum conferri solebat (8,17). Magna cum admiratione quaerit apostolus; quae admiratio facilius explicatur in illa responsione qua dicunt se ne scire quidem esse Spiritum. Praeterea cum apostolus interroget πιστεύσαντας, omnino supponere censendus est eos iam accepisse baptismum; audiens itaque eorum responsum eo quem dixi sensu, facile fluit interrogatio, immo necessario : εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; si vero respondissent : non audivimus si qui acceperint Spiritum sanctum, potius debuit concludere : ergo manus illis nondum sunt impositae (cf. 8,17), uti statim in v. 6 impositio manuum et acceptio Spiritus coniungitur et a baptismo distinguitur. Quare cum *Lap. Beel. Patr. Felt.* puto illos nihil scisse de Spiritu sancto.

Neque id adeo mirum videri debet. Nam profecto non adeo aperte colligi potest ex vetere testamento Spiritum Dei esse personam divinam ab alia persona divina distinctam; neque enim in locutionibus illis obviis : effundam spiritum meum; dabo spiritum meum in cor eorum; Spiritus Dei insiluit super eum etc. statim deprehenditur hypostasis propria Spiritus; neque ex verbis baptistae Christum baptizaturum esse in Spiritu sancto et igni opus est, ut omnes statim intellexerint esse hypostasin propriam. Praeterea notari oportet Spiritum sanctum in vetere testamento raro dici (cf. Sap. 1,5; 9,17. Eccli. 1,9), neque inde aperte colligi hypostasin. Proinde nullo modo sequitur quod aliqui consequi volunt, illos non Iudaeos sed gentiles esse habendos, si profiterentur se ne scire quidem esse Spiritum sanctum. — Uti ex epistola Augustini ad Vincentium (ep. 93 n. 47; *M.* 33,343) elucet, Donatistae etiam ad exemplum Pauli provocarunt qui post Ioannem baptizasset, ut suum rebaptizandi morem commendarent et defenderent; id quod eo loco Augustinus multis refellit.

Dicitur baptizari εἰς τί, sicuti εἰς τὸ ὄνομα; vide quae dixi ad Matth. 28,19 et vide *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 35 et Comment. in ep.

ad Rom. p. 314. Neque latinum *in quo* aliter est interpretandum. Nam in latinitate vulgari promiscue *in* coniungitur cum ablativo et accusativo et casus hi inter se permutantur discrimine linguae cultioris neglecto. *Qui dixerunt : in Ioannis baptismate,* εἰς τὸ etc.; « in quo responso est aliquid inconcinni; quid enim est baptizari in cuiuspiam baptismum? nempe si aliter interrogati fuissent, dixissent, opinor, baptizati fuimus a Ioanne; hinc vero cum rogarentur *in quid* baptizati essent, respondent : in baptisma Ioannis » (*Beel.*). Eos ulterius edocet Paulus assignans baptismi Ioannis significationem et efferens ad quid tendat illud v. 4 *dixit autem Paulus : Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum,* ut populum ad poenitentiam excitaret, *dicens : in eum qui venturus est post ipsum ut crederent, hoc est in Iesum;* baptismo et praedicatione annuntiavit venturum Messiam et fidem in eum provocare studuit (cf. Matth. 3 11. Marc 1, 8. Luc. 3,16. Ioan. 1,26 seq.). Summatim indicatur eos a Paulo esse plenius institutos; v. 5 *his auditis baptizati sunt in nomine Domini* εἰς τὸ ὄνομα; vide ad 2,38; additur altera lectione : in remissionem peccatorum, quo etiam plenius discrimen effertur a baptismate poenitentiae. Quod veteres protestantes contenderunt baptismum Ioannis fuisse idem quod baptisma Christi, a recentioribus protestantibus explosum est; contra illos statuebatur canon 1 de baptismo sess. VII Concilii tridentini : si quis dixerit baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, A. S.

Clare alterum sacramentum designatur v. 6 *et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis et prophetabant;* cf. 8,16; 10,46; 2,17 et 13,1 et 1 Cor. 14,3. — Quae hic de Paulo referuntur, aliquam habent similitudinem cum iis quae Petrus fecit 8,17 et 10,44. Unde « critici » contendunt, haec de Paulo esse conficta, ut ea quoque in re Petro aequipararetur (ita *Baur, Zeller* et nuperrime *Hilg.*). Isti epistolas paulinas non nosse videntur. Nam in ecclesiis a Paulo fundatis, Thessalonicae, Corinthi, apud Galatas, uti epistolae Pauli testantur, dona et charismata Spiritus sancti fidelibus abunde tribuebantur. Iam ibi Paulus praedicabat, ecclesias fundabat, et impositione manuum Spiritum sanctum baptizatis tribuebat (cf. 2 Tim. 1,6). Si itaque in illis ecclesiis per Pauli praedicationem et manuum impositionem coelestia dona fidelibus obveniebant, quae ratio reperiri poterit negandi vel in dubium vocandi quod hic narratur? Aliam ratiunculam invenit *Weizs.* (p. 341); legitur in v. 7 *erant autem omnes viri fere duodecim*, quo numero dicit sine ullo dubio, immo apertissime alludi ad duodecim apostolos; unde iam patere totam narrationem esse nihil aliud nisi

allegoriam, qua doceatur fidem in Christum quam habeant Iudaeo-christiani per Paulum demum et eius doctrinam perfici et promoveri ad veram fidem spiritualem et ad communicationem Spiritus. Sed ipse *Weiss* notat, cum addatur ὡσεὶ, excludi omnem talem numeri significationem, propter quam numerum esse confictum quis cogitare posset.

Ephesi Paulus hospitabatur apud Aquilam et Priscillam (1 Cor. 16, 19) et prius quidem docebat in synagoga (cf. 18,19. 20) v. 8 *ingressus autem synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses disputans* διαλεγόμενος 17,2 *et suadens de regno Dei,* de regno messiano, πείθων « praesens est *suadere,* non *persuadere* » (*Bl.*); alii tamen de effectu persuasionis, alii de studio et conatu loquendi cum omni persuasione accipiunt; cf. 13,43; 14,19; 18,4. Veram itaque indolem regni messiani exponebat, Iudaeos retrahere studens a vana exspectatione gloriae ac dominationis iudaicae. Verum hanc spem altissime animis impressam sibi eripi aegerrime aliqui tulerunt v. 9, *cum autem quidam indurarentur et non crederent,* crux scandalum Iudaeis illis erat vanitati nationali deditis, *maledicentes viam Domini coram multitudine* scil. gentium, ut eo modo praedicationem Pauli impedirent apud Graecos (1 Thess. 2,16), *discedens ab eis segregavit discipulos* a synagoga, ne iam synagogam frequentarent; cf. 18,7; quare alium sibi selegit locum ad docendum : *quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam,* Tyrannus nomen est proprium (2 Mach. 4,40); unus ex satellitibus Herodis eo nomine vocabatur (*Iosephus,* Antiq. 16,10,3), etiam apud rabbinos טורנוס reperitur (cf. *Buxtorf,* Lex. talm. c. 916), Suidas sophistam eius nominis commemorat. Fuerit ille Tyrannus rhetor vel philosophus, qui scholam suam seu auditorium, ubi docebat, pro certis horis Paulo permisit; in altera lectione habetur Paulum docuisse ab hora quinta usque ad decimam (ab hora 11 ad 4 pomeridianam). Alii putant Tyrannum fuisse doctorem iudaeum qui habuerit quod vocant Beth midrasch, scholam in qua doceri solebant traditiones et earum expositiones. Sed cum Paulus segregaret suos fideles a Iudaeis, non est probabile ipsum nunc docuisse in schola privata alicuius rabbi.

Ostium mihi apertum est magnum et evidens et adversarii multi; ita scribit ipse de sua Ephesi commoratione (1 Cor. 16,9). Diu ibi docuit, diutius quam alibi v. 10 *hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles,* Ἕλληνες. Nam Ephesus urbs ob situs opportunitatem augetur quotidie estque emporium Asiae eorum quae sunt intra Taurum maximum (*Strabo* 14,1,24; al. 641 al. 950). Erat ibi templum

Dianae celeberrimum. Commercii igitur et superstitionis causa homines undique in eam urbem confluxerunt. Paulo praedicante non solum Ephesi coetus fidelium est constitutus, sed pluribus in civitatibus; nam 1 Cor. 16,19 scribit : salutant vos ecclesiae Asiae; idem elucet ex 20, 17. 28 et ex septem illis ecclesiis, de quibus in Apoc., certe etiam aliquae, fortasse omnes, eo iam tempore exortae sunt. Et qua ratione inter multas tribulationes praedicaverit ipse enarrat 20,18 seq.

Sed Deus etiam potenter ei adstitit praeclarissima ei testimonia divinae approbationis exhibens v. 11 *virtutesque non quaslibet* οὐ τὰς τυχούσας non vulgares, non modicas (gig), sed eximias, *faciebat Deus per manum Pauli,* v. 12 *ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius* τοῦ χρωτὸς a cute eius *sudaria et* ἢ vel *semicinctia;* sudarium linteum est ad sudorem faciei, narium abstergendum; semicinctium est tegumentum quo opifices anteriorem corporis partem cingere solent, cingulum quod dimidiam corporis partem cingat. Explicat *Oec.* : sudaria super caput tenduntur, semicinctia in manibus tenent ad abstergendos sudores, lacrimas etc. Notat *Beda* : « multi nostrum quid semicinctia significent ignorant; verum Gregorius qui nunc est apostolicae sedis antistes, cum esset adhuc archidiaconus sciscitanti amico de Britannia et hoc inter alia rescripsit, genus esse sudarii quo Hebraei utantur in capite ». Paulus opificium suum Ephesi quoque exercens labore manuum sibi sociisque victum parabat (20,34); eius laboribus Deus ita quoque benedicebat (*Salm.*), ut sudaria eius et semicinctia evaderent quasi instrumenta sanationum, uti fimbria vestimenti Christi; *et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur;* attende secerni a Luca morbos et spiritus nequam; illos amotos, hos dici egressos (5,16; 16,18; *Patr.*). Bene notat *Beel.* : praesens locus imprimis valet ad defendendum religiosum sacrarum reliquiarum cultum (cf. *Lap. Felt.*). Et profecto ad praestigia goetarum superanda, ut mentes hominum ab iis artibusque magicis averterentur et vim agnoscerent vere divinam, placuit Dei benignitati sapientissimo consilio operari miracula eximia, manifestissima (cf. Eph. 6,12).

c) De Iudaeis exorcistis 19,13-20.

19,13. Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Iudaeis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Iesu, dicentes : Adiuro vos per Iesum quem Paulus prae-

19,13. Ἐπεχείρησαν δέ τινες καὶ τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν ὀνομάζειν ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, λέγοντες, Ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Ἰησοῦν ὃν ὁ

dicat. 14. Erant autem quidam Iudaei Scevae principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis : Iesum novi et Paulum scio; vos autem qui estis? 16. Et insiliens in eos homo in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa.

17. Hoc autem notum factum est omnibus Iudaeis atque gentilibus qui habitabant Ephesi; et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Iesu. 18. Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos. 19. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur.

Παῦλος κηρύσσει. 14. ἦσαν δέ τινος Σκευᾶ Ἰουδαίου ἀρχιερέως ἑπτὰ υἱοὶ τοῦτο ποιοῦντες. 15. ἀποκριθὲν δὲ τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν εἶπεν αὐτοῖς, Τὸν μὲν Ἰησοῦν γινώσκω, καὶ τὸν Παῦλον ἐπίσταμαι· ὑμεῖς δὲ τίνες ἐστέ; 16. καὶ ἐφαλόμενος ὁ ἄνθρωπος ἐπ' αὐτοὺς ἐν ᾧ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν, κατακυριεύσας ἀμφοτέρων ἴσχυσεν κατ' αὐτῶν, ὥστε γυμνοὺς καὶ τετραυματισμένους ἐκφυγεῖν ἐκ τοῦ οἴκου ἐκείνου.

17. Τοῦτο δὲ ἐγένετο γνωστὸν πᾶσιν Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησιν τοῖς κατοικοῦσι τὴν Ἔφεσον, καὶ ἐπέπεσεν φόβος ἐπὶ πάντας αὐτοὺς, καὶ ἐμεγαλύνετο τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. 18. Πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. 19. ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, συνενέγκαντες τὰς βίβλους κατέκαιον ἐνώπιον πάντων· καὶ συνεψήφισαν τὰς τιμὰς αὐτῶν, καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. 20. οὕτω; κατὰ κράτος τοῦ Κυρίου ὁ λόγος ηὔξανεν καὶ ἴσχυεν.

In v. 14 gig filii *duo*; D εν οις και υιοι σκευα τινος ιερεως ηθελησαν το αυτο ποιησαι· εθος ειχαν τους τοιουτους εξορκιζειν· και εισελθοντες προς τον δαιμονιζομενον ηρξαντο επικαλεισθαι το ονομα λεγοντες· παραγγελλομεν σοι εν ιησου ον παυλος κηρυσσει εξελθειν, sim ph (mg) sed add *septem* filii. In v. 16 pro αμφοτερων habent αυτων H L P al plu syr sah (eorum septem); E om. In v. 18 D πιστευοντων, E 28 πιστευσαντων; syr confitentes peccata sua, sim demid (sed om alterum membrum). In v. 20 D ενισχυεν και η πιστις του θεου ηυξανε και επληθυνε; sic potens gig.

Uti 18,12 seq. spatio commorationis declarato eventus subiungitur qui intra illud tempus contigit, ita hoc loco idem cernitur modus narrandi. Quare nullo pacto sequitur quod *Hilg.* aliique (*Sorof, van Manen, Spitta, Clemen, Jüngst*) volunt, 19,21 connecti non cum antecedentibus, sed adiungi debere ad 19,10. — Fuisse olim apud Iudaeos exorcistas veri nominis patet ex ipsius Iesu verbis (Matth. 12,27. Luc. 11,19). Hoc charisma evangelio promulgato apud Iudaeos cessasse et ad fideles transisse certum est. Praeterea fuisse qui variis artibus magicis, cantionibus, herbis adhibitis daemones se pellere posse iactarent atque eiusmodi carmina a Salomone tradita se habere dicerent, *Iosephus* narrat (Antiq. 8,2,5 : atque hoc sanationis genus etiamnum apud nos plurimum valet). Tales cum viderent invocato nomine Iesu a Paulo pelli daemones, nomen istud habere vim magicam putabant; v. 13 *tentaverunt autem quidam et de cir-*

cumeuntibus Iudaeis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Iesu dicentes : adiuro vos per Iesum quem Paulus praedicat, ut exeatis, addit gig; iam tempore Christi quidam qui non erat ex discipulis ad Iesu nominis invocationem daemonia eiiciebat (Marc. 9,37; Luc. 9,49), qui tamen erat ex credentibus in eum. Hos vero circumvagantes nomen illud usurpasse non fide, sed spe lucri, quia viderant apud Paulum aliosque fideles hoc nomen esse efficax, ex ipsa narratione nobis innuitur (*Chr. Salm. Lap.*).

Ad eiusmodi circulatores (cf. 8,9; 13,6) etiam pertinebant filii Scevae (vide alteram lectionem) v. 14 *erant autem quidam Iudaei Scevae principis sacerdotum,* erat igitur ex familia ex qua aliquis fuerat pontifex (cf. quae dixi ad Matth. 2,4); ceterum in altera lectione (etiam gig) vocatur solum sacerdos, τινὸς cuiusdam Scevae Iudaei *septem filii,* gig duo filii; in altera lectione hic nullus habetur numerus, *qui hoc faciebant;* iam subiungitur eorum more generatim commemorato specialis eventus unus : ingressi ad daemoniacum quendam coeperunt invocare nomen dicentes : denuntiamus tibi per Iesum quem Paulus praedicat, ut exeas. Ita in altera lectione fluit narratio. In nostro textu statim adiungitur ad *qui hoc faciebant* v. 15 *respondens autem spiritus nequam dixit eis : Iesum novi et Paulum scio* agnoscit daemon vim ac virtutem, qua nomine Iesu a Paulo pellatur; *vos autem qui estis?* contemnentis et aspernantis more interrogat, et quam parum in se inani illa invocatione et fraudulenter usurpata valeant, statim demonstrat v. 16 *et insiliens in eos homo* a daemone agitatus, ἐφαλλόμενος explicat *Chr.* μετὰ ῥύμης ἐπιπηδήσας, *in quo erat daemonium pessimum et dominatus amborum*, unde indicatur unum narrari eventum, quando duo ex illis filiis id tentabant. Neque id in tanta narrationis brevitate offensioni esse debet. Volebant quidem alii ἀμφοτέρων ita explicare, ut congruere possit eventui cui septem filii interfuerint : vel ex septem duos solum esse caesos; vel binos manu prehendens omnes septem superavit, vel ex utraque parte eos aggressus est; at textu ipso haec excluduntur (cf. *Wendt*); alia lectio αὐτῶν videtur invecta propter v. 14; *invaluit contra eos* ἴσχυσεν κατ' αὐτῶν vim illis intulit, *ita ut nudi* vestimentis vix omnibus exuti (*Bl.*); cf. Ioan. 21,7. 1 Cor. 4,11. Iacob 2,15 *et vulnerati effugerent de domo illa;* en poena gravis pro fraudulenta usurpatione nominis Iesu, qua simul edocebantur nequaquam sonum nominis habere vim quandam magicam.

Ex quo eventu tria exstiterunt commoda (v. 17-19) et primo quidem timor ac reverentia nominis Iesu innotuit infidelibus v. 17 *hoc*

autem notum factum est omnibus Iudaeis atque gentilibus Ἕλλησιν Graecis (gig) *qui habitabant Ephesi et cecidit timor super omnes illos* malitiam ac potentiam daemonum exemplo illo perspicientes *et magnificabatur nomen Domini Iesu*, cuius vim ac virtutem ipsi daemones professi sint et cuius nominis iniusta usurpatio modo terribili sit punita. Unde huius nominis dignitatem extollebant. Altera utilitas redundabat in ipsos fideles multos, qui minus eousque sibi conscii erant quid criminis esset magicas artes adeo late Ephesi regnantes sectari; casus ille filiorum Scevae quos homo a daemone agitatus male mulctavit cautiores illos fecit (*Calm.*) v. 18 *multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos* τὰς πράξεις scil. quae artis magicae professione commiserant (*Calm.*)[1] cf. in v. 19 τὰ περίεργα πραξάντων; unde syr. confitentes peccata sua. Indicatur confessio actuum particularium, uti patet, non accusatio quaedam generalis. Sed utrum haec facta sit secreto, an publice, non indicatur; pariter fueritne confessio sacramentalis, dissidium est sententiarum, cui tollendo textus ambiguus nihil confert (*Calm.*).

Duo certa sunt : expressam hic haberi certam assertamque τῶν πράξεων confessionem (quod olim Lutherus voluit: annuntiantes miracula sua, iam omnium consensu explosum est), et πολλοὶ τῶν πεπιστευκότων esse qui fideles iam facti erant antea, non eos qui eo demum eventu conversi essent. Ita de fidelibus explicant *Chr. Oec. Salm. Lap. Calm. Hake, Felt. Bels. Bl. Weiss* etc. Nam, ut *Lap.* notat, hic designatur alter effectus, quem causavit ignominia et plaga Iudaeis exorcistis illata; in versu enim praecedenti dicitur apud Iudaeos et Graecos timorem esse excitatum et laudem nominis Iesu; hic vero sermo fit de credentibus. Neque ulla fit mentio eos nunc tandem incepisse credere, cui acceptioni insuper obstat πεπιστευκότων. Neque adeo mirum videri debet in tanta magiae ac superstitionis abundantia quae erat Ephesi etiam multos fidelium non statim ab omnibus istis se expedivisse. Habes simile apud Corinthios, quorum multos in tanta morum corruptione etiam luget apostolus qui non egerint poenitentiam, super immunditia et fornicatione (2 Cor. 12,21). Si itaque tales erant Corinthi, Ephesi alios suas πράξεις non statim dimisisse superstitiosas et forte etiam quaestuosas facile credideris; neque enim cum *Beel. Patr.* de nescio quibus vitiis et flagitiis cogitandum est,

1. Non erit abs re notare, praecepta magica ad morbos curandos (si hoc vel illo malo laboras, fac etc.) quae in Aegypto inventa sunt inscribi πρᾶξις, unde πρᾶξις induere videtur notionem praecepti magici vel remedii arcani (cf. Fleckeisen's Jahrbücher f. classische Philologie, Supplementband XVI p. 749). Quae notio ad narrationem satis congruere videtur.

quae fidelibus imputari non possent; unde hi verba explicant de iis qui eo eventu ad fidem adducti et scelera sua detestati sint.

Tertius erat effectus, ut multi libros magicos destruerent; videbant enim in illo eventu rem esse periculo plenam, si quis quocumque modo cum daemone agere velit v. 19 *multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati* τὰ περίεργα πραξάντων qui artes magicas exercebant; artium curiosarum nomine censentur magia, astrologia divinatrix, fascinationes, praestigia, ars parandi amuleta et magicas illas imagines quibus mala quaeque averruncantur vel propitia sors in ludo coeptisque omnibus asseritur (*Calm.*). Non assignatur certa quaedam classis istorum *multorum*, sed sermo est generalis, sive fuerint Iudaei, Graeci, fideles, catechumeni, *contulerunt libros et combusserunt coram omnibus et computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium,* pretium circa 36000 M monetae germanicae, si denarium atticum supponas (cf. *Felt. Wendt, Weiss*). Libros intellige volumina papyracea magicis formulis repleta (*Bl.*). Nota enim erant et valde celebria Ἐφέσια γράμματα; unum specimen exhibet *Clemens* alex. (Strom. 5,8; *M.* 9,72) et *Hesychius* s. v. Ἐφέσια γράμματα. Non minus vere quam facete adnotat *Bl.* : « qui summam in maius auctam esse dictitant, velim nos edoceant (scire enim videntur) de pretiis librorum magicorum quae tum fuerint ». Advertit *Oec.* libros esse combustos quamvis adessent qui eos sibi parare vellent; esse destructos ne quis letiferae corruptionis quae ab illis procederet particeps fieret, et ne quidquam ex huiusmodi criminis pretio acquirerent (sim. *Theoph. Salm.*). Eo itaque eventu et tali exemplo res christiana capiebat incrementa v. 20 *ita fortiter crescebat verbum Dei et confirmabatur,* crescebat extensione, propagatione, dum plures in dies crederent; et eiusmodi miraculis (v. 11.12) et signis et poena in temerarios inflicta veritas altissimas egit radices in animis credentium; ea vel simili formula et narrata absolvere et ad alia transitionem sibi munire solet Lucas (cf. 2,47; 4,33; 5,14; 6,7; 12,24).

Atque Clemens alex. l. c. haec refert : « Androcydes pythagoricus litteras quae vocantur Ephesiae, vulgo autem valde sunt celebres, dicit locum tenere symbolorum; significare autem ἄσκιον quidem *tenebras*, eas enim non habere umbram, κατάσκιον autem *lucem* quoniam illustrat (καταυγάζει) umbram, λίξ autem prisca appellatione est *terra*, et τετράς (τετράξ) *annus* διὰ τὰς ὥρας (i. e. propter quaternionem hiemis, veris, aestatis, autumni, i. e. τέσσαρας τοῦ ἔτους τροπάς), δαμναμενεύς autem *sol* qui domat, et αἴσια vox *vera* ». Magorum formulae solebant deorum nomina undique gentium congesta continere; ex papyro Parisino (Wessely, Ephesia grammata, Wien 1886) haec affert *Bl.* : ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ τῶν Ἑβραίων Ἰησοῦ ιαβα ιαη αβρασθ αϊα θωθ ελε ελω αηω εου ιι βαεχ αβαρμας ϊαβαραου αβελβελ λωνα αβρα μαροια βραχιων.

d) De tumultu Ephesi facto 19,21-40.

19,21. His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaia, ire Ierosolymam, dicens : Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum : 25. Quos convocans, et eos qui huiusmodi erant opifices, dixit : Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio : 26. Et videtis et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiae, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens : Quoniam non sunt dii qui manibus fiunt. 27. Non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnae Dianae templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet maiestas eius quam tota Asia et orbis colit.

28. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes : Magna Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem et de Asiae principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum; 32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa, et plures nesciebant qua ex causa convenissent.

33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudaeis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Iudaeum

19,21. Ὡς δὲ ἐπληρώθη ταῦτα, ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι, διελθὼν τὴν Μακεδονίαν καὶ Ἀχαΐαν πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα εἰπών, ὅτι μετὰ τὸ γενέσθαι με ἐκεῖ, δεῖ με καὶ Ῥώμην ἰδεῖν. 22. Ἀποστείλας δὲ εἰς τὴν Μακεδονίαν δύο τῶν διακονούντων αὐτῷ, Τιμόθεον καὶ Ἔραστον, αὐτὸς ἐπέσχεν χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν.

23. Ἐγένετο δὲ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον τάραχος οὐκ ὀλίγος περὶ τῆς ὁδοῦ. 24. Δημήτριος γάρ τις ὀνόματι, ἀργυροκόπος, ποιῶν ναοὺς (ἀργυροῦς) Ἀρτέμιδος, παρείχετο τοῖς τεχνίταις οὐκ ὀλίγην ἐργασίαν. 25. Οὓς συναθροίσας, καὶ τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας εἶπεν, Ἄνδρες, ἐπίστασθε ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῖν ἐστιν. 26. καὶ θεωρεῖτε καὶ ἀκούετε ὅτι οὐ μόνον Ἐφέσου, ἀλλὰ σχεδὸν πάσης τῆς Ἀσίας ὁ Παῦλος οὗτος πείσας μετέστησεν ἱκανὸν ὄχλον, λέγων ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοὶ οἱ διὰ χειρῶν γινόμενοι. 27. οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐθὲν λογισθῆναι, μέλλειν τε καὶ καθαιρεῖσθαι τῆς μεγαλειότητος αὐτῆς, ἣν ὅλη Ἀσία καὶ οἰκουμένη σέβεται.

28. Ἀκούσαντες δὲ καὶ γενόμενοι πλήρεις θυμοῦ ἔκραζον, λέγοντες, Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων. 29. καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις τῆς συγχύσεως· ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον, συναρπάσαντες Γάϊον καὶ Ἀρίσταρχον Μακεδόνας, συνεκδήμους Παύλου. 30. Παύλου δὲ βουλομένου εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον οὐκ εἴων αὐτὸν οἱ μαθηταί. 31. τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι, πέμψαντες πρὸς αὐτόν, παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. 32. ἄλλοι μὲν οὖν ἄλλο τι ἔκραζον· ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, καὶ οἱ πλείους οὐκ ᾔδεισαν τίνος ἕνεκα συνεληλύθεισαν.

33. Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου συνεβίβασαν Ἀλέξανδρον, προβαλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων· ὁ δὲ Ἀλέξανδρος κατασείσας τὴν χεῖρα, ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ. 34. ἐπιγνόντες δὲ ὅτι Ἰουδαῖός ἐστιν, φωνὴ ἐγένετο

esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium : Magna Diana Ephesiorum.

35. Et quum sedasset Scriba turbas, dixit : Viri Ephesii, quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae, Iovisque prolis? 36. Quum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. 38. Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt : accusent invicem. 39. Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima ecclesia poterit absolvi. 40. Nam et periclitamur argui seditionis hodiernae : quum nullus obnoxius, sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et quum haec dixisset, dimisit ecclesiam.

μία ἐκ πάντων, ὡσεὶ ἐπὶ ὥρας δύο κραζόντων, Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων.

35. Καταστείλας δὲ τὸν ὄχλον ὁ γραμματεύς, φησιν, Ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἀνθρώπων ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς; 36. ἀναντιρήτων οὖν ὄντων τούτων δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν, καὶ μηδὲν προπετὲς πράσσειν. 37. ἠγάγετε γὰρ τοὺς ἄνδρας τούτους, οὔτε ἱεροσύλους οὔτε βλασφημοῦντας τὴν θεὸν ἡμῶν. 38. εἰ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται ἔχουσιν πρός τινα λόγον, ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν· ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις. 39. εἰ δέ τι περαιτέρω ἐπιζητεῖτε, ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται. 40. καὶ γὰρ κινδυνεύομεν ἐγκαλεῖσθαι στάσεως περὶ τῆς σήμερον, μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος, περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα ἀποδοῦναι λόγον περὶ τῆς συστροφῆς ταύτης. 41. Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπέλυσεν τὴν ἐκκλησίαν.

In v. 25 D ανδρες συντεχνειται, sim sah ph c*. In v. 28 D πληρεις θυμου δραμοντες εις το αμφοδον sim 137 ph (mg). In v. 29 και συνεχυθη ολη η πολις αισχυνης, d confusionem. In v. 30 D οι μαθηται εκωλυον. In v. 33 D κατεβιβασαν. tol produxerunt. In v. 35 gig et iovis. In v. 39 gig ulterius quaeritis. In v. 40 gig quasi seditiosi hodie; περι ου ου ℵABHLP al fere 45 vulg (codd), syr ph arm Theoph; al περι ου, utrumque Chr.

Paulum non sine multa tribulatione Ephesi laborasse elucet tum ex 20,19 tum ex 1 Cor. 15,30-32 et 16,9. Nihilominus praedicatio eius laetos tulit fructus. Cum itaque ea in regione evangelium esset firmiter constitutum, nova propagandi confirmandique evangelii consilia animo volvebat v. 21 *his autem expletis proposuit Paulus in spiritu,* posuit in animo, apud se statuit; cum τίθεσθαι non significet sibi proponere, illud ἐν τῷ πνεύματι non potest intelligi de Spiritu sancto, ut sat multi volunt (*Dion. Cai. Lap.*), quamvis negandum non sit eum instinctu Spiritus sancti egisse, *transita Macedonia et Achaia,* uti ex Epheso Corinthiis quoque scripsit 1 Cor. 16,5, *ire Ierusalem*, etiam eo consilio, ut collectas eleemosynas perferret 1 Cor. 16,1-3; *dicens : quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre,* quod desiderium se diu fovisse Rom. 1,9 seq. declarat, quia ut gentium apostolus omnium sit debitor, et Rom. 13,23 fatetur se habere cupiditatem veniendi ad Romanos ex multis iam praecedentibus annis. De priore quodam itineris consilio certiores reddimur ex

2 Cor. 1,15; voluit enim prius ab Epheso navigare Corinthum, dein transire in Macedoniam et iterum adire Corinthios. Sed cum de conditione fidelium Corinthiorum ei afferrentur tristia quaedam (1 Cor. 1,11; 5,1; 6,1), voluit prius per epistolam et per Timotheum, quem ad eos misit, procurare, ut omnia bene disponerentur, ne durius agere cogeretur; v. 22 *mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum* cf. 1 Cor. 4,17 et 16,10. 11 *et Erastum* estne idem qui Rom. 16,23 nominatur, vel qui 2 Tim. 4,20? hic erat socius itineris Pauli, cum Timotheus solus Corinthiis commendetur, Erastus missus esse videtur ad ecclesias in Macedonia confirmandas; *ipse remansit ad tempus in Asia;* cum enim mitteret Timotheum, voluit Ephesi permanere usque ad pentecosten (1 Cor. 16,8). Sed ob tumultum excitatum coactus est citius Epheso excedere (vide ad 2 Cor. 2,12; 7,5).

De periculo quod ipse subiit antequam Epheso proficisceretur, ipse narrat 2 Cor. 1,8-10; v. 23 *facta est autem illo tempore*, postquam misit discipulos duos in Macedoniam, *turbatio non minima de via Domini,* de via cf. 9,2; v. 24 *Demetrius quidam nomine, argentarius* ἀργυροκόπος argenti cusor, faber argentarius (cf. Ier. 6,29 LXX), *faciens aedes argenteas Dianae praestabat artificibus non modicum quaestum;* templum igitur celeberrimum Dianae imitatione expressit parvis aediculis argenteis confectis; κιβώρια μικρά dicunt *Chr. Theoph.;* hae aediculae a cultoribus Dianae et peregrinis qui undique ad templum illud confluebant avide emebantur tamquam sacra quaedam pignora et certa contra pericula remedia. Eiusmodi enim amuleta et phylacteria secum gestare solebant, v. g. deae coelestis argenteum breve figmentum, ut loquitur Ammianus Marcellinus (22,13; cf. Diodorus sic. 20,14). Quaerit *Bl.:* « sed quomodo Demetrius dici potest artificibus quaestum praestitisse ipse artifex? itaque ὃ inserui (τὸ ποιεῖν ναοὺς κτλ.) ». Sed quid impedit, quominus Demetrius cogitetur magnam habere officinam ad aediculas conficiendas, in qua occupentur artifices et alii operarii? Hisce itaque ipse occasionem praebebat lucri.

Querelae eius praeclaro sunt testimonio, quanto cum successu Paulus praedicarit; v. 25 *quos convocans,* artifices scil. qui elegantioribus laboribus vacabant *et eos qui huiusmodi erant opifices* περὶ τὰ τοιαῦτα qui circa illarum aedicularum fabricam utcumque aliquam operam praestabant, *dixit: viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio* ἡ εὐπορία opulentia, quaestus (cf. 11,29).

Uti 16,19, ita hic quoque lucri diminutio occasio fit persecutionis; v. 26 *et videtis et auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiae Paulus hic suadens avertit multam turbam dicens: quoniam*

non sunt dii qui manibus fiunt; in ipsis imaginibus inesse numen vulgus existimabat (cf. 17,29). Demetrius pro re sua prudenter damnum privatum commiscet cum periculo celebritatis illius religiosae urbis de qua Ephesii maxime gloriabantur; v. 27 *non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire* i. e. non solum periculum est, ne hoc nostrum opificium et lucrum iacturam faciat existimationis, in contemptum veniat, repudietur, *sed et magnae Dianae templum in nihilum reputabitur;* « usitate dicitur ἡ θεός (ut v. 37); verum etiam inscriptio Ephesia (Brit. Mus. nr. 481, v. 324) τῇ μεγίστῃ θεᾷ Ἐφεσίᾳ Ἀρτέμιδι, itaque formulam sollemnem ἡ μεγάλη θεὰ Ἄ. mira diligentia Lucas conservavit » (*Bl.*). Templum illud magnificentissimum inter septem orbis miracula recensebatur (cf. *Philo Byzantius* de septem spectaculis, cum notis... Leonis Allatii, in Thes. Antiq. graec. Gronovii tomo 8 c. 2678 seq. ubi multos veterum locos laudatos invenies; *Vigouroux,* Le Nouveau Test. et les découvertes archéol., p. 263 seq.). Situm templi eiusque rudera exploravit *Wood,* Discoveries at Ephesus London 1877. Teste Vitruvio (lib. 7, praefatio) de aede Dianae Ephesi Ctesiphon et Metagenes ediderunt volumen; de ea scripsit *Plinius* (n. h. 36,21) etc.

Gloriam igitur urbis destructum iri ac contemptum conqueritur, si magna Diana oblivione obruetur : *sed et destrui incipiet,* μέλλει erit ut destruatur *maiestas eius quam tota Asia et orbis colit;* « Ephesiam Dianam urbes omnes celebrant et privatim viri eam prae reliquis diis prosequuntur honoribus; tria eius celebritatem auxerunt : magnitudo primum templi, quod cetera omnia hominum opera anteit, Ephesiorum deinde civitatis splendor, et ipsa postrema deae claritas » (*Pausanias* 4,31,8); v. 28 *his auditis repleti sunt ira et exclamaverunt dicentes : magna Diana Ephesiorum,* in altera lectione : pleni ira currentes in viam publicam exclamabant etc. Sermone igitur illo audito currunt per civitatem clamantes et honorem deae vindicantes i. e. suo quaestui consulentes. Cum itaque civitatem clamoribus repleant plerisque causam ignorantibus v. 29 *et impleta est civitas confusione,* gig : et confusa est universa civitas; apud *LXX* αἰσχύνη saepius dicitur de idolis (Ier. 3, 24; 11,13. Os. 9,10 etc.): unde quod D habet explicari potest : et confusa est civitas ignominiae i. e. civitas deae turpis, ignominiosae, quae appellatio, uti de idolo generatim, ita de imagine Dianae ephesiae congrue dicitur. Nam ibi colebatur non Diana venatrix, sed illa multimammia quam Graeci πολύμαστον vocant, ut scil. ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem (*Hieronymus,* praef. in Comment. ep. ad Ephes. *M.* 26,441).

In theatris conventus haberi solebant; ita refert *Tacitus* in Antiochiensium theatro illis consultare morem esse (Hist. 2,80); de Epheso habemus testimonium inscriptionis ita conceptae : φερέτωσαν κατὰ πᾶσαν ἐκκλησίαν εἰς τὸ θέατρον (cf. *Bl.;* de hoc more in plerisque oppidis obvio plura affert *Wetst.* ad h. l.). Theatrum ephesium sua quoque magnitudine celebre erat, qua millia hominum 25 capiebat (*Wood,* Discoveries p. 63, *Felt.*); *et impetum fecerunt uno animo in theatrum* ὥρμησαν celeriter proruperunt; cuncti statim unanimiter, eodem animorum impulsu, in theatrum concurrunt, ubi scil. more consueto sciebant de variis rebus tractari, *rapto Gaio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli,* quos fortasse obvios habebant et socios peregrinationum (συνεκδήμους) Pauli agnoscebant; ipsum Paulum non invenerint in aedibus ubi commorari soleret (*Beel.*); v. 30 *Paulo autem volente intrare in populum,* prodire ad turbam in theatrum, ut verba facturus tumultum sedaret et pro fidelibus peroraret, *non permiserunt discipuli* οὐκ εἴων, constanter eum retinebant merito timentes ne caeco turbae furore et illa insania discerperetur.

Atque merito illos ita egisse ostenditur quoque v. 31 *quidam autem et de Asiae principibus qui erant amici eius miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum;* « ἀσιάρχης idem qui etiam ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας, magistratus quotannis ex ditissimis provinciae electus, qui et conventui provinciae praeesset et templum a communi Asiae Augusto Pergami dedicatum administraret ludosque cum eo coniunctos ederet. Mox autem plura templa ab eodem communi in pluribus oppidis Caesaribus aedificata sunt, exstiteruntque plures ἀρχιερεῖς et ἀσιάρχαι, qui omnes eo magistratu functi titulum dignitatis retinebant (sicut etiam ἀρχιερεῖς Iudaeorum, 4,23). Itaque minime mirum Ephesi, in qua et ipsa duo eius generis templa erant, multos tum viros eo titulo ornatos fuisse » (*Bl.*). Et de Trallianorum urbe *Strabo* scribit : habitatur a civibus opulentis, ut ulla asianarum urbium alia, et semper aliqui eorum sunt πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, quos Asiarchas vocant (14,2,42 al. 648, al. 960). Plura exempla praebet *Wetst.;* similiter in aliis provinciis appellatur idem magistratus Γαλατάρχης, Βιθυνιάρχης etc. (cf. *Mommsen,* Röm. Geschichte 5 p. 318).

Paulus itaque inter nobiles et ditissimos sibi fecerat amicos qui saluti eius prospicerent. Interea in theatro hominum turba promiscua congregata non parva erat confusio v. 32 *alii autem aliud clamabant; erat enim ecclesia confusa,* turba illa quae sponte convenerat, quae ἐκκλησία vocatur, quamvis non esset conventus legitimus, nec concio legitime convocata; *et plures nesciebant qua ex causa convenissent* οἱ πλείους maior illorum pars; ita fieri solet, cum palam voci-

ferantibus aliis alii multi sese adiungunt rei novitate et curiositate illecti; v. 33 *de turba autem detraxerunt Alexandrum* συνεβίβασαν hoc loco sensu caret; unde legere oportet vel προεβ. vel κατεβ. (D) : descendere coegerunt, *propellentibus eum Iudaeis;* videntur Iudaei sibimet ipsis metuentes voluisse eum furori populari obiicere et ita se ipsos tueri. Unde certe Alexander Iudaeo-christianus erat, quem ceteri Iudaei ob fidem susceptam odio habentes libenter furori turbarum exponebant; *Alexander autem manu silentio postulato* κατασείσας cf. 12,17; 13,16 *volebat reddere rationem populo,* parabat defensionem; de aliquo Alexandro Paulus queritur 1 Tim. 1,20 et 2 Tim 4,14; sed nomen istud erat satis frequens. Putant tamen alii eum fuisse Iudaeum religione, quem utpote virum eloquentem Iudaei incitarint, ut defensionem apud turbam susciperet (*Felt. Wendt, Weiss*). Intellexisse quippe Iudaeos, turbam furere contra contemptores Dianae et proinde sibi imminere periculum. At potius putandum erit Iudaeos etiam scisse tumultum exortum esse propter fideles et verti utique contra omnes qui non venerentur deam; unde ut sibi consulerent, Iudaeo-christianum popularem suum voluisse eos furenti populo devoveri (*Patr. Hilg. Bl.*). Id magis quoque verbis congruit; προβάλλειν protrudere, obiicere scil. populo.

Verum turba Iudaeum loquentem audire minime sustinuit; v. 34 *quem ut cognoverunt Iudaeum genere esse,* vel ex vultu habituque, vel uno alterove clamante : Iudaeus est, unus ex eis qui Dianam negant esse deam (*Bl.*); ἐπιγνόντες, habes nominativum absolutum (cf. *Buttmann,* Grammatik d. neut. Spr. p. 325) vel anacoluthiam (*Bl.* Gram. p. 277), *vox facta est una omnium quasi per horas duas clamantium : magna Diana Ephesiorum;* clamoribus suis magnam esse deam asseverare volunt et acclamationibus aliorum sententiam obruere; quare bene ad rem acclamatio illa in B bis ponitur. Magistratus urbis turbam tumultuantem et clamantem ad quietem reducere diutius frustra tentabat. Tandem cum ipsis clamoribus vires essent quasi exhaustae et rabies aliquatenus deferbuisset, res melius successit v. 35 *et cum sedasset scriba turbas* ὁ γραμματεύς, nota, quanta accuratione Lucas nomen proprium ac peculiare magistratus norit; nam γραμματεύς (scil. τοῦ δήμου) Ephesi non ut Athenis minister erat vel populi vel magistratus, sed ipse magistratus et concionum moderator; ita in inscriptione ephes. n. 500 (Greek Inscr. in the Brit. Mus. III, II) idem homo et Ἀσιάρχης et γραμματεὺς τοῦ δήμου dicitur; ibidem n. 482 ὁ γρ. τ. δ. rogationem fert ad populum (*Bl.;* cf. *Vigouroux* l. c. p. 282 seq.); *dixit : viri Ephesii, quis enim est hominum* i. e. cur isti clamores? quieti estote : quis enim (cf. γάρ in interrogationibus *Klotz,*

Devar. II p. 243) *qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae Iovisque prolis?* νεωκόρον, proprie : qui templum verrit; curam templi habet; unde is titulus frequens est urbium quae celebre aliquod fanum habebant (cf. *Plato,* de legibus 6 p. 759; *Xenoph.* Anab. 5,3,6).

Eum titulum urbis Ephesi etiam inscriptiones produnt; ita Ephesus dicitur νεωκόρος τῆς Ἀρτέμιδος in inscriptione apud *Wood,* App. p. 50 n. 6; item in nummis v. g. Ἐφεσίων τρὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος (*Bl.*); alias inscriptiones, quibus idem titulus urbi eidem tribuitur vide apud *Vigouroux* l. c. p. 283. 287. Quod in vulg. additur *Iovisque prolis* (gig Iovis) graece est καὶ τοῦ διοπετοῦς i. e. simulacri coelitus delapsi; simulacrum igitur ligneum Dianae credebatur coelitus esse delapsum, id quod de multis aliis vetustissimis simulacris ferebatur; exempla ex veterum libris habes apud *Wetst.;* de simulacro Dianae Ephesiae plura prostant apud *Gronovium,* Thes. Antiq. gr. tomo 7 p. 362 seq. « Ephesi in aede simulacrum Dianae ex cedro, et ibi et in ceteris nobilibus fanis, propter aeternitatem sunt facta », ita *Vitruvius* (de archit. 2,9), *Plinius* autem scribit : « convenit tectum eius (templi Ephesi) esse e cedrinis trabibus; de ipso simulacro deae ambigitur; ceteri ex ebeno esse tradunt; Mucianus ter consul ex his qui proxime viso eo scripsere, vitigineum et nunquam mutatum, septies restituto templo » (n. h. 16,79); aureum esse (χρυσῷ ὄντι τῷ ἐν Ἐφέσῳ), proin laminis aureis contectum scribit *Xenophon* (Anab. 5,3,12).

Cum itaque gloria urbis apud omnes sine controversia constet, immerito fieri ait tumultum v. 36 *cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse et nihil temere agere* προπετές temerarium; quid iam nimia praecipitantia egerint exponit sequentibus v. 37 *adduxistis enim homines istos,* Gaium, Aristarchum v. 29, *neque sacrilegos* ἱεροσύλους, proprie templi spoliatores, *neque blasphemantes deam vestram;* inde patet, dum plerique clamarent in theatro, aliquos qui comites Pauli corripuerant ad magistratum causam detulisse neque tamen accusationem potuisse probare. Porro artifices quoque temere egisse ait v. 38 *quod si Demetrius et qui cum eo sunt artifices* οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται modo loquendi omnino indicari videtur, quod ad v. 24 dixi, Demetrium habuisse magnam officinam in qua artifices occupabantur, *habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur,* ἀγοραῖοι explicantur ab aliquibus iudices causarum minorum, vel etiam δικολόγοι, oratores, causidici (*Oec. Theoph. Patr.*); sed cum v. g. legamus apud Strabonem : τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ τὰς δικαιοδοσίας (13,4,12; al. 629; al. 933), retinenda est versio vulg.,

ἀγοραῖοι σύνοδοι (*Bl.*), *et proconsules sunt* (pluralis quem categoriae dicunt); erat Asia provincia proconsularis; *accusent invicem,* causam igitur legitime inter se disceptent apud magistratum; v. 39 *si quid autem alterius rei quaeritis* περαιτέρω, ulterius (gig), praeterea, quod non ad causam spectat forensem, *in legitima ecclesia potest absolvi* ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ; quae dictio pariter in aliqua inscriptione ephesia legitur (κατὰ πᾶσαν ἔννομον ἐκκλησίαν, apud *Wood,* App. p. 38; *Vigouroux* l. c. p. 289; *Wendt*); proin in conventu legitimo, qualis ex lege certis diebus institui solet.

Dein quo efficacius persuadeat, meminit periculi v. 40 *nam et periclitamur argui seditionis hodiernae* accusari seditionis περὶ τῆς σήμερον de hodierno conventu, *cum nullus obnoxius sit de quo possimus reddere rationem concursus istius,* μηδενὸς αἰτίου ὑπάρχοντος cum nulla causa exsistat, de qua possimus rationem reddere istius concursus tumultuantium, συστροφῆς; periculum est, ne de tumultu accusemur; nam cur iste concursus factus sit, nullam possumus afferre causam quae proconsuli probetur. In lectione περὶ οὗ οὐ δυνησόμεθα illud περὶ οὗ non potest referri ad antecedens αἰτίου, nam ediceretur contrarium eius quod ille dicere vult, nullam exsistere causam de qua non possimus rationem reddere; sed debet referri ad totam sententiam antecedentem : de quo (scil. de conventu habito tumultuantium more sine ulla causa) non possimus rationem reddere, et additur declarationis causa vel epexegetice περὶ τῆς συστροφῆς ταύτης, quo nomine demum ἐκκλησία tumultuantium proprie designatur; *et cum haec dixisset, dimisit ecclesiam;* Paulum in maximo fuisse periculo elucet ex 2 Cor. 1,8 seq., id quod hac narratione Lucae non ita effertur.

Negat *Baur* hanc narrationem ad rei veritatem esse conformatam, verum contendit ea solum praeberi formam quandam ac speciem ad describendum quanto successu Paulus praedicaverit (Paulus I p. 217); fidem rerum etiam *Overbeck* in quaestionem vocat; existimat enim exprimi in ea narratione iterum quo consilio Paulus in regionibus gentium laboraverit. Fidem narrationis evertere *Weizs.* quoque conatur (p. 330); provocat ad 1 Cor. 15,32 : si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? et contendit in hac nostra narratione servari tenuem quandam umbram istius θηριομαχίας; scil. ex illa condemnatione Pauli per iudices facta, ut bestiis devorandus obiiceretur, nihil esse relictum nisi tumultum turbae in theatro contra Paulum absentem; Pauli vero in arena incolumitatem mutari in narratione hac eo modo quo videamus ipsos magistratus sedulo in id incumbere, ut omne periculum a Paulo avertant. Concedit fieri potuisse, ut Paulus propter Ephesiorum in Dianam et urbis gloriam zelum ac studium persecutionem expertus sit, ut nomen

Demetrii, et quae de Alexandro, Gaio, Aristarcho narrentur, non sint plane conficta; sed audacter affirmat eventum prout describatur non narrari ad rei veritatem.

Contra eiusmodi criticos agit *Wendt* defendens fidem narrationis. Contra *Weizs.* ipse quoque *Hilg.* veritatem narrationis, in qua singula adeo ad vitam expressa sint, affirmat (l. c. 1896 p. 367). Et *Bl.* bene notat ad v. 23 : « incipit narratio clarissima, vividis coloribus non sine ironia quadam et sale depicta. Mirum est dictu, quod eius fidem quidam in dubium vocaverunt, alia prorsus Paulo Ephesi accidisse dicentes : ad bestias damnatum in theatro cum iis depugnavisse (1 Cor. 15,32; sed vide 2 Cor. 11), cuius rei apud Lucam nihil nisi umbram comparere tenuissimam (θέατρον v. 29). Nihil opus est serio talia φαντάσματα oppugnare, sive huius saeculi aliquis « criticus » ea profert, sive obscuri aevi (s. XIV) homo Nicephorus Callistus (h. e. II, 25), qui actis quibusdam Pauli apocryphis utitur. Lucas autem etiam lapidum testimoniis munitus obtrectatores facile contemnere potest. Ceterum ex illo loco (1 Cor. 15,31 seq.) patet iam ante hunc magnum tumultum Paulum in periculis non parvis versatum esse; cf. 20,19 ». Ita bene arguit philologus contra « criticos theologos », cui prorsus consentiendum est : nihil opus esse talia φαντάσματα serio oppugnare; Lucas tot rebus accuratissime hic et alibi ad veritatem descriptis, propriis suis nominibus designatis, quae insuper monumentis et inscriptionibus vera esse probantur, profecto fidem meretur integerrimam. Quodsi multa non narravit, de quibus in epistolis paulinis vel docemur vel aliquod deprehendimus vestigium, id ei culpae verti non potest; merito autem is reprehendendus est, qui praescribere vult quid narrare Lucas, quid omittere debuerit.

e) Iter in Macedoniam, Graeciam, inde Troadem 20,1-12.

20,1. **Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos valedixit et profectus est ut iret in Macedoniam. 2. Quum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Graeciam; 3. Ubi quum fecisset menses tres, factae sunt illi insidiae a Iudaeis navigaturo in Syriam, habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam. 4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroeensis; Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus, et Gaius Derbeus, et Timotheus; Asiani vero Tychicus et Trophimus. 5. Hi quum praecessissent, sustinuerunt nos Troade; 6. Nos vero navigavimus post dies azy-**

20,1. Μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τὸν θόρυβον, μεταπεμψάμενος ὁ Παῦλος τοὺς μαθητὰς καὶ παρακαλέσας ἀσπασάμενος ἐξῆλθεν πορεύεσθαι εἰς τὴν Μακεδονίαν 2. διελθὼν δὲ τὰ μέρη ἐκεῖνα, καὶ παρακαλέσας αὐτοὺς λόγῳ πολλῷ, ἦλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα· 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, γενομένης ἐπιβουλῆς αὐτῷ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων μέλλοντι ἀνάγεσθαι εἰς τὴν Συρίαν, ἐγένετο γνώμης τοῦ ὑποστρέφειν διὰ Μακεδονίας. 4. συνείπετο δὲ αὐτῷ Σώπατρος Πύρρου Βεροιαῖος· Θεσσαλονικέων δὲ Ἀρίσταρχος καὶ Σέκουνδος, καὶ Γάϊος Δερβαῖος καὶ Τιμόθεος· Ἀσιανοὶ δὲ, Τυχικὸς καὶ Τρόφιμος. 5. οὗτοι δὲ προελθόντες ἔμενον ἡμᾶς ἐν Τρῳάδι· 6. ἡμεῖς δὲ ἐξεπλεύσαμεν μετὰ τὰς ἡμέρας

morum a Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

7. Una autem sabbati quum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosae in coenaculo ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, quum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio coenaculo deorsum, et sublatus est mortuus. 10. Ad quem quum descendisset Paulus, incubuit super eum; et complexus dixit : Nolite turbari : anima enim ipsius in ipso est. 11. Ascendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime.

τῶν ἀζύμων ἀπὸ Φιλίππων, καὶ ἤλθομεν πρὸς αὐτοὺς εἰς τὴν Τρῳάδα ἄχρι ἡμερῶν πέντε, οὗ διετρίψαμεν ἡμέρας ἑπτά.

7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων ἡμῶν κλάσαι ἄρτον ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον, παρέτεινέν τε τὸν λόγον μέχρι μεσονυκτίου· 8. ἦσαν δὲ λαμπάδες ἱκαναὶ ἐν τῷ ὑπερῴῳ οὗ ἦμεν συνηγμένοι. 9. καθεζόμενος δέ τις νεανίας ὀνόματι Εὔτυχος ἐπὶ τῆς θυρίδος, καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ, διαλεγομένου τοῦ Παύλου ἐπὶ πλεῖον, κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ τριστέγου κάτω, καὶ ἤρθη νεκρός. 10. καταβὰς δὲ ὁ Παῦλος ἐπέπεσεν αὐτῷ, καὶ συμπεριλαβὼν εἶπεν, Μὴ θορυβεῖσθε· ἡ γὰρ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστίν. 11. ἀναβὰς δὲ κλάσας τὸν ἄρτον καὶ γευσάμενος, ἐφ' ἱκανόν τε ὁμιλήσας, ἄχρι αὐγῆς, οὕτως ἐξῆλθεν. 12. ἤγαγον δὲ τὸν παῖδα ζῶντα, καὶ παρεκλήθησαν οὐ μετρίως.

In v. 1 D και πολλα παρακαλεσας. In v. 2 D παντα τα μερη. In v. 3 D ph (mg) ηθελησεν αναχθηναι εις συριαν· ειπεν δε το πνευμα αυτω υποστρεφειν δια της μακεδονιας; gig dixit illi spiritus ut rediret per Maced. In v. 4 D ph (mg) μελλοντος ουν εξιεναι αυτου, add post αυτω αχρι της Ασιας ADEHLP al fere omn syr ph arm Chr gig; pro ασιανοι D sah εφεσιοι, ph (mg) ex Asia Ephesii. In v. 7 gig disputabat illis et confirmabat animas eorum. In v. 9 D κατεχομενος υπνω gig pressus somno... disputante Paulo perplexius deductus a fenestra cecidit de tristego. In v. 12 incipit D ασπαζομενων δε αυτων ηγαγον, gig non mediocriter (consolati sunt).

Quantum periculum Paulo imminuerit, patet ex 19,26.30.31 et 2 Cor. 1,8 seq.; merito censuit Paulus esse cedendum, ne sua praesentia fideles quoque periculo involverentur; v. 1 *postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis* μεταπεμψάμενος ad se arcessivit, *et exhortatus eos valedixit et profectus est ut iret in Macedoniam;* cf. 19,21; miserat antea Titum et alium fratrem Corinthum, ut certior fieret, quemnam fructum tulisset epistola quam per Corinthiorum legatos ad eos dederat, et Tito constituerat, ut ad se Troadem rediret. Sed seditione illa coactus citius quam decreverat (1 Cor. 16,8) Ephesum relinquere, Troade Titum nondum invenit, neque diu Troade substitit (2 Cor. 2,12. 13; 12,18), sed fidelibus valefaciens et sollicitus de conditione Corinthiorum profectus est in

Macedoniam. Ibi Titum obviam habuit, qui eum de rebus Corinthiorum edocuit (2 Cor. 7,13). Quamvis aliqua satis laeta Titus nuntiare potuerit, nihilominus plura restabant reprehendenda, corrigenda; obviam eundum erat adversariorum in apostolum machinationibus; quare in Macedonia subsistens apostolus alteram quam habemus epistolam ad Corinthios dedit, ut scil. cuncta emendarentur quae emendari oportuit, ne ipse praesens durius in nonnullos agere cogeretur et ut ipse maiore cum fructu inter eos laborare posset (2 Cor. 2,1; 12,20).

Diutius itaque in Macedonia versatus est. Nam aliquo tempore ante pentecosten Epheso profectus aestatem transegit in Macedonia, dein hiemem in Graecia, ubi per tres menses morabatur; tempore verno ante dies azymorum reliquit Graeciam; v. 2 *cum autem perambulasset partes illas et exhortatus eos fuisset multo sermone*, ecclesias Macedoniae visitabat omnes (cf. 16,12-17,13) et fideles diu et sedulo edocebat et in fide confirmabat, *venit ad Graeciam*, Ἑλλάς pro Ἀχαΐα hoc tantum loco (*Bl.*); v. 3 *ubi cum fecisset menses tres* ποιήσας cf. 15,33; 18,23; Corinthi potissimum laborasse censendus erit; eo tempore Corinthi scripsit epistolam ad Romanos (cf. Rom. 15,25; 16, 1. 23), *factae sunt illi insidiae a Iudaeis navigaturo in Syriam*, volebat apostolus itinere maritimo a portu Corinthi tendere in Palaestinam, uti iam antea proposuerat 19,21 et scripserat Romanis : nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis (Rom. 15,25), vult scil. perferendam curare collectam eleemosynam quam ecclesiae Macedoniae et Achaiae fecerant. Quales struxerint Iudaei insidias nescimus; eos voluisse apostolo mortem machinari, non est improbabile (cf. 23,12; 25,3); coniectat *Calm.* insidias esse structas, sive piratis corruptis, ut navim aggressi ipsum caperent pecuniamque quam deferebat raperent (sim. *Dion.*), sive latronibus dispositis per urbes quas pertransire necesse erat. Propter illorum insidias (cf. 2 Cor. 11, 26 periculis ex genere) itinere maritimo relicto terrestre iter elegit : *habuitque consilium;* altera lectione effertur; dixit illi spiritus, *ut reverteretur per Macedoniam*, itinere sane terrestri (cf. *Calm. Bels. Bl. Weiss*). Lectio communis re nihil differt; non enim κατὰ σάρκα Paulus consilia capere solebat (*Bl.*).

Huius itineris comites habuit complures v. 4 *comitatus est autem eum*, proficiscentem in Macedoniam; ita sane ad v. 3 consequitur, *Sopater* filius *Pyrrhi Beroeensis*, unus in novo testamento graeco more appellatur adiecto patris nomine; puto quod domi nobilis erat (*Bl.*); fertur in compluribus minusc. et versionibus Σωσίπατρος; est ne idem qui cum Paulo Corinthi fuit (Rom. 16,21)? nomen esse idem, non est

cur negemus; eundem quoque virum esse *Patr.* existimat; *Thessalonicensium vero Aristarchus et Secundus,* ille 19,29; hic plane ignotus; *et Gaius Derbeus,* proin non ille Gaius 19,29 *et Timotheus,* notus ille Pauli socius 16,1; *Asiani vero,* Ephesii (alt. lect.) *Tychicus* (Eph. 6,21. Col. 4,7; 2 Tim. 4,12. Tit. 3,12) *et Trophimus* (21,29. 2 Tim. 4, 20). Propter 19,29 necessariam censet *Bl.* correctionem : Γάϊος, Δερβαῖος δὲ Τιμόθεος, « ne exsistat alter Gaius Derbensis, sed maxime ne intercidat Gaius Macedo, quem Pauli comitem fuisse e 19,29 didicimus ». At nullo teste suffragante mutatio est audacior. Insuper nomen *Gaius* satis frequens est (cf. 1 Cor. 1,14. 3 Ioan. 1) et cur Gaius Macedo non potuerit remanere Ephesi? Comites isti videntur esse legati ecclesiarum ad eleemosynam in Ierusalem perferendam (cf. 1 Cor. 16,3. 2 Cor. 8,1 seq. 8,19. Rom. 15,26; *Felt. Bels. Bl. Wendt*).

Comites hi Paulum proficiscentem Corintho usque Philippos comitati sunt, quos Philippis apostolus rogavit, ut sese praevertentes maritimo itinere Troadem pergerent, ibique adventum suum opperirentur. Ita *Calm.* neque aliter *Patr.* : « Paulus hos septem, qui Corintho cum ipso venerant Philippos, iussit praecedere Troadem interea, dum ipse aliquot etiam diebus Philippis maneret » et ita *Beel.* quoque narrationem intelligere videtur. Et eo modo satis commode, immo necessario colligitur ex v. 5 et 6 i. e. illos socios Philippis praecessisse Troadem, dum ex v. 3. 4 conficitur eos comites itineris fuisse in Macedoniam (Philippos); id quod *Bels.* longiore disputatione probat. Unde etiam apparet illud ἄχρι τῆς Ἀσίας v. 4 nonnullorum testium esse spurium additamentum, quod etiam ex 21,29 et 27,2 elucet; qui verba haec defendunt, arguunt ea requiri ne Macedones Paulum solum usque in Macedoniam comitati esse videantur. Sed hoc nemini in mentem venire poterat qui legerit v. 5 *hi* i. e. socii ac comites, qui modo nominati sunt, *cum praecessissent, sustinuerunt nos Troade,* nos i. e. Paulum, Lucam qui igitur Philippis (v. 6) iterum se Paulo adiungit; si ex modo narrandi in prima persona concludere licet, videtur Lucas Philippis remansisse, dum Paulus profectus est (cf. 16,17. 40). Poterant alii quoque socii illo *nos* comprehendi; Paulus et ipse narrator certe designantur (*Beel. Patr. Felt. Bels. Hild. Bl. Weiss*); neque obstat illud *nos* in v. 13 (quod *Wendt* obiicit, qui vult illo *hi* etiam Paulum comprehendi); ἔμενον ἡμᾶς exspectabant nos; eodem sensu *manere* etiam Latini adhibent (Livius 42,66 : ipse hostium adventum, elatus successu, mansit; *Beel.*); ad μένειν cf. Is. 8,17 LXX, 2 Mach. 7,30.

Paulus autem dies paschales Philippis egit; mansit per aliquos dies

apud fideles quos fratres suos carissimos et desideratissimos, gaudium suum et coronam appellat (Phil. 1,4); quare reversus ex Graecia iterum quantum licebat apud eos commorabatur v. 6 *nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis,* notatur solummodo tempus; Paulum observasse ritum azymorum, ex hisce verbis nequit colligi (*Beel.*); alias quoque tempus festis iudaicis designatur (12,3; 27,9); navigationem instituerunt a Neapoli (cf. 16,11), quae res brevitatis studio omittitur (*Bl.*); *et venimus ad eos Troadem in diebus quinque* ἄχρι ἡμερῶν πέντε i. e. ante dies quinque praeterlapsos, sub finem diei quinti (*Beel.*), die quinto; idem iter breviore tempore confectum est 16,11; fortasse ventum habebant contrarium et hic includitur iter terrestre a Philippis Neapolim. Putat *Weiss* nullo pacto tantum temporis intelligi posse pro isto itinere (?), sed solum dici post quot dies sociis aliis se adiunxerint; *ubi demorati sumus diebus septem;* Troade ostium sibi apertum esse in Domino apostolus iam asseruerat, cum e Macedonia scriberet Corinthiis (2 Cor. 2,12).

Primam hebdomadae diem iam eo tempore fidelibus fuisse sacram, et 1 Cor. 16,2 et hic habetur indicium (cf. Apoc. 1,10 in dominica die) v. 7 *una autem sabbati* ἐν δὲ τῇ μίᾳ τῶν σαββάτων primo die hebdomadis (cf. Marc. 16,2. Luc. 24,1. Ioan. 20,1); hebdomas dicitur σάββατον et σάββατα (vide quae notavi ad Math. 28,1), *cum convenissemus ad frangendum panem,* ad coenam Domini, ad celebrandam eucharistiam (cf. 2,42; *Bed. Dion. Salm. Cai. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Wendt, Bl. Weiss*) et interpres syrus pro pane vertit eucharistiam. Celebratio ipsa habetur demum in v. 11; antea Paulus diutius docuit : *Paulus disputabat cum eis* διελέγετο (17,2; 19,8) « colloquebatur cum eis; quaestiones eorum audiebat solvebatque dubitationes submovebat; si quid illis obscurum et difficile accidebat in nostris mysteriis, declarabat » (*Calm.*) *profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem;* cur solito diutius loqueretur, iter imminens erat causa; v. 8 *erant autem lampades,* lucernae *copiosae in coenaculo* ἐν τῷ ὑπερῴῳ in superiore conclavi (cf. v. 9), *ubi eramus congregati;* lumen copiosum ad sollemnitatem augendam et splendorem confert. Conclave fuisse refertum collige quoque ex v. 9 *sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram,* omni spatio proin occupato in conclavi; fenestrae nullis scil. (quod saepe usu veniebat) clathris munitae (*Bl.*), *cum mergeretur somno gravi,* καταφέρεσθαι etiam simpliciter significat obdormiscere (cf. *Grimm,* Lex. *Bl.*), *disputante diu Paulo,* ἐπὶ πλεῖον diutius, *ductus somno,* depressus somno, prae somno, vi eius degravatus (*Bl.*), *cecidit de tertio coenaculo deorsum,* de tristego (gig), de

tertia contignatione, *et sublatus est mortuus,* ex verbis nequit dubitari quin revera mortuus fuerit (*Patr. Felt. Weiss*), et non solum periculum mortis incurrerit (*Cassiod.*). Iuvenem quidem ex naturae necessitate, non ex ignavia, dormitasse ait *Chr.,* sed diabolum turbasse festum, nec praevaluisse.

« Inter verba praedicationis occurrit occasio curationis, ut dulcedine miraculi et doctrinae sermo firmetur et vigiliarum labor arceatur et memoria magistri iam discessuri arctius mentibus infigatur » (*Bed. Salm.*) v. 10 *ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum et complexus* συμπεριλαβών ab omni parte; idem fere agit quod olim prophetae Elias (3 Reg. 17,21) et Eliseus (4 Reg. 4,34), *dixit : nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est;* neque dicit : *adhuc* in ipso est; ergo simul indicat eum fuisse mortuum (*Beel.*). Miratur *Chr.* apostoli modestiam, qui non dixerit : suscitabo eum. « Lucas non ait Eutychum statim surrexisse, sed continuo hoc, ut ita dicam, relicto Paulum in coenaculum regressum primaque luce profectum narrat; quae omnia, Pauli inquam verba modumque ac seriem narrationis si perpendas, concludes rem ita gestam, ut Eutychus vitam quidem illico receperit Paulo in eum incumbente, at sensum non item, sed sensim, neque omnino nisi post Pauli profectionem » (*Patr.*). Nunc tandem celebratur eucharistia, ad quam celebrandam convenerunt (v. 7), v. 11 *ascendens autem frangensque panem* κλάσας τὸν ἄρτον, τὸν per relationem ad v. 7 (*Bl. Weiss*), ergo de coena dominica (cf. *Augustinus* ep. 36, cap. 12 n. 28; *M.* 33, 149) *et gustans,* uti in coena Domini et in agapis fidelium, ita hic quoque convivium adiunctum erat; γευσάμενος cf. 10,10. Ita animo et corpore refectus denuo docere et exhortari perrexit : *satisque allocutus usque in lucem,* non sibi satisfacere posse videtur; fortasse idem iam volvit animo quod postea v. 25 enuntiat, se putare ultimam esse occasionem qua suos possit alloqui, *sic profectus est,* οὕτως post participia, ut frequentissime quoque apud profanos (*Bl.*).

Iuvenis autem ad omnium gaudium vivus sanusque restitutus est v. 12 *adduxerunt autem puerum viventem,* qui eum mortuum sustulerunt et curam eius egerunt, *et consolati sunt non minime,* οὐ μετρίως non mediocriter (gig), non modice (*Patr.*), scil. ceteri omnes. Fuisse criticos qui narrationem hanc conformatam esse dixerint et confictam ad similitudinem illius quod Petrus effecerit 9,40, ne scil. Paulus ulla in re cederet Petro, nemo mirabitur qui illorum argutias noverit. Hanc vero narrationem esse fide dignam et a Luca fideliter « ex suo fonte » narrari contra illos *Wendt* asserit.

f) Paulus in urbe Mileto 20,13-38.

20,13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum : sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14. Quum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. 16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit maiores natu ecclesiae. 18. Qui quum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, 19. Serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus quae mihi acciderunt ex insidiis Iudaeorum; 20. Quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et docerem vos publice et per domos, 21. Testificans Iudaeis atque gentilibus in Deum poenitentiam, et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quae in ea ventura sunt mihi ignorans, 23. Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula et tribulationes Ierosolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Iesu, testificari evangelium gratiae Dei. 25. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei. 26. Quapropter contestor vos hodierna die quia mundus sum a sanguine omnium. 27. Non enim subter-

20,13. Ἡμεῖς δὲ προσελθόντες ἐπὶ τὸ πλοῖον, ἀνήχθημεν ἐπὶ τὴν Ἄσσον, ἐκεῖθεν μέλλοντες ἀναλαμβάνειν τὸν Παῦλον, οὕτως γὰρ διατεταγμένος ἦν, μέλλων αὐτὸς πεζεύειν. 14. ὡς δὲ συνέβαλλεν ἡμῖν εἰς τὴν Ἄσσον, ἀναλαβόντες αὐτὸν ἤλθομεν εἰς Μιτυλήνην· 15. κἀκεῖθεν ἀποπλεύσαντες, τῇ ἐπιούσῃ κατηντήσαμεν ἀντικρὺς Χίου· τῇ δὲ ἑσπέρᾳ παρεβάλομεν εἰς Σάμον· τῇ δὲ ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς Μίλητον. 16. κεκρίκει γὰρ ὁ Παῦλος παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον, ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι ἐν τῇ Ἀσίᾳ· ἔσπευδεν γὰρ, εἰ δυνατὸν εἴη αὐτῷ τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα.

17. Ἀπὸ δὲ τῆς Μιλήτου πέμψας εἰς Ἔφεσον, μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. 18. ὡς δὲ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν, εἶπεν αὐτοῖς, Ὑμεῖς ἐπίστασθε, ἀπὸ πρώτης ἡμέρας ἀφ' ἧς ἐπέβην εἰς τὴν Ἀσίαν, πῶς μεθ' ὑμῶν τὸν πάντα χρόνον ἐγενόμην, 19. δουλεύων τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ δακρύων καὶ πειρασμῶν τῶν συμβάντων μοι ἐν ταῖς ἐπιβουλαῖς τῶν Ἰουδαίων· 20. ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν καὶ διδάξαι ὑμᾶς δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους, 21. διαμαρτυρόμενος Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησιν τὴν εἰς Θεὸν μετάνοιαν, καὶ πίστιν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν.

22. καὶ νῦν ἰδοὺ δεδεμένος ἐγὼ τῷ πνεύματι πορεύομαι εἰς Ἱερουσαλὴμ, τὰ ἐν αὐτῇ συναντήσοντα ἐμοὶ μὴ εἰδὼς, 23. πλὴν ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον κατὰ πόλιν διαμαρτύρεταί μοι λέγον, ὅτι δεσμὰ καὶ θλίψεις με μένουσιν. 24. ἀλλ' οὐδενὸς λόγου ποιοῦμαι τὴν ψυχὴν τιμίαν ἐμαυτῷ, ὡς τελειώσω τὸν δρόμον μου καὶ τὴν διακονίαν ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, διαμαρτύρασθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. 25. καὶ νῦν ἰδοὺ ἐγὼ οἶδα, ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου ὑμεῖς πάντες, ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν. 26. διότι μαρτύρομαι ὑμῖν ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ὅτι καθαρός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων· 27. οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγ-

fugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.

28. Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo. 29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. 31. Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

32. Et nunc commendo vos Deo et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus. 33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut 34. Ipsi scitis : quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere.

36. Et quum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus factus est omnium; et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, 38. Dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

γεῖλαι πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ὑμῖν.

28. προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου. 29. ἐγὼ οἶδα ὅτι εἰσελεύσονται μετὰ τὴν ἄφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου· 30. καὶ ἐξ ὑμῶν (αὐτῶν) ἀναστήσονται ἄνδρες λαλοῦντες διεστραμμένα, τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω ἑαυτῶν. 31. διὸ γρηγορεῖτε, μνημονεύοντες ὅτι τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ ἐπαυσάμην μετὰ δακρύων νουθετῶν ἕνα ἕκαστον.

32. καὶ τὰ νῦν παρατίθεμαι ὑμᾶς τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, τῷ δυναμένῳ οἰκοδομῆσαι καὶ δοῦναι τὴν κληρονομίαν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν. 33. ἀργυρίου ἢ χρυσίου ἢ ἱματισμοῦ οὐδενὸς ἐπεθύμησα· 34. αὐτοὶ γινώσκετε ὅτι ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται. 35. πάντα ὑπέδειξα ὑμῖν, ὅτι οὕτως κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, μνημονεύειν τε τῶν λόγων τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, ὅτι αὐτὸς εἶπεν, Μακάριόν ἐστιν μᾶλλον διδόναι ἢ λαμβάνειν.

36. Καὶ ταῦτα εἰπὼν θεὶς τὰ γόνατα αὐτοῦ, σὺν πᾶσιν αὐτοῖς προσηύξατο. 37. Ἱκανὸς δὲ κλαυθμὸς ἐγένετο πάντων· καὶ ἐπιπεσόντες ἐπὶ τὸν τράχηλον τοῦ Παύλου κατεφίλουν αὐτόν· 38. ὀδυνώμενοι μάλιστα ἐπὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἰρήκει, ὅτι οὐκέτι μέλλουσιν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ θεωρεῖν. προέπεμπον δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον.

In v. 13 D κατελθοντες, gig nos vero descendimus ad navem. In v. 15 gig applicuimus Samum et manentes in Trogilio; item και μειναντες εν τρωγυλλιω DHLP al pler cat syr (utr) sah Chr Theoph. In v. 16 D μηποτε γενηθη αυτω κατασχεσις τις; gig et reverebatur ne qua mora illi fieret. In v. 18 D ως τριετιαν η και πλειον ποταπως μεθ υμων ην παντος χρονου. In v. 21 D δια του κυριου ημων. In v. 24 gig sed pro nichilo estimo animam meam esse caram michi; item Lcif; Aug non enim facio animam meam pretiosam mihi; gig quam consummare. In v. 25 gig regnum domini ihesu. In v. 28 εκκλησιαν του θεου ℵB pl minusc ph vulg Chr Epiph Bas Ps-Ath Cyr Antioch Caelest Amb Orsies Prim Theoph; του κυριου και θεου C³ HLP al plus 110; solum του κυριου AC* DE mu minusc cat sah cop arm gig Did Ath. In v. 29 gig lupi graves. In v. 32 κυριω B; gig domino; al θεω. In v. 34 D ταις χρειαις πασιν, gig necessitatibus meis omnibus. In v. 35 gig sustinere infirmos, item gig in v. 37 consolabantur eum et in v. 38 quia amplius non videbitis faciem meam.

Accurate describitur v. 13-15 iter a Troade Miletum; v. 13 *nos autem* Lucas aliique excepto Paulo *ascendentes navem*, legunt sat multi προελθόντες, uti v. 5; proin ante Paulum profecti sunt; habet enim iter maritimum Troade Assum, quod oppidum est in ora Troadis meridiana, circuitum longissimum; brevius est terrestre fere XL milium metrorum nostrorum (*Bl.*), *navigavimus in Asson* ad sinum Adramyttion, distans Troade a meridie XIX millia passuum (Tab. Peuting. *Patr.*), *inde suscepturi Paulum* in navem scil., *sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus*, ut fideles ea in regione alloqui ac docere posset (*Chr.*); πεζεύειν de terrestri, non necessario pedestri, itinere (*Bl.*); v. 14 *cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen;* erat urbs primaria in insula Lesbo; distabat Asso LXX millia passuum, Troade XC m. p.; urbs satis celebris erat, eam vocat Cicero (de lege agr. 2,16) et natura et descriptione aedificiorum et pulchritudine nobilem; pulchram vocat Horatius (Ep. 1,11,17); in nummis scribitur Μυτιλήνη (*Patr.*); v. 15 *et inde navigantes sequenti die venimus contra Chium*, quae insula nunc *Scio* nomen habet, aequali fere distantia XLV m. p. inter Lesbum et Samum (*Patr.*); adversus Chium navis per noctem in ancoris stetit (*Bl.*), *et alia*, τῇ δὲ ἑτέρᾳ postridie; ἑσπέρᾳ vespere (B cat aliq minusc) *applicuimus Samum* παρεβάλομεν nos contulimus, traiecimus; insula est proxima continenti contra Ephesum. Additur a multis καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ cum pernoctassemus ad Trogillium; est promontorium e regione Sami, *et sequenti die venimus Miletum*, in urbem quondam Ioniae caput; distat Epheso in meridiem XXX m. p. (*Patr.*).

Cur tale iter Paulus elegerit, ratio affertur v. 16 *proposuerat enim Paulus* κεκρίκει iudicaverat, decreverat cf. 15,19; 16,4; *transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia;* nam si Ephesum attigisset, fideles quam maxime apud eum institissent obsecrationibus, ut per aliquod tempus apud se maneret et Paulus noluit eos contristare (cf. *Chr.*); *festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem pentecostes faceret Ierosolymis;* quae mora illi futura esset Ephesi, altera lectione indicatur : κατάσχεσις retentio, impeditio. Verum antequam ab Asia discederet, etsi non omnes fideles potuit alloqui, saltem eos voluit aliqua admonitione communire quorum erat curam gerere fidelium; v. 17 *a Mileto autem mittens Ephesum vocavit maiores natu ecclesiae;* iam *Irenaeus* refert esse convocatos episcopos et presbyteros ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus (adv. haer. 3,14,2; M. 7,914); idque plane exigitur v. 25 et 28 (cf. *Felt. Bels.*). Lucas urbis solum primariae mentionem facit ex qua in ceteras regiones

evangelium erat propagatum, et cum modo mentionem fecisset Paulum voluisse consulto non attingere Ephesum, Ephesios antistites saltem esse ab eo advocatos explicite effert; alios quoque adfuisse ipsa oratione demonstrari visum est satis.

In ea autem oratione animus apostolicus praeclare elucet et sollicitudo illa tenerrima quam de omnium gerit salute. Primo eis in mentem revocat quanto studio ipse in salutem omnium procurandam ac promovendam incubuerit (v. 18-21); dein attingit praesentia, se petere Ierusalem paratum ad omnia subeunda, quae sibi instare Spiritus sanctus significaret (v. 22-24); tum futura prospiciens pericula fidelium, protestatur a se praestita esse omnia quibus fidelium salus in tuto collocari potuerit; quare eorum pastores graviter monet, ut ipsi quoque sedulo fungantur officio, memores exempli quod ipse dederit, et ut ab omni avaritiae specie et studio lucri sint quam alienissimi (v. 25-35). Putabat enim apostolus sibi iam non fore opportunitatem ad eos veniendi; unde quasi muneris sui quoque rationem reddit, et, ut olim Samuel (1 Reg. 12,3 seq.), suam coram omnibus integritatem cunctis notam esse profitetur. — Esse orationem genuinam, ex epistolis quoque apostoli comprobatur, in quibus similes sententiae reperiuntur; eam esse ad illam occasionem aptissimam et plane consentaneam rebus Ephesi gestis pariter constat.

Incipit eodem fere modo, quo Thessalonicenses in epistola alloquitur et Corinthios (1 Thess. 1,3. 1 Cor. 2,1 seq.); v. 18 *qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis : vos scitis, a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim;* bene dicit *Theoph.* ἐνταῦθα χαρακτῆρα διδασκαλίας δείκνυσι. Notatu dignum est in altera lectione tempus assignari plus triennio, quod ne repugnare videatur 19,8. 10, explicandum erit ex 18,19 : ab eo scil. tempore quo primum in Asia (Ephesi) incepit disserere de evangelio usque ad eius discessum (20,1) tale temporis spatium effluxit (*Bels. Bl.*); qualiter fuerit, iam declarat : v. 19 *serviens Domino cum omni humilitate,* cf. Rom. 12,11; 14,18. Eph. 4,2. Phil. 2,3; simili modo profitetur 1 Cor. 2,3 et 1 Thess. 2,7, *et lacrimis,* cf. 2 Cor. 2,4, *et tentationibus quae mihi acciderunt ex insidiis Iudaeorum;* 19,9. 33; ad quas insidias videtur quoque alludere 1 Cor. 15,32 scribens se ad bestias pugnasse Ephesi (quamvis aliqui explicent eum in arena bestiis esse obiectum et miraculo servatum); de insidiis Iudaeorum acerbe quoque conqueritur Gal. 5,12. Phil. 3,2. 1 Thess. 2,14-16; cf. Rom. 15,31. Sed quamvis fuerit vexationibus obseptus, tamen strenue munere functus est v. 20 *quomodo nihil subtraxerim utilium*

οὐδὲν ὑπεστειλάμην quod verbum adhibetur de eo qui prae metu aliquid celat, reticet, dissimulat (*Beel. Felt. Bl.*); itaque mediis in tribulationibus audacter omnia illa praedicavit quae fidelibus expediebat audire, *quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos,* copiam et sedulitatem ostendit (*Chr.*); publice et privatim, coetum fidelium et singulos docere et exhortari non desistebat.

Qua sedulitate non desistebat omnibus et Iudaeis et Graecis prospicere v. 21 *testificans Iudaeis* διαμαρτυρόμενος obtestatus, impense adhortatus; quantopere de suae gentis salute sollicitus sit, vide Rom. 9,1-5; 11,14. 1 Cor. 9,20, *atque gentilibus in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum;* duo illa publice et privatim docere et inculcare illi curae fuit quae 1 Thess. 1,9. 10 quoque effert; cf. Marc. 1,15 poenitemini et credite evangelio. Iam ad praesentem animi habitudinem orationem deflectit v. 22 *et nunc ecce alligatus ego spiritu,* animi mei impetu impulsus (*Beel. Patr. Felt. Bl.*); alii explicant de impulsu Spiritus sancti (*Didymus* in cat. *Lap. Calm.;* utrumque proponit *Salm.*); *Oec. Theoph.* πνεύματι referunt ad *vado :* praescius per Spiritum sanctum; sed de Spiritu sancto accipi non posse ostenditur v. 23, ubi tandem enuntiat quid Spiritus sanctus ea in re agat. Aliis placet explicare : iam se sentit quasi vinculis onustum (*Wendt*); at simplicius est dicere cum *Patr.* voluntatem eius quasi alligatam esse quominus obsistere queat internae cuidam vi ipsum Ierusalem pertrahenti; *vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi ignorans,* v. 23 *nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur,* scil. per prophetas qui talia annuntiant: unum eiusmodi exemplum Lucas affert postea 21,11; idem iam antea quoque factum esse, ipsa hac oratione relata nos docet; quare minime opus erat, ut id antea in singulis civitatibus commemoraret. Utique aliqui critici volunt id debuisse commemorari antea; quod cum factum non sit, perperam ex 21,11 orationem esse confictam. Isti non attendunt Lucam et multarum rerum mentionem omnino non facere et merito existimare sufficere, ut rem *semel* asserenti sibi fides habeatur; *dicens* per prophetas : *quoniam vincula et tribulationes Ierosolymis me manent;* id utique scit; sed qualem eventum haec habitura sint, captivitatem perpetuam, mortem, haec ignorat v. 22.

Nihilominus animo est forti ac generoso v. 24 *sed nihil horum vereor nec facio animam meam pretiosiorem quam me;* videtur interpres legisse ἐμαυτοῦ pro ἐμαυτῷ; clarus est textus graecus : nullatenus existimo vitam meam pretiosam mihi (*Cai. Salm. Lap. Calm. Patr.*

Felt.), *dummodo consummem cursum meum,* ὡς τελειώσω, scil. ut officium meum expleam; constitutum habeo vitam ipsam nihili ducendam mihi esse (*Patr. Felt.*) et eo modo iam *Salm.* (neque duco vitam meam pretiosam mihi) *Cai. Lap.* graecum intellexerunt; *et ministerium verbi quod accepi a Domino Iesu* (cf. 1 Cor. 1,17; 9,16. Gal. 1,12) *testificari evangelium gratiae Dei* laetum scil. nuntium de gratia Dei quae hominibus offertur; cf. 14,3. Gal. 1,6. Tit. 2,1, et qualis ac quanta sit haec gratia, in nuntio messiano, in praedicatione de Christo, omnibus ob oculos ponitur. — Qualem exitum habitura sint vincula et tribulationes, nescit (v. 22. 23); si ex eis evadere poterit, iter romanum animo praesagit (19,21); quare pronum erat concludere v. 25 *et nunc ecce, ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi praedicans regnum Dei;* ex qua allocutione clare apparet, non solum ephesios adfuisse; nam absentes interpellari : *vos omnes,* ab hoc sermone profecto alienum est. Loquitur apostolus secundum praesens suum iudicium et existimationem (*Salm. Calm.*), ex probabili coniectura (*Beel.*) et prout ipse tum futurum putabat (*Patr. Felt.*). Postea iterum eas in regiones pervenit, uti evidenter patet ex 1 Tim. 1,3; 3,14; 4,13; 2 Tim. 1,18; 4,13. 20; eandem spem se iterum eas regiones visurum esse, etiam exprimit in epistola ex priore captivitate romana data (Philem. 22).

Cum itaque ab iis digressurus sit, ultima iis tradit monita in memoriam revocans illis, quantam de eorum salute sollicitudinem exhibuerit; v. 26 *quapropter contestor vos hodierna die,* μαρτύρομαι ὑμῖν, per Deum, graviter sancteque affirmo vobis, *quia mundus sum a sanguine omnium;* cf. 18,6; si quis vestrum perit, excidit a salute, sua culpa peribit, non mea; alludit apostolus ad Ez. 3,17 seq. : speculatorem dedi te domui Israel; si dicente me ad impium : morte morieris, non annuntiaveris ei neque locutus fueris,... sanguinem eius de manu tua requiram (*Lap.*). Mihi enim, ait, interitus seu perditio imputari nequit, et tale testimonium vos omnes mihi dare debetis, v. 27 *non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην non timiditate quadam me subduxi, neque unquam cessavi vobis inculcare quae Deus vos exsequi vellet; omnem Dei voluntatem circa ea quae ad salutem consequendam spectant vobis aperte demonstrabam. Suas igitur partes fideliter et intrepide egit.

Restat, ut ipsi quoque eandem curam adhibeant, ut et seipsos et alios sibi commissos ad salutem adducant v. 28 *attendite vobis* (cf. 5, 35) *et universo gregi,* populus Dei, Ecclesia eo nomine saepe de-

signatur; cf. Matth. 9,36. Luc. 12,32. Ioan 10,11. 16. 1 Petr. 5,2 et frequenter in vetere testamento (Ps. 23,1 hebr.; 78,13; 94,7; 99,3. Ez. 34,5. Mich. 7,14 etc.) *in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo,* ποιμαίνειν pascere, dein regere, gubernare (cf. 2 Reg. 5,2. Mich. 5,6; 7,14. Apoc. 2,27 etc.). Cum sermo fiat de epicopis et de ecclesia Dei quam acquisivit sanguine suo, iterum in aperto est non agi de una ecclesia ephesia. Loquitur enim de tota ecclesia, de toto coetu fidelium, et declarat praesentes episcopos vocatos esse, ut in hac ecclesia munere pastorum fungerentur (cf. *Bels. Felt.*). Eam ecclesiam Christus sanguine suo sibi comparavit, quem scil. effudit in remissionem peccatorum (Matth. 26,28. Luc. 22,20); tali enim pretio suos sibi emit (1 Cor. 6,20; 7,23); nam pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi redempti sumus (1 Petr. 1,19) et similiter Eph. 1,7; 2,13. Col. 1,14. Hebr. 9,12. 14 etc. Lectio τοῦ Θεοῦ satis firmatur testimonio antiquitatis (vide lect. var.), ad quam lectionem referri potest quod scribit *Ignatius* martyr : ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ (Eph. 1,1; *M.* 5,644) et *Tertullianus :* pretio empti, et quali pretio? sanguine Dei (ad ux. 2,3; *M.* 1,1293). Hoc autem pretio immenso simul constat quam cara Christo Deo sit ecclesia et quanta sedulitate episcopos deceat in ea saluti animarum prospicere. Positi dicuntur a Spiritu sancto, cf. 13,2; 16,6.7; Spiritus enim varia dona et ministeria distribuit (1 Cor. 12,5), eo duce et magistro et adiutore evangelium praedicatur et propagatur (Ioan. 15,26. 1 Cor. 2,4. 13; 7,40. 2 Cor. 3,3. Eph. 2,22. 2 Tim. 1,14 etc.).

Lectio *ecclesia Dei* ideo quoque optime commendatur, quia in epistolis paulinis constanter legitur : ecclesia Dei; nunquam vero : ecclesia Domini. Ita ecclesia Dei 1 Cor. 1,2; 10,32; 11,16. 22; 14,4; 15,9; 2 Cor. 1,1. Gal. 1, 13. Phil. 3,6. 1 Thess. 2,14; 2 Thess. 1,4. 1 Tim. 3,5. 15 legitur. Difficultatem in ea lectione solum reperiunt in eo quod censent fieri non potuisse, ut Paulus Christum simpliciter Deum appellaret (cf. *Wendt*). Sed cum evidens sit apostolum saepius clarissime docere divinam Christi naturam (Rom. 1,4; 9,5; 10,13. 2 Cor. 8,9. Gal. 1,1. Phil. 2,6. Col. 1,15 seq. 2,9. Hebr. 1,3 etc.), ea difficultas vel obiectio plane amandanda est. Novo modo *Westcott* difficultatem illam acatholicorum quorundam removere tentavit coniiciens τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου υἱοῦ primitus fuisse scriptum. Notat *Bl.* id quidem minime ferri posse, ut ad τοῦ ἰδίου suppleatur υἱοῦ. — Etsi illam suppleverint vocem, Christi divinitas manet clare proposita; nam eo modo Paulus quoque de Filio Dei loquitur, ut de propria filiatione i. e. de eius divinitate constet (Rom. 8, 32. Gal. 4,4 etc.); praeterea perpende quam

clare v. g. in evangelio Ioannis divina Christi natura doceatur (1,14. 18; 5,18 seq. 8,58; 10,58-30 etc.).

Et quantopere necesse sit ut omni cura pastores vigilent, non sine animi dolore apostolus monet v. 29 *ego scio quoniam intrabunt post discessum meum,* ἄφιξις debet esse *discessus,* sed quae pro ea significatione afferuntur exempla falsa sunt (*Bl.*), *lupi rapaces in vos, non parcentes gregi;* cf. Matth. 7,15. Ioan. 10,12. Iam expertus erat apostolus quomodo falsi doctores animos fidelium conarentur turbare et pervertere et Ephesi iam multos adversarios sibi negotium facessere scripsit Corinthiis (1 Cor. 16,9; ceterum cf. 2 Cor. 10,6 seq. Gal. 1,7; 5,12. 2 Thess. 2,2). Bene notandum est, quanta cum severitate de falsis doctoribus loquatur et hic et aliis in locis (cf. Rom. 16,18-20. 2 Cor. 11,13-15. Gal. 1,9; 5,12. 1 Tim. 1,19). Immo v. 30 *et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se;* « id enim isti spectant et agunt : non Domino, sed sibimetipsis populum acquirere student, ut apud se glorientur, dum vulgatur et circumfertur in illis quos sibi adiunxerint, nomen ipsorum ex quo cognominentur, uti a Manete Manichaei, ab Ario Ariani » (*Theoph.*). Et quam vere animo praesagierit talia apostolus, satis superque ex eius epistolis elucet, quas e captivitate romana et postea ad Timotheum dedit. Idem collige ex epistolis Petri, Iudae, Ioannis et ex Apocalypsi (cap. 2. 3).

Cum itaque periculum instet gregi, pastoribus sedulo est vigilandum; eius vigilantiae exemplum praeclarissimum eis dedit ipse apostolus v. 31 *propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrimis monens unumquemque vestrum;* talem de suis curam et sollicitudinem etiam epistolae eius testantur; v. g. 2 Cor. 2,4; 11,28. 29. Gal. 4,19. Col. 2,1. 1 Thess. 2,11. 17. Verum cum iam ab eis recedendum sit, nihil aliud restat quam ut eos precibus suis Deo commendet v. 32 *nunc et commendo vos Deo et verbo gratiae ipsius* i. e. ut Deus vos confortet, erudiat verbo gratiae suae, illis scil. veritatibus quas pro sua in nos gratia et benevolentia nobis revelare dignatus sit. Nam veritas liberabit vos (Ioan. 8,32) et evangelium est virtus Dei ad salutem (Rom. 1,16). Et qua fiducia eos Deo commendet exprimit : *qui potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus;* metaphora aedificandi familiaris est apostolo (cf. Rom. 15,20. 1 Cor. 3,9; 8,1. 10; 10,23; 14,3. 4. 5. 12.17. 26. 2 Cor. 10,8; 12,19; 13,10. Eph. 2,11; 4,12. 16. 1 Thess. 5,11 etc.). Fideles enim sunt domus et familia Dei; si crescunt fide, spe, caritate, templum Dei in iis magis exstruitur et

exornatur. Heredes quoque sunt Dei et coheredes Christi (Rom. 8,17) utpote filii; quare aeternam salutem nomine hereditatis designat (Gal. 3,8. Eph. 1,14. 18; 5,5. Col. 3,24. Hebr. 1,14 etc.) item Christus dicit Matth. 5,4 (graece). Hanc hereditatem dat Deus *sanctificatis* ἡγιασμένοις, qui scil. sanctitatem illam in baptismo receptam conservarint aut recuperarint et ita ut sancti tribunali iudicis sistuntur. Solet Paulus fideles appellare sanctos (Rom. 1,7; 8,27; 12,13; 16,15. Cor. 6,1 etc.). Baptismo enim in Christum (Rom. 6,3-7) abluti sunt, sanctificati sunt (1 Cor. 6,11). Uti hos commendat Deo, ita in epistolis quoque frequenter suas pro fidelibus ad Deum orationes commemorat (Rom. 1,10. 1 Cor. 1,4. Phil. 1,4. Col. 1,3. 1 Thess. 1,2).

Demum necessarium esse censet eos monere ut ab omni cupiditatis et avaritiae specie sedulo caveant v. 33 *argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut* v. 34 *ipsi scitis, quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt ministraverunt manus istae;* proin Ephesi quoque observabat quod apud Thessalonicenses et Corinthios se fecisse scribit (1 Thess. 2,9. 2 Thess. 3,8. 1 Cor. 4,12; 9,4 seq.); vult enim evangelium sine sumptu ponere (1 Cor. 9,18) et gratis evangelizare (2 Cor. 11,7) et ita maiore vi et effectu sese opponere pseudoapostolis qui lucrum spectant (2 Cor. 11,20), dum ipse solum animas salvare studet : non enim quaero quae vestra sunt, sed vos (2 Cor. 12, 14). Hoc suo exemplo ad succurrendum egenis excitentur oportet v. 35 *omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos,* egenis opem praestare (*Oec. Theoph. Felt.*); sed plerique explicant de infirmis in fide qui facile offendantur, si sumptu graventur aut suspicentur ministros agi spe lucri (cf. *Lap. Beel. Calm. Patr. Bl.*). Sed quae apostolus addit, priorem explicationem suadere omnino videntur : *ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit : beatius est magis dare quam accipere;* hoc Christi verbum Paulus nobis servavit. Quia itaque beatius dicitur dare quam accipere, pastores adhortatur, ut quantum fieri possit potius aliis largiantur, quam ab illis accipiant; id quod suo quoque exemplo illis se ostendisse profitetur et quidem non sine magno suo labore (cf. κοπιῶντας). Quare illud *succurrere infirmis* eodem sensu erit accipiendum. Ita sane quam efficacissime suspicio avaritiae avertitur. Censet criticus vir (*Weiss*) talem adhortationem nullatenus apte hic apponi!

Adhortationem fusis precibus concludit id executus quod modo v. 32 dixerat v. 36 *et cum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis;* cf. 7,59; nota morem precandi flexis genibus a prima ipsa Ecclesiae aetate apud Christianos obtinentem 21,5 (*Patr.*); v. 37 *magnus autem fletus factus est omnium et procumbentes super collum*

Pauli osculabantur eum καταφιλεῖν fortius est quam φιλεῖν (*Bl.*), multum osculari. En quanto amore animos omnium sibi devinxit Paulus; ipse omnibus maximam exhibebat caritatem (v. 31). Discipulorum amor et dolor auctus est, quia suum apostolum iam non se visuros esse existimabant v. 38 *dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.*

Orationem hanc non esse a Paulo habitam, sed a scriptore Actuum libere compositam, *Baur, Zeller, Overbeck* contendebant. Nuperrime *Hilg.* quoque audacter asseruit non potuisse Paulum ita loqui; totam orationem esse interpolationem auctoris ad Theophilum, in cuius fonte nihil aliud fuerit relatum nisi : a Mileto mittens Ephesum vocavit maiores natu ecclesiae (v. 17); deducebant autem eum ad navem et conscendentes navigavimus (v. 38 b; 21,1); sicut enim non relatum sit quid Paulus Philippis (20, 6), quid Tyri locutus esset (21,5), ita minime fuisse necesse enarrare quid Mileti disseruisset. Praeter hanc futilem rationem affert *Hilg.* ut probet Paulum non potuisse ita loqui has ratiunculas : quod 20,23 dicitur : per omnes civitates Spiritus mihi protestatur etc., id solum in subsequenti narratione indicatur evenisse Tyri, Caesareae (21,4. 10); ergo non potuit Mileti illud iam enarrari; Paulus propositum Romam proficiscendi ea in oratione deserit; plane de vita sua desperat (v. 24. 25); sed talis desperatio plane aliena est a mente Pauli, qui ne captivus quidem spem liberationis dimittit, uti patet Phil. 1,25; 2,24 et Philem. 22. Porro quae dicuntur de vita Pauli apostolica, neque narrationi Actuum neque epistolis paulinis congruunt; imprimis a vero alienum est Paulum ita laborasse, ut non solum sibi, sed etiam suis sociis victum comparasset, immo egenis potuisset largiri. Nam Paulus ipse contrarium asserit; scil. se Corinthi opem accepisse a Macedonia (2 Cor. 11,9. Phil. 4,15). Denique dubitat *Hilg.* num Paulus errores gnosticos exorituros esse praedicere potuerit.

Orationem esse genuinam et plane ex Pauli mente profectam, satis supra iam ostensum est plurimis illis locis epistolarum paulinarum adscriptis. Quae *Hilg.* obiicit, pleraque iam in explicatione praeoccupata sunt. Explicatius ea refutat *Bels.* p. 119 seq. Paulum manibus suis laborasse certum est; si Corinthum Macedones ei miserunt pecuniam, cur non idem fecerint, cum Ephesi commoraretur? tum sane egenis quoque largiri poterat! Quid si fideles maiore pretio labores Pauli, tentoria ab eo confecta emerint? Alia quaedam quae obiiciuntur non merentur responsum. — Quale *Wendt* de fide historica et veracitate sacri auctoris sibi efformaverit iudicium, collige ex eius ad v. 25 adnotatione : certum est non futurum fuisse ut Lucas verba illa ita traderet, nisi eventu comprobata fuissent.

g) Pauli iter in Ierusalem 21,1-16.

21,1. Quum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu	21,1. Ὡς δὲ ἐγένετο ἀναχθῆναι ἡμᾶς ἀποσπασθέντας ἀπ' αὐτῶν, εὐθυδρομήσαντες

venimus Coum, et sequenti die Rhodum et inde Pataram. 2. Et quum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, ascendentes navigavimus. 3. Quum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum : ibi enim navis expositura erat onus. 4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Ierosolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem : et positis genibus in littore, oravimus. 6. Et quum valefecissemus invicem, ascendimus navem : illi autem redierunt in sua.

7. Nos vero navigatione expleta a Tyro descendimus Ptolemaidam : et salutatis fratribus, mansimus die una apud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Caesaream. Et intrantes domum Philippi evangelistae, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. 9. Huic autem erant quatuor filiae virgines prophetantes.

10. Et quum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Iudaea propheta nomine Agabus. 11. Is quum venisset ad nos, tulit zonam Pauli; et alligans sibi pedes et manus, dixit : Haec dicit Spiritus sanctus : Virum, cuius est zona haec, sic alligabunt in Ierusalem Iudaei, et tradent in manus gentium. 12. Quod quum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam. 13. Tunc respondit Paulus et dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu. 14. Et quum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. 15. Post dies autem istos praeparati, ascendebamus in Ierusalem. 16. Venerunt autem et ex discipulis a Caesarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum.

ἤλθομεν εἰς τὴν Κῶ, τῇ δὲ ἑξῆς εἰς τὴν Ῥόδον, κἀκεῖθεν εἰς Πάταρα. 2. καὶ εὑρόντες πλοῖον διαπερῶν εἰς Φοινίκην ἐπιβάντες ἀνήχθημεν. 3. ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, καὶ καταλιπόντες αὐτὴν εὐώνυμον ἐπλέομεν εἰς Συρίαν, καὶ κατήλθομεν εἰς Τύρον. ἐκεῖσε γὰρ τὸν πλοῖον ἦν ἀποφορτιζόμενον τὸν γόμον. 4. ἀνευρόντες δὲ τοὺς μαθητὰς, ἐπεμείναμεν αὐτοῦ ἡμέρας ἑπτά· οἵτινες τῷ Παύλῳ ἔλεγον διὰ τοῦ Πνεύματος, μὴ ἐπιβαίνειν εἰς Ἱεροσόλυμα. 5. ὅτε δὲ ἐγένετο ἐξαρτίσαι ἡμᾶς τὰς ἡμέρας, ἐξελθόντες ἐπορευόμεθα, προπεμπόντων ἡμᾶς πάντων σὺν γυναιξὶ καὶ τέκνοις ἕως ἔξω τῆς πόλεως, καὶ θέντες τὰ γόνατα ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν προσευξάμενοι 6. ἀπησπασάμεθα ἀλλήλους καὶ ἐνέβημεν εἰς τὸ πλοῖον, ἐκεῖνοι δὲ ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια.

7. Ἡμεῖς δὲ τὸν πλοῦν διανύσαντες ἀπὸ Τύρου κατηντήσαμεν εἰς Πτολεμαΐδα, καὶ ἀσπασάμενοι τοὺς ἀδελφοὺς ἐμείναμεν ἡμέραν μίαν παρ' αὐτοῖς. 8. τῇ δὲ ἐπαύριον ἐξελθόντες ἤλθαμεν εἰς Καισάρειαν· καὶ εἰσελθόντες εἰς τὸν οἶκον Φιλίππου τοῦ εὐαγγελιστοῦ ὄντος ἐκ τῶν ἑπτὰ, ἐμείναμεν παρ' αὐτῷ. 9. τούτῳ δε ἦσαν θυγατέρες παρθένοι τέσσαρες προφητεύουσαι.

10. ἐπιμενόντων δὲ ἡμέρας πλείους κατῆλθέν τις ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας προφήτης ὀνόματι Ἄγαβος. 11. καὶ ἐλθὼν πρὸς ἡμᾶς καὶ ἄρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλου, δήσας ἑαυτοῦ τοὺς πόδας, καὶ τὰς χεῖρας, εἶπεν, Τάδε λέγει τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, Τὸν ἄνδρα οὗ ἐστὶν ἡ ζώνη αὕτη, οὕτως δήσουσιν ἐν Ἱερουσαλὴμ οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ παραδώσουσιν εἰς χεῖρας ἐθνῶν. 12. ὡς δὲ ἠκούσαμεν ταῦτα, παρεκαλοῦμεν ἡμεῖς τε καὶ οἱ ἐντόπιοι τοῦ μὴ ἀναβαίνειν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλήμ. 13. τότε ἀπεκρίθη Παῦλος, Τί ποιεῖτε κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν; ἐγὼ γὰρ οὐ μόνον δεθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀποθανεῖν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἑτοίμως ἔχω ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. 14. μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ, ἡσυχάσαμεν εἰπόντες, Τοῦ Κυρίου τὸ θέλημα γινέσθω. 15. Μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας ἐπισκευασάμενοι ἀνεβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα. 16. συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν ἀπὸ Καισαρείας σὺν ἡμῖν, ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ, ἀρχαίῳ μαθητῇ.

In v. 1 D παταρα και μυρα; aliq codd vulg et deinde Myram; gig pataram, deinde myram. In v. 3 gig cum apparuisset autem cyprus. In v. 8 gig altera autem die. In v. 14 D ειποντες προς αλληλους. In v. 15 D μετα δε τινας ημερας αποταξαμενοι; et in v. 16 D αυτοι δε ηγαγον ημας προς ους ξενισθωμεν και παραγενομενοι εις τινα κωμην εγενομεθα παρα Μν. sim ph (mg).

Paulus quoque et socii eius cum magna doloris significatione valedixerunt illis; id enim denotatur voce ἀποσπασθέντας ἀπ' αὐτῶν, *Chr.* δείκνυσι καὶ τὴν βίαν; v. 1 *cum autem factum esset, ut navigaremus* ἀναχθῆναι scil. a terra in altum mare deferri *abstracti ab eis* divulsi ab eorum amplexibus, *recto cursu venimus Coum,* insulam quae nunc Stanchio nomen habet sitaque est contra Halicarnassum principem Cariae urbem, ab hac distans XV m. p., inter Samum et Rhodum aequali utrinque intervallo circiter LXXX m. p. (*Patr.*), *et sequenti die Rhodum,* insulam XX m. p. a continente ex adverso Peraeae regioni Cariam et Lyciam interiacenti positam (*Patr.*) *et inde Pataram;* erat urbs Lyciae primaria celebris a delubro et oraculo Apollinis; additur in altera lectione : et deinde Myram; v. 2 *et cum invenissemus navem transfretantem in Phoenicen, ascendentes navigavimus,* v. 3 *cum apparuissemus autem Cypro* ἀναφανέντες τὴν Κύπρον Cyprum conspicati (cum nobis fecissemus apparere Cyprum; *Buttmann,* Gram. d. neut. Spr. p. 164); altera lectio habet ἀναφάναντες; ἀναφαίνειν est facere ut appareat (*Bl.*), *relinquentes eam ad sinistram,* his docemur Paulum non per fretum patens XXX m. p. inter Ciliciam et Cyprum, sed per altum infra illam insulam Pataris recta Tyrum navigasse, quod iter ita continuatum utique quattuor diebus confici admodum commode potuit (*Patr.*); immo alii putant vento secundo potuisse confici duobus vel tribus diebus (cf. *Felt.*); *navigavimus in Syriam,* quo scil. cursus navis dirigebatur *et venimus Tyrum; ibi enim navis expositura erat onus.*

In Phoenicia evangelium iam erat praedicatum (11,19; 15,3); v. 4 *inventis autem discipulis,* ἀνευρεῖν quaerendo reperire; qua locutione indicari videtur numerum fidelium haud fuisse magnum (cf. v 5, *Felt. Bl.*), *mansimus ibi diebus septem;* fortasse donec navis exposito onere aliisque mercibus susceptis denuo proficisceretur; *qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Ierosolymam;* « non hoc dicit quod per Spiritum adhortatio fieret; sed quod per Spiritum noverant » (*Oec. Theoph.*); didicerant per spiritum propheticum fore ut tribulationes manerent Paulum, si ascenderet Ierusalem; ipsi autem de suo addunt rogantes ne ascenderet; volebant ei parcere (*Chr.*); quare ei suadent ne se periculo certo obiiciat (cf. *Salm. Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Wendt*), et eodem modo

Cassiod.: praescientiae virtute commoniti dicebant Paulo, ne festinaret ascendere; v. 5 *et expletis diebus* ἐξαρτίσαι explicant *Chr. Oec. Theoph.* πληρῶσαι *profecti ibamus deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem et positis genibus in littore oravimus;* urbs inde ab Alexandro magno in paeninsula erat sita (*Bl.*); pius profecto est mos valedicendi fusa de genibus oratione; cf. 20,36; v. 6 *et cum valefecissemus invicem* (προσευξάμενοι) ἀπησπασάμεθα ἀλλήλους comprecati valediximus inter nos et *ascendimus navem; illi autem redierunt in sua;* tota narrandi ratione declaratur et honor amorque Paulo a fidelibus exhibitus et fidelium, qui antea inter se minime noverant, maxima animorum coniunctio familiaritasque.

Navigarunt a Philippis 20,6 usque ad Ptolemaidam v. 7 *nos vero navigatione expleta* διανύσαντες perficientes navigationem, *a Tyro descendimus* κατηντήσαμεν pervenimus *Ptolemaidam*, quae olim nobilis urbs maritima fuit, antea ab Hebraeis Acco (עכו Iud. 1,31) a Graecis Ἀκη vocata (St.-Jean d'Acre); Tyro distat XXXII m. p. (*Patr.*); *et salutatis fratribus mansimus die una apud illos;* Paulus iam non adeo festinat, ut antea (20,16); unde navigatione prospere et celeriter confecta iam pro certo habet se in urbem perventurum ad pentecosten; v. 8 *alia autem die* τῇ δὲ ἐπαύριον die postero, die crastino; gig altera autem die *profecti venimus Caesaream* itinere terrestri circiter XXX m. p. (*Patr.*); parumper aliter *Bl.:* sunt milia passuum XLIV, m. metr. nostr. LXII, iter (etsi magnum) unius diei; *et intrantes domum Philippi evangelistae qui erat unus de septem* (6,5) *mansimus apud eum;* cf. 8,40; evangelistae vocantur qui evangelium, salutem messianam, annuntiant variis in locis neque tamen sunt apostoli neque prophetae (cf. Eph. 4,11. 2 Tim. 4,5 opus fac evangelistae). Clare itaque hic Philippus distinguitur ab apostolo eiusdem nominis — neque tamen confusio quaedam hac distinctione praecaveri poterat (cf. *Euseb.* h. e. 3,31; *M.* 20,281).

Lucas, socius Pauli qui virginitatem laudat ac commendat, profecto ad eandem virginitatis praestantiam efferendam, non omittit advertere v. 9 *huic autem erant quattuor filiae virgines prophetantes;* cf. Luc. 2,36 Anna prophetissa; sicut in vetere testamento mulieribus quoque donum propheticum quandoque concedebatur, ita in novo non penitus ab eo arcebantur, quamvis apostolus mulieres loqui in ecclesia aut docere prohibeat (1 Cor. 14,34. 1 Tim. 2,12). « Post crucem Christi statim in Actis apostolorum una domus Philippi evangelistae quadrigam producit virginum filiarum, ut Caesarea, in qua ex gentibus Ecclesia per centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam vir-

ginum puellarum praeberet exempla » (*Hieronymus*, adv. Iovin. 1,39; *M*. 23, 265). Idem commemorat vidisse Paulam Caesareae domum Cornelii Christi ecclesiam et Philippi aediculas et cubiculum quattuor virginum prophetarum (ep. 108 n. 8; *M*. 22,882). Bene adnotant *Oec. Theoph.* : « manifestum est quod magno studio servabatur virginitas; nisi enim res esset digna magno studio (περισπούδαστον), nequaquam addidisset scriptor rerum quod etiam virgines erant ». *Wendt* utique monet inde minime commendari moniales catholicorum!

Iterum Paulo annuntiatur quid in urbe eventurum sit v. 10 *et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Iudaea propheta, nomine Agabus,* erat Caesarea extra Iudaeam propriam. Estne idem Agabus, de quo 11,28? affirmant *Beel. Felt. Wendt;* sed licet dubitare, quia additur pronomen *quidam,* velut si Lucas nondum de Agabo mentionem ullam fecisset (cf. *Patr.*); v. 11 *is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli et alligans sibi pedes ac manus dixit : haec dicit Spiritus sanctus : virum cuius est zona haec sic alligabunt in Ierusalem Iudaei et tradent in manus gentium;* more antiquorum prophetarum quod praedicit actu symbolico repraesentat (cf. Is. 20, 2-4. Ier. 13,1 seq. 27,2; 28,10. Ez. 4,1; 12,3 etc.). Uti in v. 4, ita hic quoque alii praeter Paulum id solum intelligunt, si ascenderit Paulus ea obventura esse; neque tamen eum iuberi a Spiritu sancto ascendere; unde v. 12 *quod cum audissemus, rogabamus nos,* itineris socii, *et qui loci illius erant* οἱ ἐντόπιοι fideles Caesareenses, *ne ascenderet Ierosolymam;* Paulo autem persuasum erat sibi eundum esse Domino ita disponente; v. 13 *tunc respondit Paulus et dixit : quid facitis flentes* cum admiratione id enuntiatur (cf. Marc. 11,5) et habet maiorem emphasin quam illud : cur fletis; *et affligentes cor meum?* συνθρύπτοντες infringentes, contundentes cor, id quasi molle reddentes mihique robur ac fortitudinem adimentes vestro ploratu. Profitetur apostolus se intime tangi suorum dolore et lacrimis; at non esse affirmat, cur de sua sorte conturbentur et doleant : *ego enim non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu,* ὑπέρ cf. 5,41; 9,16; 15,26 et vide 20,24; ipsi enim mori lucrum est (Phil. 1,21); v. 14 *et cum ei suadere non possemus, quievimus dicentes : Domini voluntas fiat,* senserunt Paulum non pertinacia ductum renuere, sed Dei consilio; ἡσυχάσαμεν tacuimus (uti vulg. 11,18); iam cessabant ei suadere, ne ascenderet, ipsi quoque acquiescentes voluntati Domini.

Dein tendunt in urbem; v. 15 *post dies autem istos* (cf. v. 10 πλείους) *praeparati* ἐπισκευασάμενοι i. e. τὰ πρὸς τὴν ὁδοιπορίαν λαβόντες

Chr.; in altera lectione ἀποταξάμενοι (18,18 cum valedixissemus) *ascendebamus in Ierusalem;* v. 16 *venerunt autem et ex discipulis a Caesarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum,* qui scil. primo iam tempore rei christianae fidem susceperat. Altera lectione narratur, in itinere illo eos venisse in aliquem pagum ibique apud Mnasonem divertisse et exinde in urbem esse profectos. Narratio haec est apta; nam a Caesarea in urbem non est unius diei iter, cum sint m. p. LXVIII, metrorum nostrorum milium circiter CII (*Bl.*); satis mirum esset, quod ille Mnaso a Caesarea adduceretur, ut apud eum in Ierusalem hospitium caperetur, nisi supponas Mnasonem etiam in Ierusalem domum possedisse. Quare alteram lectionem *Bels. Bl. Hilg.* praeferunt.

Uti ex Eusebio discimus, Papias, Polycrates, Clemens alexandrinus, Proclus loquuntur de filiabus Philippi apostoli in urbe Hierapoli (Eus. h. e. 3,31. 39; 5,24; 3,30). Inde *Hilg.* infert, auctorem ad Theophilum perperam inseruisse v. 9 et erronee Philippo diacono adscripsisse, quod traditione asiana ferebatur de Philippo apostolo. Sed excepto Proclo reliqui plane aliter loquuntur de filiabus Philippi apostoli; tres ei filias adscribunt; Clemens vero affirmat apostolum filias in matrimonio collocasse (Eus. h. e. 3,30). Ergo, uti duo sunt nomine Philippo, ita nullo pacto eadem de utroque narrantur. Proinde manere debet quod Lucas v. 9 refert et stare potest quod Papias, Polycrates, Clemens referunt — et illa ars critica plane frivola demonstratur.

Lucas non explicite effert adveneritne Paulus, uti proposuerat, ad pentecosten in urbem. Concludit *Weiss* ex 21,4-7. 10 iam dudum spem illam esse relictam. Sed plerique censent, computum facile ita posse institui, ut suo tempore ad festum advenerit. Iam *Chr.* ita dies enumerat : « post azyma Troadem diebus quinque; deinde ibi dies septem, suntque dies duodecim; deinde in Assum, Mitylenen, contra Chium, in Trogyllium, in Samum, Miletum; dies omnes sunt octodecim; postea in Coum, in Rhodum, Pataram, sunt viginti et una dies; deinde istinc per dies quinque Tyrum, ut sint dies viginti sex; ibi postea septem dies, sunt dies triginta tres, hinc Ptolemaidem una die sunt triginta quattuor; dein Caesareae manet pluribus diebus et tunc demum illos abducit propheta. Sic completur dies pentecostes et ibi illam peragit ». Computum ita exhibet *Felt.* : Philippis proficiscitur die octavo (i. e. post azyma), Troadem per dies 5; ibi per dies 7; a Troade Miletum per dies 5; Mileti per 2-3 dies; a Mileto Pataram per dies 3; inde Tyrum per dies 2-3; Tyri per dies 7; a Tyro Caesaream per dies 3-4; unde cum Caesaream adveniret, a paschate praeterierant dies 43, quare facile in urbem ad pentecosten advenire poterat. Eum omnino suo tempore advenisse *Bels. Bl.* quoque aliique merito affirmant. Et *Bl.* ita habet : dies indicantur a Luca diserte XXXI, quibus acce-

dunt quos Mileti mansit quosque Caesareae, tum quibus Pataris Tyrum navigavit; erant autem ab altera die azymorum usque ad pentecosten L dies; ab ultimo XLIV. Apparet igitur potuisse Paulum... ante pentecosten Hierosolymis esse.

TERTIA PARS 21,17-28,31.

Uti in altera parte vidimus apostolum itinera peragentem et strenue ad evangelii propagationem laborantem, ita in hac tertia nobis exhibetur multa patiens et captivus. Describitur eius captivitas in ipsa urbe facta, eius captivitas Caesareae, iter romanum et captivitas romana.

1. *Captivitas Ierosolymis facta* 21,17-23,35.

a) **Paulus convenit Iacobum et seniores 21,17-25.**

21,17. Et quum venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesque collecti sunt seniores. 19. Quos quum salutasset, narrabat per singula quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. 20. At illi quum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei : Vides, frater, quot millia sunt in Iudaeis qui crediderunt, et omnes aemulatores sunt legis. 21. Audierunt autem de te quia discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Iudaeorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. 22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem : audient enim te supervenisse. 23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus : sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. 24. His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita; et scient omnes quia quae de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. 25. De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, iudicantes ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.

21,17. Γενομένων δὲ ἡμῶν εἰς Ἱεροσόλυμα, ἀσμένως ἀπεδέξαντο ἡμᾶς οἱ ἀδελφοί. 18. τῇ δὲ ἐπιούσῃ εἰσῄει ὁ Παῦλος σὺν ἡμῖν πρὸς Ἰάκωβον, πάντες τε παρεγένοντο οἱ πρεσβύτεροι. 19. καὶ ἀσπασάμενος αὐτοὺς ἐξηγεῖτο καθ' ἓν ἕκαστον ὧν ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐν τοῖς ἔθνεσιν διὰ τῆς διακονίας αὐτοῦ. 20. οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐδόξαζον τὸν Θεόν. εἶπάν τε αὐτῷ, Θεωρεῖς, ἀδελφέ, πόσαι μυριάδες εἰσὶν ἐν τοῖς Ιουδαίοις τῶν πεπιστευκότων· καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσιν. 21. κατηχήθησαν δὲ περὶ σοῦ, ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωυσέως τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν. 22. τί οὖν ἐστίν, πάντως ἀκούσονται ὅτι ἐλήλυθας. 23. τοῦτο οὖν ποίησον ὅ σοι λέγομεν· εἰσὶν ἡμῖν ἄνδρες τέσσαρες εὐχὴν ἔχοντες ἀφ' ἑαυτῶν· 24. τούτους παραλαβὼν ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς, καὶ δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, ἵνα ξυρήσονται τὴν κεφαλήν, καὶ γνώσονται πάντες ὅτι ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ στοιχεῖς καὶ αὐτὸς φυλάσσων τὸν νόμον. 25. περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν ἡμεῖς ἀπεστείλαμεν, κρίναντες φυλάσσεσθαι αὐτοὺς τό τε εἰδωλόθυτον καὶ αἷμα καὶ πνικτὸν καὶ πορνείαν.

In v. 20 D εν τη ιουδαια, sim syr sah Aug; gig om. In v. 22 παντως δει συνελθειν πληθος ℵAEDHLP al pler Chr cat. In v. 25 post εθνων D ουδεν εχουσι λεγειν προς σε,

ημεις γαρ, item sah, gig nichil habent in te dicere, nos enim scripsimus; add μηδεν τοιουτον τηρειν αυτους ει μη CDEHLP al pler ph arm gig Chr Bed (ex gracco).

In hac narratione varias difficultates reperiunt critici. Et primo quidem *Sorof, Clemen, Jüngst, Hilg.* non intelligunt, quomodo fratres *libenter* Paulum suscipiant et tamen efferant gravia dubia contra Pauli apud gentes apostolatum. Verum non est difficile utrumque conciliare. Ipsi enim omnino cum Paulo consentiunt, laetantur de propagatione evangelii; et quia erga eum maxime afficiuntur, loquuntur de periculo quod imminet et suadent quomodo illud eum evitare posse existimant. Profecto qua ratione haec duo inter se excludant aut simul non possint consistere nemo dixerit. Bene enim advertere oportet Iacobum et presbyteros ipsos nullatenus dubia movere contra Pauli agendi modum; proin nihil esse, cur eum non libenter suscipiant v. 17 *et cum venissemus Ierosolymam,* γενομ. εἰς cf. 20,16, *libenter* ἀσμένως cum gaudio *exceperunt nos fratres;* ut contradictionem in textum inferat, contendit *Hilg.* hos fratres non posse distingui ab illa multitudine (v. 22) quae praeiudicata in Paulum opinione sit imbuta; criticus non videtur posse intelligere in magna hominum multitudine inveniri sententias varias. Ceterum planum est, Paulum urbem ingredientem non ab universa multitudine esse susceptum.

Mox inviserunt praepositos ecclesiae v. 18 *sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum* apostolum, fratrem Domini (Gal. 1,19; 2,9), *omnesque collecti sunt seniores;* v. 19 *quos cum salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius;* quid magis pronum erat, quam ut Paulus narraret de profectu evangelii? attamen *Weizs.* verba plana ita pervertit, ut dicat debuisse Paulum coram presbyteris suam ad gentes missionem defendere, sese purgare de suo praedicandi modo; praeterea narrationem laborare « vitio insanabili »; omitti scil. rem praecipuam, quomodo pecunia ab apostolo collecta sit suscepta (p. 354). Mirum critici desiderium! Lucas de ea collecta nihil in antecedentibus narravit; quid dicturi essent critici, si nunc eius faceret mentionem? nam reprehendunt eum v. g. quod Damasci fideles esse supponat, de quibus in antecedentibus nihil sit narratum etc. Ceterum profecto sufficit quod ipse Paulus postea exponit se eleemosynas facturum in gentem suam venisse (24,17). Atque minime opus fuisse, ut Paulus de suis laboribus se excusaret apud illos, tum ex aliis colligi debuit tum ex v. 20 *at illi cum audissent, magnificabant Deum;* cf. 11,18; proin intense laetati, Deum laudabant et glorificabant quod gentibus

quoque salutem det et evangelium inter eas incrementum capiat.

Verum eum quoque certiorem faciunt de falso rumore sparso apud Iudaeos : *dixeruntque ei : vides, frater, quot millia sunt in Iudaeis* inter Iudaeos *qui crediderunt et omnes sunt aemulatores legis* πόσαι μυριάδες minime est proprie accipiendum (*Bl.*); hyperbolice magnus designatur numerus; θεωρεῖς (3,16; 19,26); rem scil. Paulo iam notam esse declaratur, et ipse iam antea expertus erat quanto studio legis tuendae fideles ex Iudaeis tenerentur (cf. 15,1. 5. Gal. 4,9. 10; 6,12). Si isti extra Palaestinam legis observantiam ipsis quoque gentilibus persuadere nitebantur, fideles in Palaestina etiam magis legis observandae esse studiosi iure censendi erant. Iam isti v. 21 *audierunt autem de te quia discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Iudaeorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos neque secundum consuetudinem ingredi,* κατηχήθησαν edocti sunt; tales rumores spargebant adversarii Pauli, Iudaei, quorum odium et persecutiones iam satis expertus erat, et qui eum tamquam contemptorem legis traducebant. Aliquam occasionem capere poterant ex eo quod Paulus observantiam legis fidelibus ex Iudaeis non commendabat et ea docebat ex quibus consequitur illam observantiam impune posse omitti, v. g. salutem unice haberi per Christum; « omnia mihi licent, sed non omnia expediunt — si ego cum gratia participo, quid blasphemor? unusquisque in suo sensu abundet; qui non manducat manducantem non iudicet, Deus enim illum assumpsit » etc. cf. Rom. 14,1 seq. 1 Cor. 10,22. 30. Verum exaggeratione quasi Paulus in id incumberet ut mores patrios plene destrueret, ei invidiam creare conabantur Iudaei asiani.

Proinde ei suadent, ut re et opere, non sermone defensionem paret (*Chr. Oec.*) et ita statim omnem dispellat suspicionem legis contemptae; v. 22 *quid ergo est?* cf. 1 Cor. 14,15. 26; quid in ea rerum conditione faciendum est? nam *utique* πάντως omnino *oportet convenire multitudinem, audient enim te supervenisse;* v. 23 *hoc ergo fac quod tibi dicimus : sunt nobis viri quattuor votum habentes super se;* v. 24 *his assumptis* παραλαβών hos tibi adiungens tamquam socios *sanctifica te cum illis,* religiose abstine, sicut qui fecit votum nasiraeatus (cf. Num. 6,3); nam nasiraeus omnibus diebus separationis suae sanctus erit Domino (Num. 6,8); ἁγνίζεσθαι apud LXX ponitur pro הִזִּיר sese consecrare Domino (6,2. 12), *et impende in illis ut radant capita* i. e. eroga sumptus ad sacrificia illa quae in fine nasiraeatus simul cum tonsione capitis offerenda erant (Num. 6,13 seq.). Modus loquendi in tractatu mischnico est valde similis : עלי לגלח נזיר super me i. e. incumbit mihi tondere nasiraeum; qua locutione scil. quis

hunc sensum exprimit, quod adducet sacrificia quae adducere debet nasiraeus, quando tondetur tempore nasiraeatus completo (uti verba illa Maimonides explicat; cf. tract. נזיר 2,5; *Surenhusius* III p. 152). Quem morem in usu fuisse *Iosephus* quoque testatur narrans de Agrippa : victimas immolavit ita ut nihil a lege praescriptum omiserit, unde et multos nasiraeorum tonderi praecepit (ξυρᾶσθαι διέταξε, Antiq. 19,6,1; cf. Bell. iud. 2,15,1).

Hac ratione igitur palam declarare poterat Paulus venerationem legis : *et scient omnes quia quae de te audierunt falsa sunt* οὐδέν ἐστιν nihil revera est; proin eum nequaquam esse contemptorem legis neque alios ad legis contemptum inducere, *sed ambulas et ipse custodiens legem;* legem semper et ubique a Paulo observari, utique illa actione neque probatur neque id asserere volunt presbyteri; verum contra calumniam sparsam ostendebatur illa actione apostolum servare legem, quotiescumque occasio seu utilitas aliorum id exigebat. Unum itaque quod Paulo cum offensione aemulatorum legis obiiciebatur ut removeret suadebant addentes, uti in altera lectione clarius habetur : quod enim spectat fideles ex gentibus non habent quod dicant contra te; nos enim scripsimus; idem satis indicatur v. 25 *de his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus iudicantes, ut abstineant se ab idolis immolato et sanguine et suffocato et fornicatione;* additur in altera lectione quod ad rem omnino pertinet : iudicantes ut nihil tale observent, nisi ut abstineant etc. cf. 15,20. 29. Proin nullam posse fieri affirmant reprehensionem Pauli eo quod fideles ex gentibus non doceat legis custodiam.

Sed clamant « critici » : nequaquam fieri potuit, ut Paulus tali consilio acquiesceret (*Weizs. Hilg.* qui putat idem esse ac si Lutherus in fine vitae diceretur pecuniam dedisse ad Missas persolvendas). Verum isti minime perpendunt id quod ipse Paulus de se affirmat : et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus ut Iudaeos lucrarer, iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (1 Cor. 9,20. 21); quae verba certe non frustra dicuntur ab eo; iam quid aliud significant, nisi se legem custodire, si qua utilitas pro iis qui sub lege se esse profiteantur inde eluceat? Quare saniores critici concedunt nihil postulari a Paulo quod ipse praestare non posset (cf. *Wendt*). Quod si autem aliqui (*Schürer, Wendt*) v. 25 e textu removere volunt quasi alienum a contextu, vehementer errant; altera lectione clare effertur quam apposite id quoque adiungatur. Id solum negare potest qui, sicut *Weizs.*, neque decretum eiusmodi unquam exstitisse neque si editum esset ullo pacto potuisse a Paulo accipi perfracte asserere audet.

b) Paulus capitur 21,26-40.

21,26. Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudaei, quum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum et iniecerunt ei manus, clamantes : 28. Viri Israelitae, adiuvate : hic est homo qui adversus populum et legem et locum hunc omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. 29. Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem aestimaverunt quoniam in templum introduxisset Paulus.

30. Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum : et statim clausae sunt ianuae. 31. Quaerentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis quia tota confunditur Ierusalem. 32. Qui statim assumptis militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui quum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum.

33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et iussit eum alligari catenis duabus; et interrogabat quis esset, et quid fecisset. 34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et quum non posset certum cognoscere prae tumultu, iussit duci eum in castra. 35. Et quum venisset ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi. 36. Sequebatur enim multitudo populi clamans : Tolle eum.

37. Et quum coepisset induci in castra Paulus, dicit tribuno : Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit : Graece nosti? 38. Nonne tu es Aegyptius qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor milia virorum sica-

21,26. Τότε ὁ Παῦλος παραλαβὼν τοὺς ἄνδρας, τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ σὺν αὐτοῖς ἁγνισθεὶς εἰσῄει εἰς τὸ ἱερὸν, διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. 27. ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, θεασάμενοι αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ, συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, καὶ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, 28. κράζοντες, Ἄνδρες Ἰσραηλεῖται, βοηθεῖτε· οὗτός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ κατὰ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ νόμου καὶ τοῦ τόπου τούτου πάντας πανταχῇ διδάσκων· ἔτι τε καὶ Ἕλληνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ κεκοίνωκεν τὸν ἅγιον τόπον τοῦτον. 29. ἦσαν γὰρ προεωρακότες Τρόφιμον τὸν Ἐφέσιον ἐν τῇ πόλει σὺν αὐτῷ, ὃν ἐνόμιζον ὅτι εἰς τὸ ἱερὸν εἰσήγαγεν ὁ Παῦλος.

30. ἐκινήθη τε ἡ πόλις ὅλη, καὶ ἐγένετο συνδρομὴ τοῦ λαοῦ· καὶ ἐπιλαβόμενοι τοῦ Παύλου, εἷλκον αὐτὸν ἔξω τοῦ ἱεροῦ· καὶ εὐθέως ἐκλείσθησαν αἱ θύραι. 31. ζητούντων τε αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ἀνέβη φάσις τῷ χιλιάρχῳ τῆς σπείρης, ὅτι ὅλη συγχύννεται Ἱερουσαλήμ· 32. ὃς ἐξαυτῆς λαβὼν στρατιώτας καὶ ἑκατοντάρχας, κατέδραμεν ἐπ' αὐτούς. οἱ δὲ ἰδόντες τὸν χιλίαρχον καὶ τοὺς στρατιώτας ἐπαύσαντο τύπτοντες τὸν Παῦλον.

33. τότε ἐγγίσας ὁ χιλίαρχος ἐπελάβετο αὐτοῦ, καὶ ἐκέλευσε δεθῆναι ἁλύσεσι δυσί· καὶ ἐπυνθάνετο τίς εἴη, καὶ τί ἐστιν πεποιηκώς. 34. ἄλλοι δὲ ἄλλο τι ἐπεφώνουν ἐν τῷ ὄχλῳ, μὴ δυναμένου δὲ αὐτοῦ γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς διὰ τὸν θόρυβον, ἐκέλευσεν ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς τὴν παρεμβολήν. 35. ὅτε δὲ ἐγένετο ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν διὰ τὴν βίαν τοῦ ὄχλου. 36. ἠκολούθει γὰρ τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ κράζοντες, Αἶρε αὐτόν.

37. Μέλλων τε εἰσάγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν ὁ Παῦλος λέγει τῷ χιλιάρχῳ, Εἰ ἔξεστίν μοι εἰπεῖν τι πρὸς σέ; ὁ δὲ ἔφη, Ἑλληνιστὶ γινώσκεις; 38. οὐκ ἄρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος ὁ πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀναστατώσας καὶ ἐξαγαγὼν εἰς τὴν ἔρημον τοὺς

riorum? 39. Et dixit ad eum Paulus : Ego homo sum quidem Iudaeus a Tarso Ciliciae, non ignotae civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40. Et quum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua hebraea, dicens.

τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων; 39. εἶπεν δὲ ὁ Παῦλος, Ἐγὼ ἄνθρωπος μέν εἰμι Ἰουδαῖος Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. δέομαι δέ σου, ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι πρὸς τὸν λαόν 40. Ἐπιτρέψαντος δὲ αὐτοῦ, ὁ Παῦλος ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ. πολλῆς δὲ γενομένης σιγῆς, προσεφώνησεν τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ λέγων.

In v. 27 D συντελουμενης δε της εβδομης ημερας; item gig cum repleretur autem dies VII. In v. 31 add in fine ph c* vide igitur ne faciant insurrectionem. In v. 36 D το πληθος κραζον αναιρεισθαι αυτον; gig tolle inimicum nostrum. In v. 39 D εν ταρσω δε της κ. γεγεννημενος.

Acquiescit Paulus prudenti consilio, ut male de se edoctos ab errore revocaret v. 26 *tunc Paulus assumptis viris* παραλαβών, vide ad v. 24, *postera die purificatus* ἁγνισθείς consecratus; vide ad v. 24, *cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis* τοῦ ἁγνισμοῦ consecrationis, *donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio;* annuntiat finem nasiraeatus sacerdotibus, ad quem finem tempore scil. voti elapso iam nihil aliud requirebatur quam oblatio sacrificiorum; qui scil. finis non aderat nisi *donec* offerebantur (προσηνέχθη) pro singulis sacrificia lege praescripta (Num. 6,13 seq.). Alii ita concipiunt illud *donec* referentes ad *intravit* : Paulum intrasse et cum eis mansisse donec singuli victimis Pauli impensis mactatis voto liberarentur (*Patr.*) vel Paulum intra quattuor dies quater cum singulis intrasse in templum ad sacrificia debita offerenda (*Hake*). At tumultum contra eum excitant Iudaei asiani v. 27 *dum autem septem dies consummarentur* ἔμελλον i. e. dum in eo esset, ut...; proin ante diem septimum. Ponitur articulus αἱ ἡμέραι (qui utique in altera lectione deest); quare dies isti noti supponuntur. Sed quales dies? res est incerta. Numerari a die adventus Pauli in urbem (*Bed. Calm. Bl.*), ab 21,15 (*Hilg.*), ab incepto Pauli nasiraeatu (*Lap. Beel. Patr. Hake*), designari tempus per quod pro singulis offerebat sacrificia (*Cai. Weiss;* sim. *Wendt*), indicari annuntiationem illam debuisse fieri sacerdotibus ita ut post septem tandem dies sacrificia fierent (*Felt.*). Ex 24,11 probabilius videtur intelligi dies adventus Pauli in urbem; ad quam sententiam etiam altera lectio consentanea est.

Iudaeos asianos quam maxime esse Paulo infestos, iam colligitur ex 20,19; *hic qui de Asia erant Iudaei, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum et iniecerunt ei manus clamantes,* συνέχεον perturbarunt, confusione repleverunt (cf. 2,6; 19,32) populum et ipsum comprehenderunt; v. 28 *viri Israelitae, adiuvate,* usi-

tata in tali re vox (*Bl.*), *hic est homo qui adversus populum et legem et locum hunc omnes ubique docens,* gig. docet, eum accusant sicut accusatus erat Stephanus 6,13; *insuper et gentiles induxit in templum,* i. e. in atrium Israelitarum; quae accusatio eo gravior erat, quia poena capitis proposita gentibus inscriptione publica interdictum erat ne ultra atrium gentilium procederent. Refert *Iosephus* paribus intervallis dispositas fuisse columnas, de lege sanctitatis monentes, alias graecis, latinis litteris alias; nemini licere alienigenae in locum sanctum intrare (Bell. iud. 5,5,2) et quidem sub poena capitis (Antiq. 15,11,5). Eam inscriptionem reperit *Ch. Clermont-Ganneau* in Ierusalem septem lineis constantem et magnis exaratam litteris hunc in modum : μηθένα ἀλλογενῆ εἰσπορεύεσθαι ἐντὸς τοῦ περὶ τὸ ἱερὸν τρυφάκτου καὶ περιβόλου· ὃς δ' ἂν ληφθῇ ἑαυτῷ αἴτιος ἔσται διὰ τὸ ἐξακολουθεῖν θάνατον (cf. Revue archéologique, XXIII, 1872, p. 220 seq., 290 seq.). Et quale crimen illud sit, exaggerant clamantes : *et violavit* κεκοίνωκεν profanavit, polluit (cf. 10,15. Matth. 15,11. Marc. 7,15 etc.) *sanctum locum istum;* proin ostendit quantopere eum contemnat.

Quanta autem malitia eam confinxerint accusationem, aptam utique ad rabiem popularem excitandam, declaratur v. 29 *viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso* (cf. 20,4), προορᾶν antea videre; gig. previderant; quem Iudaei asiani i. e. Ephesii, ex gentilibus esse norunt, *quem aestimaverunt, quoniam in templum introduxisset Paulus;* hanc itaque falsam conclusionem proponunt ad confirmandam priorem accusationem generalem. Mox e templo rumor de scelere perpetrato et perturbatio spargitur per urbem v. 30 *commotaque est civitas tota et facta est concursio populi; et apprehendentes Paulum trahebant eum extra templum,* ne scil. caede eius (v. 31) sacrum locum macularent, *et statim clausae sunt ianuae* a levitis, ne in isto tumultu periculum esset profanationis templi, vel, ut alii putant, ne Paulus in templum quasi in locum tutiorem confugere posset; videtur enim altare fuisse asyli locus, quod asylum soli homicidae voluntario negabatur (cf. Ex. 21,14. 3 Reg. 2,29-31); v. 31 *quaerentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis quia tota confunditur Ierusalem,* ἀνέβη φάσις ascendit nuntius scil. ad arcem Antoniam templo contiguam, in qua tribunus, Claudius Lysias (23,26), erat; ibi quoque erat cohors romana auxiliaris una, composita ex equitibus 240, peditibus 760, cui praeerat tribunus χιλίαρχος (*Bl.*); de arce Antonia cf. *Iosephus*, Bell. iud. 5,5,8; ex ea totum templum conspici potuit; erat enim illa arx custodia φρούριον urbis; qua parte arx iungebatur templi porticibus, in ambas descensus habebat (καταβάσεις), per quos descendentes vigiles (semper enim in

Antonia erat romana legio) et variis in locis ad porticus stantes cum armis festis diebus populum observabant ne quid novi moverent.

Per Romanos eripitur Paulus furori Iuadaeorum, ne ab iis trucidaretur v. 32 *qui statim assumptis militibus et centurionibus* (gig. et centurione), unde e decem centuriis cohortis plus una tribunus excitaverat (*Bl.*); neque hoc est improbabile, quia ei magna totius urbis perturbatio et insurrectionis periculum (vide alteram lec.) nuntiabatur; *decurrit ad illos* ex arce; *qui cum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum;* v. 33 *tunc accedens tribunus apprehendit eum;* quem auctorem tumultus et seditionis habebat (v. 38) *et iussit eum alligari catenis duabus* cf. 12,6; quod Agabus praedixerat v. 11 iam impletur eo quidem modo, ut Iudaei non ipsi alligaverint, sed effecerint ut alligaretur; ipsi sunt auctores captivitatis eius. Tribunus ex turba quaerit de viro et de causa cur eum male tractarint: *et interrogabat, quis esset et quid fecisset* τίς εἴη (cf. 17,11; 25,20) καὶ τί ἐστιν πεποιηκώς; unde de ipso adhuc incertum se esse indicat, sed certum ipsum facinus quoddam pessimum perpetrasse. Sed ex turba hominum concitata frustra certum et concors exspectatur responsum v. 34 *alii autem aliud clamabant in turba;* cf. 19,32; *et cum non posset certum cognoscere prae tumultu,* μὴ δυναμένου, habes genitivum absolutum, quamvis subiectum principalis sententiae sit idem (cf. Matth. 1,18; *Buttmann* p. 270, *Blass,* Gramm. p. 246), *iussit duci eum in castra,* in stationem militarem in arce; v. 35 *et cum venisset ad gradus,* quibus scil. a templi porticu in arcem ascendebatur (vide ad v. 31), *contigit ut portaretur a militibus propter vim populi;* tantus erat turbae impetus, ut milites ne Paulus a turba sibi eriperetur eum portarent; v. 36 *sequebatur enim multitudo populi clamans : tolle eum* scil. de medio; acclamatio furentium qua mortem eius postulant (cf. Luc. 23,18. Ioan. 19,15).

Paulus pro suo in populum suum amore animos furentium alloquio placare et docere desiderat; unde populum alloquendi veniam sibi fieri exoptat v. 37 *et cum coepisset induci in castra Paulus, dicit tribuno : si licet mihi loqui aliquid ad te?* εἰ in directa quoque interrogatione cf. 1,6; 7,1; 19,2. Ille miratur audiens eum graece loquentem : *qui dixit : graece nosti?* v. 38 *nonne tu es Aegyptius* οὐκ ἄρα non igitur es Aegyptius? ex eo quod graece loquitur, concludit tribunus falso a se esse existimatum Paulum esse Aegyptium, *qui ante hos dies tumultum concitasti et eduxisti in desertum quattuor millia virorum sicariorum?* narrat *Iosephus* quoque Aegyptium pseudoprophetam collegisse περὶ τρισμυρίους, eosque ex solitudine ad montem Olivarum perduxisse; verum Felicem conatum hominis (qui

voluisset dominationem irruptione in urbem facta occupare) praevenisse et facto congressu Aegyptium cum paucis evasisse, plurimos trucidatos vel captos esse, reliquos dispersos (Bell. iud. 2,13,5); Antiq. 20,8,6 idem scribit de ea re, esse trucidatos quadringentos, ducentos vivos captos. Discrimen numerorum iam advertit *Beda :* « non est de hoc numero satellitum inter tribunum qui haec locutus est et Iosephum qui de Aegyptio scripsit habenda controversia; potuit enim fieri ut primo cum paucis adveniens plures sibi postea publica fraude coniunxerit ». Ceterum *Iosephus* sibi non constat in duplici narratione; nam sexcenti, quos dicit in Antiq. trucidatos aut captos, non sunt πλεῖστοι τῶν σὺν αὐτῷ, de quibus in Bell. loquitur i. e. non sunt plurimi ex triginta fere hominum millia. Sicarii vocabantur latrones sicas, gladios breviores, sub veste, ὑπὸ τοῖς κόλποις sub sinubus, gestantes (Bell. iud. 2,17,6 cf. Antiq. 20,8,10), qui clam quem vellent occidebant, etiam interdiu media in urbe praecipue diebus festis plebi immixti inimicos suos percutiebant; cumque concidissent, illi qui caedem fecerant, cum adstantibus indignari se simulabant (Bell. iud. 2,13,3). Qui censebantur amici Romanorum, sicariorum insidiis quam maxime petebantur.

Cum Aegyptius ille fraude sua et mendacio tot homines perdidisset et ipse incolumis evasisset, potuit tribunus facile colligere in redeuntem illum converti furorem plebis[1]; ante hos dies cf. 5,36, ante hoc tempus, pridem (*Bl.*); sub Felice praeside, de quo vide 24,10; v. 39 *et dixit ad eum Paulus : ego homo sum quidem Iudaeus a Tarso Ciliciae,* cf. 11,25; in altera lectione statim habetur quod 22,3 dicitur; insuper in ea bene inter se respondent particulae μὲν-δὲ; illa enim universale aliquod proponit, cui δὲ strictius aliquod subiicit (uti *Klotz*, Devar. I p. 122 notio particularum declaratur), *non ignotae civitatis municeps,* πολίτης civis (gig.); adhibet litoten, qua civitas nobilis ac celebris designetur; amorem patriae adsignificari quandoque monent; *rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum;* iam explicat, cur quaesierit v. 37; « sperabat Paulus populum oratione sua se placare posse; quae spes quamvis irrita fuerit, praeclarum est documentum animi illius viri, qui populi sui summo amore imbutus nunquam de eo desperare potuit. Rom. 9-11 » (*Bl.*) et apposite notat *Lap. :* « vide hic Pauli pectus ardens amore suae gentis, licet erga se ingratissimae sibique inimicissimae, quod in tantis iniuriis adhuc de Iudaeorum salute cogitat, si vel aliquos possit Christo lucrifacere et

1. Vir criticus *Jüngst* quam maxime absonum censet quod tribunus rebellem Aegyptium putabat a plebe percuti; nam rebelles semper habuisse auram popularem. Num etiam si falsis vaticiniis plurimos perdidissent et se salvassent?

salvare; vide quantus in eo fuerit zelus honoris divini ad propagandum nomen et Ecclesiam Christi; nam in mediis vinculis et tumultibus ipsoque agone mortis tacere non potest ».

Tribunus clamante turba nullam certam accusationem perceperat (v. 34), quod de Paulo suspicatus erat, ipse Paulus diluerat; unde eum iam non habebat virum scelestum; quare merito sperare poterat alloquio Pauli posse sedari tumultum; v. 40 *et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem* (cf. 12,17; 13,16) *et magno silentio facto allocutus est lingua hebraea* i. e. quae tum in Iudaea in usu erat τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, specie quadam linguae aramaicae; merito sperare poterat sermone patrio aures animosque magis demulceri eosque facilius placari, cum ipsa lingua hebraea utens honorem deferret Iudaeis.

c) Pauli ad plebem oratio 22,1-21.

22,1. Viri fratres et patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.

2. Quum audissent autem quia hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.

3. Et dicit : Ego sum vir Iudaeus, natus in Tarso Ciliciae, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternae legis, aemulator legis, sicut et vos omnes estis hodie : 4. Qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres, 5. Sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes maiores natu, a quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Ierusalem ut punirentur.

6. Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de coelo circumfulsit me lux copiosa; 7. Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi : Saule, Saule, quid me persequeris? 8. Ego autem respondi : Quis es, Domine? Dixitque ad me : Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. 10. Et dixi : Quid faciam, Do-

22,1. Ἄνδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, ἀκούσατέ μου τῆς πρὸς ὑμᾶς νυνὶ ἀπολογίας.

2. Ἀκούσαντες δὲ ὅτι τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ προσεφώνει αὐτοῖς, μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν.

3. καί φησιν, Ἐγώ εἰμι ἀνὴρ Ἰουδαῖος, γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας, ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ, καθὼς πάντες ὑμεῖς ἐστὲ σήμερον· 4. ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτου, δεσμεύων καὶ παραδιδοὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας, 5. ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι, καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον· παρ' ὧν καὶ ἐπιστολὰς δεξάμενος πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς εἰς Δαμασκὸν ἐπορευόμην, ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας δεδεμένους εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἵνα τιμωρηθῶσιν.

6. ἐγένετο δέ μοι πορευομένῳ καὶ ἐγγίζοντι τῇ Δαμασκῷ περὶ μεσημβρίαν ἐξαίφνης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ περιαστράψαι φῶς ἱκανὸν περὶ ἐμέ· 7. ἔπεσά τε εἰς τὸ ἔδαφος, καὶ ἤκουσα φωνῆς λεγούσης μοι, Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; 8. ἐγὼ δὲ ἀπεκρίθην, Τίς εἶ, Κύριε; εἶπέν τε πρὸς ἐμέ, Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὃν σὺ διώκεις. 9. οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι. 10. εἶπον δὲ, Τί ποιήσω, Κύριε; ὁ δὲ

mine? Dominus autem dixit ad me : Surgens vade Damascum; et ibi tibi dicetur de omnibus quae te oporteat facere.

11. Et quum non viderem prae claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus, veni Damascum. 12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudaeis, 13. Veniens ad me, et adstans, dixit mihi : Saule, frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. 14. At ille dixit : Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem eius, et videres Iustum et audires vocem ex ore eius, 15. Quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quae vidisti et audisti. 16. Et nunc quid moraris? Exsurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.

17. Factum est autem revertenti mihi in Ierusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, 18. Et videre illum dicentem mihi : Festina, et exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. 19. Et ego dixi : Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, et caedens per synagogas eos qui credebant in te; 20. Et, quum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum. 21. Et dixit ad me : Vade; quoniam ego in nationes longe mittam te.

Κύριος εἶπεν πρός με, Ἀναστὰς πορεύου εἰς Δαμασκόν· κἀκεῖ σοι λαληθήσεται περὶ πάντων ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι.

11. ὡς δὲ οὐδὲν ἔβλεπον ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς ἐκείνου, χειραγωγούμενος ὑπὸ τῶν συνόντων μοι ἦλθον εἰς Δαμασκόν. 12. Ἀνανίας δέ τις, ἀνὴρ εὐλαβὴς κατὰ τὸν νόμον, μαρτυρούμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούντων Ἰουδαίων, 13. ἐλθὼν πρὸς ἐμὲ καὶ ἐπιστὰς εἶπέν μοι, Σαοὺλ ἀδελφὲ, ἀνάβλεψον. κἀγὼ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἀνέβλεψα εἰς αὐτόν. 14. ὁ δὲ εἶπεν, Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν προεχειρίσατό σε γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ, καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον, καὶ ἀκοῦσαι φωνὴν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· 15. ὅτι ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὧν ἑώρακας καὶ ἤκουσας. 16. καὶ νῦν τί μέλλεις; ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου, ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

17. ἐγένετο δέ μοι ὑποστρέψαντι εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ προσευχομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ, γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει, 18. καὶ ἰδεῖν αὐτὸν λέγοντά μοι, Σπεῦσον καὶ ἔξελθε ἐν τάχει ἐξ Ἱερουσαλὴμ· διότι οὐ παραδέξονταί σου μαρτυρίαν περὶ ἐμοῦ. 19. κἀγὼ εἶπον, Κύριε, αὐτοὶ ἐπίστανται, ὅτι ἐγὼ ἤμην φυλακίζων καὶ δέρων κατὰ τὰς συναγωγὰς τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ σέ· 20. καὶ ὅτε ἐξεχύννετο τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς καὶ συνευδοκῶν καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρούντων αὐτόν. 21. καὶ εἶπεν πρός με, Πορεύου, ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰν ἀποστελῶ σε.

In v. 1 gig audite verba mee excusationis. In v. 2 προσφωνει DEH al 12 am fu tol Thphyl; D ησυχασαν, gig magnum silentium praestiterunt. In v. 3 gig emulator dei; ph c* traditionum paternarum mearum. In v. 5 nominatur pontifex ανανιας 137. ph c*. In v. 7 add gig durum tibi ad stimulum calcitrare; item ph (mg) demid. In v. 9 add και εμφοβοι εγενοντο DELP al pler cat sah ph aeth Chr Bed ex graeco gig (et timefacti sunt). In v. 16 gig et nunc quid expectas? In v. 19 gig puniens per omnem synagogam.

Animos furentium sedare et docere conatur Paulus ita, ut ad sui defensionem enarret, quis qualisque ipse olim fuerit, quomodo ex atroci persecutore Christianorum factus sit ipse Christianus et doctrinae praedicator et iussus sit a Domino praeco esse gentium. « Quid

huic spectaculo par, videre Paulum duabus catenis vinctum concionantem? quomodo turbatus, quomodo confusus non est tantum populum videns exasperatum » (*Chr.*)? v. 1 *viri fratres et patres*, cf. 7,2; etiam synedristas in tanta hominum turba adesse vel certo scivit vel merito supponit; unde eos *patres* alloquitur; fratres compellat : non alienus sum a vobis nec contra vos (*Chr.*), *audite quam ad vos nunc reddo rationem,* ἀπολογίας, se quasi supplicem sistit (*Chr.*); v. 2 *cum audissent autem quia hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium* ἡσυχίαν maiore tranquillitate facta attendunt ad eum; vide, ut cepit eos patria lingua quam reverentia quadam prosequebantur (*Chr.*)? percommodum illis accidit, ut de rebus religionis suae disserentem ignoto Romanis sermone audirent (*Calm.*). Exspectabant Hellenistam graece locuturum esse; placuit quod Hellenista honorem sermoni patrio deferebat, v. 3 *et dicit : ego sum vir Iudaeus, natus in Tarso Ciliciae, nutritus autem in ista civitate secus pedes Gamaliel,* ita esse iungendum, ipsa sententiae constructione suadetur, quia a participiis novum membrum incipit; et ita iungunt *Chr. Theoph. Felt. Wendt;* « magnum sane ostendit erga religionem studium, quandoquidem tam clara, tam remota civitate relicta hic voluit educari propter legem; vide quomodo iam olim in honore habebat legem. At fortasse dixerit quisquam : nihil ad rem facit quod isthic educatus sit (ἀνετράφη); ne id ergo putaretur addidit *ad pedes Gamaliel,* nec solum dixit : apud Gamaliel, sed *ad pedes :* perseverantiam, assiduitatem, studium audiendi declarans et multam erga virum illum reverentiam » (*Chr.*). De Gamaliel cf. 5,34.

Alii tamen iungunt uti interpunctione in vulg. indicatur, referunt scil. *secus pedes G.* ad sequentia (*Bl. Weiss*); sed cum ἀνατρέφειν notione *educandi* (non nutriendi) accipi debeat, illa altera constructio ob sententiarum concinnitatem praeferenda videtur. Habere autem ἀνατρέφειν notionem educandi, animum formandi certum est (cf. Xen. Mem. 4,3,10. 4 Mach. 10,2; alia vide apud *Wahl,* Clavis); pariter certum est eo sensu hic debere sumi; nam ad id quod Paulus ad sui defensionem dicere vult, nihil confert quod corpus eius nutritum sit in ista urbe, plurimum autem confert quod educatus, animus eius ibi formatus sit apud doctorem legis celeberrimum. Ex qua educatione et animi formatione id speciatim effert quod quam maxime ad rem facit : *eruditus iuxta veritatem* κατὰ ἀκρίβειαν secundum accurationem (diligentiam gig; rigorem *Beel.,* accommodate ad severitatem legis mosaicae *Grimm*) *paternae legis,* legis a maioribus acceptae ac traditae (cf. 2 Mach. 6,1), ad strictam itaque observantiam legis a puero eruditus est et severe exercitatus in eius custodia (cf. Phil. 3,5. 6).

Inde etiam facile consequebatur zelus eius pro lege : *aemulator legis, magno erga illam zelo affectus* (*Chr.*), *sicut et vos omnes estis hodie,* hoc dicit gratiam eorum captans et eorum mentem praeoccupans et detinens in iis in quibus nihil damni erat (*Chr.*). Insuper ostendit ad quamnam causam referat impetum in se factum; se iis minime esse offensum, verum aggressionem illam et percussionem sibi factam referre ad zelum quem habeant pro lege; proin ad laudabilem pro integritate legis aemulationem. Lectio communis est *aemulator Dei,* nam qui zelum legis habet simul putat se pro Deo legislatore rem agere; idque Paulus asserit Rom. 10,2 de Iudaeis: testimonium enim perhibeo illis quod aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam; atque de se ipso profitetur : et ego quidem *existimaveram* me adversus nomen Iesu Nazareni *debere* multa contraria agere 26,9.

Immo ostendit se olim longe maiorem zelum ipsis operibus exhibuisse v. 4 *qui hanc viam* rem fidemque christianam, cf. 9,2; 18,25; 19,9. 23 *persecutus sum usque ad mortem alligans et tradens in custodias viros ac mulieres;* quo studio persecutus sit effert, ut eos scil. quantum in se erat morti traderet, immo ne mulieribus quidem parceret; huius autem zeli testes habet v. 5 *sicut princeps sacerdotum mihi testimonium reddit;* usque ad annum 36 Caiphas erat summus sacerdos; cum a Vitellio privaretur sacerdotio, Ionathan filius Anani et post annum frater eius Theophilus illa dignitate ornati sunt (*Iosephus*, Antiq. 18,4,3; 18,5,3); ille igitur qui tum erat pontifex et ipse superstes mihi testis est, *et omnes maiores natu* πᾶν τὸ πρεσβυτέριον totum synedrium, *a quibus et epistolas accipiens ad fratres Damascum pergebam* ad Iudaeos Damasci degentes; loquitur enim prout tum temporis sentiebat et uti praesenti quoque conditioni aptum est, Iudaeos appellans fratres, *ut adducerem inde vinctos in Ierusalem, ut punirentur;* ostendit itaque per opera se longe maiorem zelum exseruisse; « non moras trahebam, sacerdotes excitabam, peregrinationes suscipiebam; non viros tantum aggrediebar, sicut vos, sed etiam mulieres; indubitatum est testimonium; vide quot testes adducat : seniores, principem sacerdotum, eos qui in civitate » (*Chr.*).

Hactenus illos habuit testes; quae sequuntur, quamvis iis testibus careant, fide digna iam perhibentur ex iis quae modo explicuit; « cur enim, quaeso, sese repente in tantum pro Iesu zelum iniecisset? num, quod honorem exspectaret? atqui contraria passus est; aut quia quietem speraret? neque hoc sane; aut alia de causa? nihil ratiocinio inveniri potest. Haec illis colligenda et inferenda relinquens res ipsas narrat » (*Chr.*) v. 6 *factum est autem eunte me et appropinquante Damasco media die, subito de coelo circumfulsit me lux copiosa;*

cf. 26,13 φῶς ἱκανὸν explicatius describitur; hic et 26,13 additur *media die* ad priorem narrationem 9,3; v. 7 *et decidens in terram audivi vocem dicentem mihi : Saule, Saule, quid me persequeris?* v. 8 *ego autem respondi : quis es, Domine? dixitque ad me : ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris;* sollemni modo confirmat Iesus quod dixit : amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis (Matth. 25,40); v. 9 *et qui mecum erant lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum;* vide ad 9,7; sonum audierunt confusae vocis, non autem discrimen verborum (*Bed. Lap. Calm. Felt.*), quid illa voce diceretur non intellexerunt; v. 10 *et dixi : quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me : surgens vade Damascum et ibi tibi dicetur de omnibus quae te oporteat facere* ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι quae tibi facienda constituta sunt vel destinata. Promptissimum ad obediendum animum Paulus manifestat; quamvis miraculo et apparitione Domini sit ad fidem adductus, tamen ad hominem mittitur, per quem via ordinaria ad ovile Christi ducatur.

Quo certius habeat documentum et argumentum verae apparitionis, caecus effectus est v. 11 *et cum non viderem prae claritate luminis,* non *solo* splendore luminis esse caecitatem effectam, patet; nam comites eius etiam lumen viderunt neque tamen oculis capti sunt; vide ad 9,8. 9; *ad manum deductus a comitibus veni Damascum;* v. 12 *Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudaeis,* ἀνὴρ εὐλαβὴς κατὰ τὸν νόμον vir religiosus (2,5; 8,2 timoratus) secundum normam legis; gig vir metuens secundum legem, bene audiens ab omnibus habitantibus ibi Iudaeis; μαρτυρούμενος cf. 6,3; 10,22; 16,2; quod ab omnibus ibi degentibus Iudaeis bonum habebat testimonium, multum confert ad rem Pauli eiusque defensionem; quare effert et strictam viri observantiam legis et eius apud omnes approbationem et existimationem. Prudenter tamen tacet quod 9,10 habetur eum iam fuisse discipulum; id quod nondum scientes merito censeri possunt animis melius dispositis reliqua audire; v. 13 *veniens ad me et astans dixit mihi : Saule frater respice;* cf. 9,17. 18; iubet eum recipere visum; *et ego eadem hora respexi in eum* i. e. visum recepi, sursum in eum aspexi, ἀνέβλεψα. Tali autem signo patrato iam declaratus est ut a Deo singulari ratione missus et vir fide dignissimus et tamquam talis agnoscendus.

Quare illa approbatione divina praemissa Paulus recitat verba illa gravissima, quibus utique Iudaei edoceri et placari debebant, si sapere vellent v. 14 *at ille dixit : Deus patrum nostrorum praeordinavit*

te ut cognosceres voluntatem eius et videres iustum τὸν δίκαιον Iesum 3,14; 7,52 consulto haec vox poni videtur de Iesu, quem illi tamquam blasphemum et malefactorem condemnarant et qui tamen unus ille eximie iustus prae omnibus erat, quem nemo alicuius peccati arguere poterat et qui praeclarissima a Deo habebat testimonia. Ea proin voce animos Iudaeorum percelli oportebat; *et audires vocem ex ore eius,* v. 15 *quia eris testis illius ad omnes homines eorum quae vidisti et audisti;* uberius multo quam 9,17 quae Ananias dixit hic explicari recte se habet (*Bl.*); v. 16 *et nunc quid moraris?* quid cunctaris? *exsurge et baptizare et ablue peccata tua invocato nomine Iesu,* postquam invocasti nomen Iesu fidem in eum professus, cum adorasti (cf. 2,21; 9,14. 21) et Rom. 10,13 ad Iesum referuntur illa Ioel prophetae de Iahve verba : omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Monent in duobus imperativis advertendum esse eos ita ex Hebraeorum more coniungi, ut posterior significet quid secuturum sit, si fiat id quod per priorem exprimitur; hoc facite et vivetis i. e. si hoc feceritis vivetis. Unde : recipe baptismum quo munderis a peccatis (*Beel. Patr. Felt.*); cf. 2,38.

Uti alias (cf. 20,23), ita hic quoque refertur, quod in priore narratione non commemorabatur; v. 17 *factum est autem revertenti mihi in Ierusalem* (9,26. Gal. 1,18) *et oranti in templo,* en, honorem templi, loci orationis, prorsus agnoscit, *fieri me in stupore mentis,* cecidit super eum exstasis (*Beda*), v. 18 *et videre illum dicentem mihi : festina et exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me;* Paulus autem pro suo in Iudaeos amore opponit Domino, quomodo secundum humanum cogitandi modum ipse quam aptissimus sit ad Iudaeos Christo adducendos v. 19 *et ego dixi : Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem et caedens per synagogas* δέρων 5,40; in synagogis suis flagellabunt vos (Matth. 10,17); poterant enim etiam principes synagogarum eiusmodi poenam contra Iudaeos scelestos decernere (cf. *Schürer* II p. 527) et Saulus videtur potuisse flagellatione punire potestate a synedrio collata (v. 5), v. 20 *et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam et custodiebam vestimenta interficientium illum* (7,57); unde magno studio explicat, se habitum iri apud Iudaeos testem Iesu omni exceptione maiorem, quippe qui fuerit antea acerrimus persecutor fidelium. In qua responsione plane deprehenditur ille animus apostoli quem Rom. 9,1-5; 11,13. 14 pandit. Verum ei a Christo alius campus laboris isque longe maior assignatur v. 21 *et dixit ad me : vade, quoniam ego in nationes longe mittam te;* cf. 9, 15; 26,17. 18. Post eam itaque Domini apparitionem, cum Helleni-

stae iam eum occidere quaererent, relicta urbe secessit Tarsum (9,30; cf. 11,25. Gal. 1,21).

« Potest hanc orationem Lucas ipse audivisse, nam tumultu totius civitatis etiam amicos Pauli excitos esse perquam est probabile »; ita *Bl.* Orationem hanc esse interpolationem « auctoris ad Theophilum », qui 22, 17-21 fontem suum C secutus sit ita tamen, ut sibi ipsi 9,26-30 contradicat, contendit *Hilg.;* argumentum pro interpolatione non affert, nisi argumentum dixeris quod notat fere cuncta iam esse nota quae in oratione exponantur et in fine orationis rem exacte eodem quasi loco consistere 22,22, quo fuerit antea 21,36; turbam scil. clamare : tolle eum. Id critico sufficit, ut 21,37-22,21 ad confictam quandam interpolationem reiiciat. Magnam praeterea difficultatem experitur eo quod Paulus alligatus duabus catenis manu tamen annuere potest (21,33. 40), quam nullo alio modo solvere potest nisi statuendo narratorem in v. 40 iam esse oblitum quod scripserit in v. 33. En, qualem sibi fingit « auctorem ad Theophilum » qui saepius sibi contradicat et intra paucas lineas iam non recordatur quod modo scripserit. Res adeo magnificas « critica ars sublimior » reperit!

d) Quid ex oratione secutum sit 22,22-30.

22,22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam, dicentes : Tolle de terra huiusmodi. Non enim fas est eum vivere. 23. Vociferantibus autem eis, et proiicientibus vestimenta sua, et pulverem iactantibus in aerem, 24. Iussit tribunus induci eum in castra, et flagellis caedi, et torqueri eum; ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. 25. Et quum astrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi centurioni Paulus : Si hominem Romanum, et indemnatum, licet vobis flagellare? 26. Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nuntiavit ei, dicens : Quid acturus es? Hic enim homo civis Romanus est.

27. Accedens autem tribunus, dixit illi : Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit : Etiam. 28. Et respondit tribunus : Ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait : Ego autem et natus sum. 29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia civis Romanus esset, et quia

22,22. Ἤκουον δὲ αὐτοῦ ἄχρι τούτου τοῦ λόγου, καὶ ἐπῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν λέγοντες, Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον· οὐ γὰρ καθῆκεν αὐτὸν ζῆν. 23. κραυγαζόντων τε αὐτῶν, καὶ ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια, καὶ κονιορτὸν βαλλόντων εἰς τὸν ἀέρα, 24. ἐκέλευσεν ὁ χιλίαρχος εἰσάγεσθαι αὐτὸν εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἴπας μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτὸν, ἵνα ἐπιγνῷ δι' ἣν αἰτίαν οὕτως ἐπεφώνουν αὐτῷ. 25. ὡς δὲ προέτειναν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσιν, εἶπεν πρὸς τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον ὁ Παῦλος, Εἰ ἄνθρωπον Ῥωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; 26. ἀκούσας δὲ ὁ ἑκατόνταρχος, προσελθὼν τῷ χιλιάρχῳ ἀπήγγειλε λέγων, Τί μέλλεις ποιεῖν; ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὗτος Ῥωμαῖός ἐστιν.

27. προσελθὼν δὲ ὁ χιλίαρχος εἶπεν αὐτῷ, Λέγε μοι, σὺ Ῥωμαῖος εἶ; ὁ δὲ ἔφη, Ναί. 28. ἀπεκρίθη δὲ ὁ χιλίαρχος, Ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. ὁ δὲ Παῦλος ἔφη, Ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. 29. εὐθέως οὖν ἀπέστησαν ἀπ' αὐτοῦ οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνετάζειν. καὶ ὁ χιλίαρχος δὲ ἐφοβήθη, ἐπιγνοὺς ὅτι Ῥωμαῖός ἐστιν καὶ ὅτι αὐτὸν ἦν δεδεκώς. 30. Τῇ δὲ

alligasset eum. 30. Postera autem die, volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a Iudaeis, solvit eum, et iussit sacerdotes convenire et omne concilium; et producens Paulum, statuit inter illos.

ἐπαύριον βουλόμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς, τὸ τί κατηγορεῖται ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, ἔλυσεν αὐτὸν καὶ ἐκέλευσεν συνελθεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ πᾶν τὸ συνέδριον καὶ καταγαγὼν τὸν Παῦλον ἔστησεν εἰς αὐτούς.

In v. 23 D syr Cassiod gig pulverem in coelum. In v. 24 gig flagellis eum interrogari. In v. 26 D 137 add οτι ρωμαιον εαυτον λεγει, gig quia civem romanum se esse dixit. In v. 28 Beda : alia editio manifestius quid dixerit insinuat : dixit tribunus : tam facile dicis civem romanum esse? ego enim scio quanto pretio civilitatem istam possedi; similiter versio bohemica. In v. 29 add ph c* 137 και παραχρημα ελυσεν αυτον; sim Cassiod.

Quam primum audiunt Paulum asserere se missum esse a Messia ad gentes, eorum furor etiam magis quam antea exardescit. Ea enim assertione censent et plane confirmari crimina Paulo obiecta (21,21) et se prae idololatris contemptui haberi; v. 22 *audiebant autem eum usque ad hoc verbum et levaverunt vocem suam dicentes : tolle de terra huiusmodi; non enim fas est eum vivere;* et in quantum furor eorum ipsa oratione Pauli creverit, qua scil. inter alia Iesum quem illi odio habent declaravit Messiam sibi apparentem, loquentem, declaratur v. 23 *vociferantibus autem eis et proiicientibus vestimenta sua* ῥιπτούντων cum iactarent, vehementer agitarent vestimenta (*Beel. Felt. Wendt, Bl.*) ita *Chr.* quoque : καὶ τὰ ἱμάτια ἐκτινάσσοντες, alii abiecta esse vestimenta volunt ut indicarent sese accingere ad eum lapidandum; verum cum in Romanorum esset potestate, vix de lapidatione iis in mentem venit. Illa iactatio vel si malueris cum aliis proiectio vestimentorum indignationis furorisque argumentum est (*Calm.*) sicut pariter *et pulverum iactantibus in aerem,* quo Paulum obrui ac suffocari debere exprimunt, et generatim rabies impotens vehementioribus gestibus et caeco in res impetu manifestari et exseri solet. Orationem aramaicam tribunus non intellexit. Tumultu plebis videt egregie se esse deceptum, cum speraret fore ut Pauli oratione impetus sedaretur. Unde ipse magis indignatus et Paulum virum existimans facinorosum v. 24 *iussit tribunus induci eum in castra et flagellis caedi et torqueri eum,* una dictione graeca id enuntiatur, uti gig quoque : flagellis interrogari; proin flagellis quaestionem in eum haberi, quem iam sceleris convictum esse putabat; licebat quippe servos et peregrinos tormentis interrogare, *ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.*

Rei christianae fuisset magno detrimento, si Paulus more servorum fuisset flagellatus neque decebat talem quasi satisfactionem conce-

dere plebi rabidae; quare Paulus iure suo utitur; v. 25 *et cum astrinxissent eum loris* προτείνειν explica; cum eum milites protendissent ad excipienda lora i. e. lororum verbera (*Bl.*), cum eum protendissent columnae ad flagellationem (*Beel. Patr. Felt. Weiss, Wendt*). *dicit astanti sibi centurioni Paulus : si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* duo monet quae contra ius facere volunt : sine ulla inquisitione punire, civem romanum flagellare. Interrogatio subironica est, confidentiae plena (*Bl.*); v. 26 *quo audito centurio accessit ad tribunum et nuntiavit ei dicens :* vide (gig, al.) *quid acturus es? hic enim homo civis romanus est;* rem certo explorare tribunus vult; v. 57 *accedens autem tribunus dixit illi : dic mihi, si tu Romanus es? at ille dixit : etiam,* sum (gig, uti D εἰμί); v. 28 *et respondit tribunus,* nexus inter Pauli verba et tribuni responsionem bene indicatur verbis illis quae *Beda* ex altera editione affert et quibus responsio tribuni quae in nostro textu habetur facilius intelligitur : tam facile dicis civem romanum esse? *ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum;* cum enim Paulus breviter affirmasset, dicit : mirum te hominem nihili tantam rem tam parvi facere, quam ego probe sciam quanti mihi constiterit (*Bl.*). Narrat Dio Cassius (60,17) vendidisse civitatem romanam Claudii uxorem libertosque primo magno, postea minimo (cf. *Felt. Bl.*); *et Paulus ait : ego autem et natus sum* civis romanus, id quod etiam pluris aestimandum est; breviter et cum dignitate respondet.

Qua ratione pater Pauli seu maiores civitatem romanam acquisierint ignoratur. Tribunus affirmanti Paulo fidem adhibet. Si quis falso sibi attribueret hanc civitatem, poena mortis plectendus erat; scribit *Suetonius :* Claudius civitatem romanam usurpantes in campo esquilino securi percussit (Claudius 25); v. 29 *protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant; tribunus quoque timuit postquam rescivit quia civis romanus esset et quia alligasset eum,* et bene additur (vide lect. var.) et statim solvit eum; id quod etiam apud *Cassiod.* servatum est : « quo dicto perterritus solvit eum et imminentia tormenta suspendit ». Nam facinus est vincire civem romanum (Cicero, Verr. 2,5,170); vide ad 16,37. Mansit tamen Paulus in custodia militari ad militem catena alligatus; unde δέσμιος vocatur (23,18; 24,27; 26,29. *Bels.*); cf. 28,16; v. 30 *postera autem die volens scire diligentius* τὸ ἀσφαλές, 21,34 certum cognoscere, *qua ex causa accusaretur a Iudaeis, solvit eum* a militari quoque custodia, ita ut non alicui militi alligatus coram synedrio sisteretur, *et iussit sacerdotes convenire* τοὺς ἀρχιερεῖς *et omne concilium* τὸ συνέδριον *et producens Paulum statuit inter illos* καταγαγών scil. ex castris, ex arce deductus est in locum in

quem synedristae convenire solebant. — Statuitur altera lectio omisso ἔλυσεν : πέμψας ἐκέλευσεν (*Bl.*).

Obiicitur esse plane improbabile quod v. 24 narretur. Tribunum enim qui iam sciverit Paulum non esse Aegyptium illum rebellem, sed Tarsensem Iudaeum et qui permiserit Paulo loqui ad populum, non potuisse nunc praecipere ut quaestio in eum flagellis haberetur quasi in hominem reum (*Hilg.*). Responsum est supra ad v. 24. Tribuno maximopere curae esse debuit ne insurrectio fieret. Sperans itaque tumultum allocutione Pauli sedari posse concessit Paulo loqui. Verum multo maior exsurgit plebis rabies; quare quid facilius intellectu quam tribunum iam magis irasci in Paulum, a quo se deceptum esse existimat? Insuper satis superque notum est Romanos non nimia reverentia uti solitos esse in Iudaeos quos despiciebant variis ex causis et quos genus hominum esse turbulentum, contumax, moribus addictum peregrinis experti erant; unde multum sibi sumit « criticus » dum a priore statuit quanta humanitate debuerit magistratus romanus uti in Iudaeum quem ab ipsis Iudaeis utpote hominem pestiferum capitis reum audiat proclamari! Porro « critici » (*Spitta, Clemen, Jüngst, Hilg.*) etiam « ex rationibus internis » viderunt, non posse esse verum quod in v. 30 referatur. Et haec « ratio interna » est, quia tribunus civem romanum non potuerit periculo vitae obiicere; huic autem periculo eum manifestissime obiecisset, si eum ad synedrium adduxisset. Sed pace virorum doctorum dicamus : si periculum aderat, tribunus id novit, praecavit; neque tribunus *solus* cum Paulo descendit, neque supponi potest fore ut synedristae praesente tribuno Paulum interficere conarentur. Multis sollicitudinibus plane inutilibus critici ingenia sua torquent!

e) Paulus coram synedrio 23,1-10.

23,1. Intendens autem in concilium Paulus, ait; Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. 2. Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit adstantibus sibi percutere os eius. 3. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti? 4. Et qui adstabant dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis? 5. Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices.

6. Sciens autem Paulus quia una pars esset sadducaeorum et altera pharisaeorum, exclamavit in concilio : Viri fra-

23,1. Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ εἶπεν, Ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας. 2. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας ἐπέταξεν τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα. 3. τότε ὁ Παῦλος πρὸς αὐτὸν εἶπε, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεός, τοῖχε κεκονιαμένε· καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι; 4. οἱ δὲ παρεστῶτες εἶπαν, Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; 5. ἔφη τε ὁ Παῦλος, Οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοί, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς· γέγραπται γάρ, Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς.

6. Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστὶν Σαδδουκαίων, τὸ δὲ ἕτερον Φαρισαίων ἔκραζεν ἐν τῷ συνεδρίῳ, Ἄνδρες ἀδελφοί,

tres, ego pharisaeus sum, filius pharisaeorum; de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor. 7. Et quum haec dixisset, facta est dissensio inter pharisaeos et sadducaeos, et soluta est multitudo. 8. Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum; pharisaei autem utraque confitentur. 9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam pharisaeorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si Spiritus locutus est ei aut Angelus? 10. Et quum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίων· περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν κρίνομαι. 7. Τοῦτο δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος, ἐπέπεσεν στάσις τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων. καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. 8. Σαδδουκαῖοι γὰρ λέγουσιν μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μήτε ἄγγελον μήτε πνεῦμα· Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσιν τὰ ἀμφότερα. 9. ἐγένετο δὲ κραυγὴ μεγάλη· καὶ ἀναστάντες τινὲς τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων διεμάχοντο λέγοντες, Οὐδὲν κακὸν εὑρίσκομεν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ· εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος; 10. πολλῆς δὲ γινομένης στάσεως φοβηθεὶς ὁ χιλίαρχος μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν, ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβὰν ἁρπάσαι αὐτὸν ἐκ μέσου αὐτῶν, ἄγειν εἰς τὴν παρεμβολήν.

In v. 3 gig percutere te incipiet. In v. 4 Cypr sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo. In v. 6 υιος φαρισαιου EHLP al pler ph sah cop arm aeth Chr. φαρισαιων ℵABC cat syr Tert. In v. 9 τινες των γραμματεων ℵBC mu minusc gig cat sah arm ph Chr; om AE cop vulg.

Narrationem esse a fide rei gestae alienam inde concludere volunt quod tribunus non quaerit a synedristis, de qua re Paulum accusent, sed quod statim Paulum loquentem audimus (cf. *Hilg.*). Verum Lucas iam retulit 22,30 cur tribunus synedrium convocasset. Inde satis indicat etiam tribunum significasse synedristis, cur tandem ad eos descenderet cum Paulo; nam tribunum adstitisse mutum nec dicere quid vellet a synedristis, nemo sibi finget; neque post 22,30 necesse erat explicite efferre, quid tribunus vellet audire ab illis. Postquam autem tribunus rem significavit, omnino e re erat, ut Paulus qui iam optime noverat quorumnam accusaretur sui inciperet defensionem. Unde narratio nihil continet quod improbabile sit; v. 1 *intendens autem in concilium Paulus* ἀτενίσας cf. 1,10; 3,12, *ait : viri fratres*, merito synedristas coram tribuno non agnoscit tamquam iudices suos aut sibi superiores, sed eos ut aequales alloquitur; nam si eorum auctoritatem et in se potestatem professus esset, eorum accusationibus magnum addidisset pondus coram tribuno. Et iure eos fratres solum sibi esse fatetur. Nam iis profecto nulla inerat auctoritas iudicandi de munere et officio apostoli; *ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem*; cf. 24,14, Phil. 3,6 secundum iustitiam quae in lege est conversatus sine querela; immo etiam id suo modo valet de sua in Ecclesiam persecutione; nam ignorans

feci (1 Tim. 1,13); praeprimis autem id asserit ratione habita synedristarum de sua vita postquam synagogae et Iudaismo valedixit; hanc enim partem vitae eius culpabant adversarii (*Beel.*).

Summus sacerdos, iam antea in Paulum infensus, facillime offendi poterat, quod Paulus in exordio sermonis non satis dignitatem ipsius observasset vel quod compellatione fratrum nimis familiariter reus ad iudices locutus esset vel quod dixisset se in omnibus recte coram Deo vitam instituisse, qua affirmatione agendi modum Iudaeorum condemnavit (cf. *Calm. Felt.*). Herodes, Agrippae defuncti frater, cui commissus erat Chalcidis principatus, impetraverat a Claudio praeter alia ius creandi summos sacerdotes; summovit a sacerdotio Cantheran et in eius locum substituit Iosephum Cami filium (*Iosephus,* Antiq. 20,1,3); ei sacerdotium iterum abstulit idque contulit Ananiae Nebedaei filio (l. c. 20,5,2; cf. 20,6,2. Bell. iud. 2,12,6). Vir is erat avarus et ferox; missis suis servis decimas sacerdotibus vi auferendas curabat, qui dare recusabant, vapulabant (Antiq. 20,9,2). Gessit pontificatum circa 47-59 (*Schürer* II p. 170); v. 2 *princeps autem sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os eius;* praecepit ministris; percusserintne non liquet; aderat tribunus qui id arceret (*Bl.*). Neque Paulus tale mandatum dari ferre poterat silentio; alias enim contemptibilis evasisset tribuno, si se quasi servum alapa percuti tacite permisisset, uti bene notat *Chr.*: alioquin nolebat tribuno εὐκαταφρόνητος φανῆναι (sim. *Oec.*). Nam persona quam gerebat, causa quam defendebat, non patiebantur ut honorem suum negligeret et inique secum agi permitteret, quin saltem adversariis suis iniquitatem ipsorum ostenderet (*Calm.*).

Iam veteres aliqui, uti *Sanchez* (cf. *Lap.*), *Menochius, Tirinus* et recentiores, uti *Felt. Bels. Bl.*, recte concludunt ex v. 3 et 5, Paulum audisse quidem tale praeceptum dari neque tamen in illo consessu potuisse distinguere a quo datum esset ex synedristis; v. 3 *tunc Paulus dixit ad eum,* utique ad Ananiam qui scil. iusserat; at iubentem esse Ananiam ignoravit Paulus; unde *ad eum* ex mente scriptoris additur, non ex scientia Pauli *percutiet te Deus,* μέλλει, non est imprecatio, sed comminatio divinae punitionis propter iniuriam et iniustitiam, quam a Deo non relinqui impunitam Paulus sibi conscius est; unde ea vox etiam prophetica dicitur (cf. *Cai. Salm. Calm. Felt. Bels. Wendt*) et bene iam *Beda* adnotat : « non dixit *percutiat,* sed *percutiet,* indicativo utique modo hoc ipsum futurum significans, non optativo maledicens », id quod etiam magis valet de textu graeco μέλλει i. e. certo te percutiet; *paries dealbate* cf. Matth. 23,27; ita iudicem illum vocat, quod splendida specie praeditus esset utpote

legis vindex et lege iudicans, sed mens eius iniquitate esset repleta (*Theoph.*); « pulchra est species, intus vulgares lateres » (*Bl.*); aliis placet alludi ad Ez. 13,10, eiusmodi parietem scil. esse casurum. Rei indignitatem effert confirmans quae dixit : *et tu sedens iudicas me secundum legem et contra legem iubes me percuti!* καὶ σὺ *etiam tu* (inter ceteros); errat Paulus (v. 5) putans aliquem ex assessoribus illa locutum esse (*Bl.*).

Ab aliis audit Paulus pontificem dedisse mandatum; v. 4 *et qui astabant dixerunt : summum sacerdotem Dei maledicis?* id est : sic (talia loquendo) maledicis; v. 5 *dixit autem Paulus : nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum* ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς scil. is qui ita locutus est; potest ἀρχιερεύς carere articulo quia ex mente loquentis suppletione hac tacite facta praedicatum est. Apostolum loqui sincere et velle verbum durum excusare et adstantium indignationem emollire ostenditur compellatione *fratres* et eo quod statim addit : *scriptum est enim : principem populi tui non maledices;* cf. Ex. 22,28; i. e. si scissem pontificem ea locutum esse, non dixissem neque verbum illud mali ominis neque iudicium illud de malo eius agendi modo protulissem; nam Scriptura vetat κακῶς loqui de eo qui est ἄρχων τοῦ λαοῦ, qui in auctoritate constitutus est (cf. *Bels.*). Hoc autem textu allegato excluditur opinio eorum qui volunt Paulum ironice locutum esse : nesciebam virum qui ita contra legem agat esse pontificem (ita τινὲς apud *Chr. Salm. Lorinus, Weiss*); nam tum revera scivisset eum esse pontificem et dicere voluisset solum : talem ego non agnosco modum agendi dignum pontifice; sed ad hanc sententiam inepte adiungeretur textus ille. Alii plerumque censent Paulum revera nescisse Ananiam esse pontificem (cf. *Chr. Oec. Theoph. Cai. Lap. Calm.*) vel existimasse pontificatus sedem eo tempore vacare (*Beel.*). At utrumque plane est improbabile, cum Paulus iam ex aliquot diebus esset in urbe et cum ordinem consessus synedrii cognitum haberet. — Ceterum quod Paulus dixit : *percutiet te,* impletum est; nam Ananias mense septembri anno 66 « in regiae domus aquae ductu latitans captus est et a latronibus (i. e. a sicariis) cum fratre Ezechia interfectus » die septimo mensis Gorpiaei (Elul, septembris; cf. *Iosephus,* Bell. iud. 2,17,9).

Pontifex erat sadducaeus; sadducaeorum τὸ ἦθος dicit *Iosephus* esse ἀγριώτερον (Bell. iud. 2,8,14). Facile fieri poterat, ut pharisaei inter synedristas inhumanitate pontificis offenderentur, praesertim quia illa Pauli reprehensione iustissima exposita esset coram tribuno, qui merito censeri poterat despicere summum magistratum Iudaeorum adeo ferociter agentem et aestu irae abreptum contra eum qui sui defensionem

inciperet. Sciebat Paulus quid pharisaei sentirent contra sadducaeos; fortasse sciebat quoque aliquos e pharisaeis synedristis sibi aliquatenus favere. « Sicut unitas bonorum semper est utilis, sic malorum unitas semper est bonis noxia; unde nunc apostolus persecutores suos dissociare satagit, ut quem uniti cinxerant divisi laxarent » (*Beda*); v. 6 *sciens autem Paulus, quia una pars esset sadducaeorum* (cf. 5,17) *et altera pharisaeorum exclamavit in concilio : viri fratres, ego pharisaeus sum, filius pharisaeorum,* non solum pater meus, sed alii quoque maiores pharisaei erant, *de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor;* proin causam suam esse intime iunctam et sociatam cum dogmatis pharisaeorum; Phil. 3,5 secundum legem pharisaeus; quare merito notat *Bl.* : nugas agunt qui hoc εἰμί (pharisaeus sum) offenduntur. Quod dicitur *de spe et...* explicari potest καὶ quod dicunt epexegeticum seu explicativum : de spe et quidem de resurrectione, ita ut quae sit spes accuratius determinetur (cf. 24,15) vel ita ut notioni generali de spe quam pharisaei habent scil. instaurationis messianae addatur particulare alterum de resurrectione (cf. 26,6); de spe resurrectionis praebent versiones syr. et philox. Cum apostolus per apparitionem Iesu qui ex mortuis resurrexit se dixisset vocatum ad praedicandum gentibus evangelium, vere dicere potuit quod dixit. Cardo enim quaestionis quam Iudaei discutere debebant, erat : resurrexitne Iesus. Hac quaestione affirmata causa Pauli erat iustissima.

Ea itaque in rerum conditione Paulus valde prudenter, ut ipsos synedristas inter se committeret, quaestionem eo modo definivit v. 7 *et cum haec dixisset, facta est dissensio inter pharisaeos et sadducaeos et soluta est multitudo* ἐσχίσθη divisa est multitudo synedrii cf. 14,4; schisma factum est inter assessores v. 8 *sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem neque angelum neque spiritum; pharisaei autem utraque confitentur;* « atqui tria sunt; cur ergo dicit ἀμφότερα? vel quod spiritus et angelus unum sunt, vel quia dictio illa non solum de duobus, sed etiam de tribus accipitur » (*Chr. Oec.*); utraque i. e. resurrectionem et substantias spirituales confitentur. Sadducaei negant animas permanere, docent eas simul cum corpore συναφανίζειν interire (Bell. iud. 2,8,14. Antiq. 18,1,4; cf. 13,5,9; 13,6,10); ceterum vide ad Matth. 22,23. Iam describitur illa στάσις et illud καὶ ἐσχίσθη v. 9 *factus est autem clamor magnus et surgentes quidam pharisaeorum,* quidam de scribis partis pharisaeorum (gig) *pugnabant dicentes : nihil mali invenimus in homine isto; quid si spiritus locutus est ei aut angelus?* sine apodosi, quae reticentia reddit orationem multo vivaciorem (*Patr.*); interrogant scil. sadducaeos : num id impossibile est, contendentes contra eos id plane fieri posse et

esse omnino probabile factum esse. Minime mirum est fuisse in synedrio qui sive aequitate ducti sive partium societate studioque Pauli causam tuerentur (*Bl.*); aderant qui Paulum de visionibus sibi factis referentem audierant (22,6 seq. 18).

Incalescebat contentio et dissensio eo magis quia inter se odio habebant v. 10 *et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis*, ne, si pugna ingravescente sadducaei manus Paulo iniicerent et pharisaei de illorum manibus eum vi abstrahere niterentur, ipse discerperetur, *iussit milites descendere* per militem aliquem ex vicinis castris maiorem numerum arcessivit (*Bl.*) τὸ στράτευμα satellitium (*Beel.*), manus militum cf. Luc. 23,11 et infra v. 27 *et rapere eum de medio eorum ac deducere eum in castra.* Id tribunus certo cognovit nihil proferri contra Paulum criminis, verum agi solum de quaestionibus ad Iudaeorum superstitionem pertinentibus (cf. 23,29).

f) Iudaeorum coniuratio tribuno indicatur 23,11-22.

23,11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari. 12. Facta autem die, collegerunt se quidam ex Iudaeis, et devoverunt se, dicentes neque manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant. 14. Qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, et dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cogituri de eo. Nos vero priusquam appropiet, parati sumus interficere illum.

16. Quod quum audisset filius sororis Pauli insidias, venit et intravit in castra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi. 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, et ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perdu-

23,11. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος εἶπεν, Θάρσει, ὡς γὰρ διεμαρτύρω τὰ περὶ ἐμοῦ εἰς Ἰερουσαλήμ, οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι. 12. γενομένης τε ἡμέρας, ποιήσαντες συστροφὴν οἱ Ἰουδαῖοι ἀνεθεμάτισαν ἑαυτούς, λέγοντες μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀποκτείνωσιν τὸν Παῦλον· 13. ἦσαν δὲ πλείους τεσσεράκοντα οἱ ταύτην τὴν συνωμοσίαν ποιησάμενοι· 14. οἵτινες προσελθόντες τοῖς ἀρχιερεῦσιν καὶ τοῖς πρεσβυτέροις εἶπαν, Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτούς, μηδενὸς γεύσασθαι ἕως οὗ ἀποκτείνωμεν τὸν Παῦλον. 15. νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ σὺν τῷ συνεδρίῳ, ὅπως καταγάγῃ αὐτὸν εἰς ὑμᾶς, ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ· ἡμεῖς δὲ πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτόν.

16. ἀκούσας δὲ ὁ υἱὸς τῆς ἀδελφῆς Παύλου τὴν ἐνέδραν, παραγενόμενος καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν παρεμβολὴν ἀπήγγειλεν τῷ Παύλῳ. 17. προσκαλεσάμενος δὲ ὁ Παῦλος ἕνα τῶν ἑκατονταρχῶν, ἔφη, Τὸν νεανίαν τοῦτον ἄπαγε πρὸς τὸν χιλίαρχον· ἔχει γὰρ ἀπαγγεῖλαί τι αὐτῷ. 18. ὁ μὲν οὖν παραλαβὼν αὐτὸν ἤγαγεν πρὸς τὸν χιλίαρχον, καί φησιν, Ὁ δέσμιος Παῦλος

cere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum : Quid est quod habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit : Iudaeis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo; 21. Tu vero ne credideris illis; insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum; et nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, praecipiens ne cui loqueretur quoniam haec nota sibi fecisset.

προσκαλεσάμενός με ἠρώτησεν τοῦτον τὸν νεανίαν ἀγαγεῖν πρὸς σὲ, ἔχοντά τι λαλῆσαί σοι. 19. ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, καὶ ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, ἐπυνθάνετο, Τί ἐστιν ὃ ἔχεις ἀπαγγεῖλαί μοι; 20. εἶπεν δὲ, ὅτι οἱ Ἰουδαῖοι συνέθεντο τοῦ ἐρωτῆσαί σε, ὅπως αὔριον τὸν Παῦλον καταγάγῃς εἰς τὸ συνέδριον ὡς μέλλων τι ἀκριβέστερον πυνθάνεσθαι περὶ αὐτοῦ. 21. σὺ οὖν μὴ πεισθῇς αὐτοῖς· ἐνεδρεύουσιν γὰρ αὐτὸν ἐξ αὐτῶν ἄνδρες πλείους τεσσεράκοντα, οἵτινες ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀνέλωσιν αὐτόν· καὶ νῦν εἰσὶν ἕτοιμοι προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν. 22. ὁ μὲν οὖν χιλίαρχος ἀπέλυσε τὸν νεανίαν, παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρὸς ἐμέ.

In v. 12 τινες των ιουδαιων HP al pl sah syr gig vulg; alii οι ιουδαιοι. In v. 14 gig ad principem sacerdotum, item ph. In v. 15 ph (mg) sah fl : nunc igitur rogamus vos ut hoc nobis faciatis, ut cum congregaveritis consessum indicetis tribuno ut producat eum ad nos; Lcif gig nunc ergo vos colligite concilium et notum facite tribuno ut deducat eum ad vos; add in fine 137. εαν δεη και αποθανειν item ph (mg) fl licet oporteat (et) nos mori. In v. 20 ως μελλων ℵABE aliq minusc cop aeth. In v. 22 gig quia haec nota fecisti mihi.

Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit (Ps. 33,19; *Salm.*) v. 11 *sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait : constans esto* θάρσει bono esto animo; *sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari* τὰ περὶ ἐμοῦ res meas, causam meam tuo confirmasti testimonio; εἰς potest explicari quia testimonium quasi infertur in urbem, dirigitur ad incolas; ἐπιστάς, uti 12,7, designat apparitionem subito factam. Quod 19,21 sibi proposuerat Paulus, partim factum est; alterum quoque divinitus nunc approbatur, Paulum visurum esse Romam; at quando et qua in conditione, ipsum adhuc latet; « vide quanta consolatio et exhortatio παράκλησις; primo laudat eum; dein non sinit eum occultam sibi adhuc romanam profectionem formidare, ac si diceret : non modo illuc ibis, sed etiam tanta uteris loquendi fiducia » (*Chr.*)[1].

Ad quantum odii et iniquitatis culmen progressi sint adversarii Iesu et Pauli manifestatur v. 12 *facta autem die collegerunt se qui-*

1. Iocos et nugas dare legentibus *Hilg.* videtur, cum graviter asserat narrationem antecedentem hac ipsa visione demonstrari falsam. Cur enim, quaerit, haec visio fieret in *secunda* nocte captivitatis? « pertineat ea ad *primam* noctem; etiam nobis somnia primae noctis in nova habitatione seu conditione habita reputantur esse alicuius ominis (bedeutsam »). En, critica ars sublimior iam promit arma ex vulgari quadam superstitione.

dam ex Iudaeis ποιήσαντες συστροφήν facta coitione, conspiratione *et devoverunt se dicentes neque manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum;* diras sibi imprecati sunt poenas et exitium, interposita iurisiurandi religione, si quid gustarent, antequam Paulum interficerent; ἀναθεματίζειν ἑαυτόν se interitui devovere. Proin firmissime id statuerunt facta suimet ipsorum exsecratione; v. 13 *erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant;* inter eos etiam fuisse numero haud exiguo Iudaeos asianos, ephesios, satis ex 21,27 colligi poterit. Simul statuunt modum quo rem confici posse sperant v. 14 *qui accesserunt ad principes sacerdotum* (principem, gig. ph) *et seniores et dixerunt : devotione devovimus nos,* strictissime, diris imprecationibus nos obligavimus, *nihil gustaturos donec occidamus Paulum;* v. 15 *nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo;* vos simul cum ceteris synedrii assessoribus indicate tribuno; volunt itaque, ut nomine totius synedrii postuletur a tribuno, ut iterum Paulum deducat, *nos vero priusquam appropiet parati sumus interficere illum;* apte in altera lectione : etiamsi oporteat nos quoque mori. Nam militibus qui Paulum deducerent erat resistendum; sed facile posse viros quadraginta paucis illis militibus superatis rem ad exitum perducere sperabant.

Hac quoque narratione antecedentem declarari falsam *Hilg.* contendit. Nunc enim adductionem Pauli ad synedrium describi tamquam futuram, nullatenus tamquam factam iam antea; qui conspirant, nullo modo rationem habere iudicii de Paulo mitioris quod in synedrio datum sit; tribunum, qui iam expertus sit Paulum in periculo versari, non potuisse rogari, ut iterum eum sisteret synedrio; synedristas nunc praetendere se velle certius quid de Paulo cognoscere; ne verbulo quidem indicari id non potuisse effici die praecedente; si id praecessisset quod 23,10 narratur, nimis stultam fore astutiam coniuratorum; neque vafritiem iudaicam esse adeo imprudentem (cf. 25,3).

Hisce profecto prior narratio non evertitur. Eo quod aliqui synedristae partes Pauli tuebantur, furor adversariorum eo magis accendebatur; unde coniurationem faciunt. Modum seligunt secundum id quod priore conventu re infecta dissoluto proxime adiacebat, scil. sciunt tribunum quoque velle diligentius scire, qua de causa accusaretur Paulus (22,30). Unde sane non est absurdum, ut ei proponant alterum conventum. Quod in brevi narratione Lucas non adnotet rationem illam ad persuadendum tribuno, heri scil. rem et propositum non potuisse attingi, nemo sanae mentis contra fidem prioris narrationis proferre potest. Ceterum adverti debet, homines pessimis animi perturbationibus abreptos minime semper capere consilia sapientissima; verum solere esse magis obcaecatos et id unum appetere,

ut quacumque demum ratione sibi aliquam pandant viam ad propositum assequendum. Proin, etsi postulatio eorum tribuno facienda esset stulta, nondum sequeretur propterea priorem narrationem esse falsam. E contra, a priore narratione optime explicatur, quomodo tale capiant consilium et talem excogitent modum interimendi Paulum.

Ecce, oculi Domini super metuentes eum (Ps. 32,18. Eccli. 15,20; 34,19); v. 16 *quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit et intravit in castra nuntiavitque Paulo;* quomodo is coniurationem senserit ignoratur; sed mirari iuvat providentiae ordinem quae ex imminenti discrimine Paulum eripuit. Cum eousque nihil criminis contra Paulum esset prolatum, non erat, cur liber accessus suis negaretur (cf. 24,23); v. 17 *vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus ait : adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi;* probe enim scivit tribunum nullatenus posse permittere, ut civis romanus in custodia romana positus a Iudaeis interimatur; v. 18 *et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum et ait : vinctus Paulus,* δέσμιος i. e. in custodia militari positus, ad militem custodientem catena vinctus (*Felt. Bl.*) *rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi;* notat *Calm.* : humana auxilia quae Dei bonitas sibi in manus praebebat Paulus non negligit; eius in Deum fiducia expers erat arrogantiae, ac sapientiae et prudentiae habebat plurimum; negligere enim naturales et humanas opes, cum praesto occurrunt, perinde est ac Deum tentare.

Tribunus familiariter iuvenem suscipit; iam ei reverentiam Paulus inspiraverat, unde nuntium a Paulo missum amice tractat v. 19 *apprehendens autem tribunus manum illius* in amicitiae et clementiae significationem, ut libere et audacter loquatur, *secessit cum eo seorsum,* ut res maneret secreta. *et interrogavit illum : quid est quod habes indicare mihi?* v. 20 *ille autem dixit : Iudaeis convenit rogare te ut crastina die producas Paulum in concilium quasi aliquid certius inquisituri sint de illo,* ὡς μέλλων, volunt scil. ut tu aliquid certius de eo cognoscas seu sciscitcris. Hoc poterant protendere, immo debebant, quia in priore illo conventu nihil didicit tribunus de Pauli crimine; at magistratus romanus tamen eum non in custodia retinere poterat causa plane incognita. Quare haec lectio satis commendatur et congruit cum 22,30. Minus placet altera μέλλοντες, vel μέλλον (συνέδριον scil.); nam cum Iudaei Paulo adeo sint infensi, certe sciunt cur sint infensi, neque opus habent, ut coram tribuno fateantur se non satis accurate nosse quid tandem de Paulo sentiendum sit; v. 21 *tu vero ne credideris illis; insidiantur enim ex eis viri amplius*

dere plebi rabidae; quare Paulus iure suo utitur; v. 25 *et cum astrinxissent eum loris* προτείνειν explica; cum eum milites protendissent ad excipienda lora i. e. lororum verbera (*Bl.*), cum eum protendissent columnae ad flagellationem (*Beel. Patr. Felt. Weiss, Wendt*). *dicit astanti sibi centurioni Paulus : si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* duo monet quae contra ius facere volunt : sine ulla inquisitione punire, civem romanum flagellare. Interrogatio subironica est, confidentiae plena (*Bl.*); v. 26 *quo audito centurio accessit ad tribunum et nuntiavit ei dicens :* vide (gig, al.) *quid acturus es? hic enim homo civis romanus est;* rem certo explorare tribunus vult; v. 57 *accedens autem tribunus dixit illi : dic mihi, si tu Romanus es? at ille dixit : etiam,* sum (gig, uti D εἰμί); v. 28 *et respondit tribunus,* nexus inter Pauli verba et tribuni responsionem bene indicatur verbis illis quae *Beda* ex altera editione affert et quibus responsio tribuni quae in nostro textu habetur facilius intelligitur : tam facile dicis civem romanum esse? *ego multa summa civilitatem hanc consecutus sum;* cum enim Paulus breviter affirmasset, dicit : mirum te hominem nihili tantam rem tam parvi facere, quam ego probe sciam quanti mihi constiterit (*Bl.*). Narrat Dio Cassius (60,17) vendidisse civitatem romanam Claudii uxorem libertosque primo magno, postea minimo (cf. *Felt. Bl.*); *et Paulus ait : ego autem et natus sum* civis romanus, id quod etiam pluris aestimandum est; breviter et cum dignitate respondet.

Qua ratione pater Pauli seu maiores civitatem romanam acquisierint ignoratur. Tribunus affirmanti Paulo fidem adhibet. Si quis falso sibi attribueret hanc civitatem, poena mortis plectendus erat; scribit *Suetonius :* Claudius civitatem romanam usurpantes in campo esquilino securi percussit (Claudius 25); v. 29 *protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant; tribunus quoque timuit postquam rescivit quia civis romanus esset et quia alligasset eum,* et bene additur (vide lect. var.) et statim solvit eum; id quod etiam apud *Cassiod.* servatum est : « quo dicto perterritus solvit eum et imminentia tormenta suspendit ». Nam facinus est vincire civem romanum (Cicero, Verr. 2,5,170); vide ad 16,37. Mansit tamen Paulus in custodia militari ad militem catena alligatus; unde δέσμιος vocatur (23,18; 24,27; 26,29. *Bels.*); cf. 28,16; v. 30 *postera autem die volens scire diligentius* τὸ ἀσφαλές, 21,34 certum cognoscere, *qua ex causa accusaretur a Iudaeis, solvit eum* a militari quoque custodia, ita ut non alicui militi alligatus coram synedrio sisteretur, *et iussit sacerdotes convenire* τοὺς ἀρχιερεῖς *et omne concilium* τὸ συνέδριον *et producens Paulum statuit inter illos* καταγαγών scil. ex castris, ex arce deductus est in locum in

quem synedristae convenire solebant. — Statuitur altera lectio omisso ἔλυσεν : πέμψας ἐκέλευσεν (*Bl.*).

Obiicitur esse plane improbabile quod v. 24 narretur. Tribunum enim qui iam sciverit Paulum non esse Aegyptium illum rebellem, sed Tarsensem Iudaeum et qui permiserit Paulo loqui ad populum, non potuisse nunc praecipere ut quaestio in eum flagellis haberetur quasi in hominem reum (*Hilg.*). Responsum est supra ad v. 24. Tribuno maximopere curae esse debuit ne insurrectio fieret. Sperans itaque tumultum allocutione Pauli sedari posse concessit Paulo loqui. Verum multo maior exsurgit plebis rabies; quare quid facilius intellectu quam tribunum iam magis irasci in Paulum, a quo se deceptum esse existimat? Insuper satis superque notum est Romanos non nimia reverentia uti solitos esse in Iudaeos quos despiciebant variis ex causis et quos genus hominum esse turbulentum, contumax, moribus addictum peregrinis experti erant; unde multum sibi sumit « criticus » dum a priore statuit quanta humanitate debuerit magistratus romanus uti in Iudaeum quem ab ipsis Iudaeis utpote hominem pestiferum capitis reum audiat proclamari! Porro « critici » (*Spitta, Clemen, Jüngst, Hilg.*) etiam « ex rationibus internis » viderunt, non posse esse verum quod in v. 30 referatur. Et haec « ratio interna » est, quia tribunus civem romanum non potuerit periculo vitae obiicere; huic autem periculo eum manifestissime obiecisset, si eum ad synedrium adduxisset. Sed pace virorum doctorum dicamus : si periculum aderat, tribunus id novit, praecavit; neque tribunus *solus* cum Paulo descendit, neque supponi potest fore ut synedristae praesente tribuno Paulum interficere conarentur. Multis sollicitudinibus plane inutilibus critici ingenia sua torquent!

e) Paulus coram synedrio 23,1-10.

23,1. Intendens autem in concilium Paulus, ait; Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. 2. Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit adstantibus sibi percutere os eius. 3. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti? 4. Et qui adstabant dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis? 5. Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices.

6. Sciens autem Paulus quia una pars esset sadducaeorum et altera pharisaeorum, exclamavit in concilio : Viri fra-

23,1. Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ εἶπεν, Ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ ἄχρι ταύτης τῆς ἡμέρας. 2. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας ἐπέταξεν τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα. 3. τότε ὁ Παῦλος πρὸς αὐτὸν εἶπε, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεός, τοῖχε κεκονιαμένε· καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι; 4. οἱ δὲ παρεστῶτες εἶπαν, Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; 5. ἔφη τε ὁ Παῦλος, Οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοί, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς· γέγραπται γάρ, Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς.

6. Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστὶν Σαδδουκαίων, τὸ δὲ ἕτερον Φαρισαίων ἔκραζεν ἐν τῷ συνεδρίῳ, Ἄνδρες ἀδελφοί,

tres, ego pharisaeus sum, filius pharisaeorum; de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor. 7. Et quum haec dixisset, facta est dissensio inter pharisaeos et sadducaeos, et soluta est multitudo. 8. Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum; pharisaei autem utraque confitentur. 9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam pharisaeorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si Spiritus locutus est ei aut Angelus? 10. Et quum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίων· περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν κρίνομαι. 7. Τοῦτο δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος, ἐπέπεσεν στάσις τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων, καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος. 8. Σαδδουκαῖοι γὰρ λέγουσιν μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μήτε ἄγγελον μήτε πνεῦμα· Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσιν τὰ ἀμφότερα. 9. ἐγένετο δὲ κραυγὴ μεγάλη· καὶ ἀναστάντες τινὲς τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων διεμάχοντο λέγοντες, Οὐδὲν κακὸν εὑρίσκομεν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ· εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος; 10. πολλῆς δὲ γινομένης στάσεως φοβηθεὶς ὁ χιλίαρχος μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν, ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβὰν ἁρπάσαι αὐτὸν ἐκ μέσου αὐτῶν, ἄγειν εἰς τὴν παρεμβολήν.

In v. 3 gig percutere te incipiet. In v. 4 Cypr sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo. In v. 6 υιος φαρισαιου EHLP al pler ph sah cop arm aeth Chr, φαρισαιων ℵABC cat syr Tert. In v. 9 τινες των γραμματεων ℵBC mu minusc gig cat sah arm ph Chr; om AE cop vulg.

Narrationem esse a fide rei gestae alienam inde concludere volunt quod tribunus non quaerit a synedristis, de qua re Paulum accusent, sed quod statim Paulum loquentem audimus (cf. *Hilg.*). Verum Lucas iam retulit 22,30 cur tribunus synedrium convocasset. Inde satis indicat etiam tribunum significasse synedristis, cur tandem ad eos descenderet cum Paulo; nam tribunum adstitisse mutum nec dicere quid vellet a synedristis, nemo sibi finget; neque post 22,30 necesse erat explicite efferre, quid tribunus vellet audire ab illis. Postquam autem tribunus rem significavit, omnino e re erat, ut Paulus qui iam optime noverat quorumnam accusaretur sui inciperet defensionem. Unde narratio nihil continet quod improbabile sit; v. 1 *intendens autem in concilium Paulus* ἀτενίσας cf. 1,10; 3,12, *ait : viri fratres,* merito synedristas coram tribuno non agnoscit tamquam iudices suos aut sibi superiores, sed eos ut aequales alloquitur; nam si eorum auctoritatem et in se potestatem professus esset, eorum accusationibus magnum addidisset pondus coram tribuno. Et iure eos fratres solum sibi esse fatetur. Nam iis profecto nulla inerat auctoritas iudicandi de munere et officio apostoli; *ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem;* cf. 24,14, Phil. 3,6 secundum iustitiam quae in lege est conversatus sine querela; immo etiam id suo modo valet de sua in Ecclesiam persecutione; nam ignorans

feci (1 Tim. 1,13); praeprimis autem id asserit ratione habita synedristarum de sua vita postquam synagogae et Iudaismo valedixit; hanc enim partem vitae eius culpabant adversarii (*Beel.*).

Summus sacerdos, iam antea in Paulum infensus, facillime offendi poterat, quod Paulus in exordio sermonis non satis dignitatem ipsius observasset vel quod compellatione fratrum nimis familiariter reus ad iudices locutus esset vel quod dixisset se in omnibus recte coram Deo vitam instituisse, qua affirmatione agendi modum Iudaeorum condemnavit (cf. *Calm. Felt.*). Herodes, Agrippae defuncti frater, cui commissus erat Chalcidis principatus, impetraverat a Claudio praeter alia ius creandi summos sacerdotes; summovit a sacerdotio Cantheran et in eius locum substituit Iosephum Cami filium (*Iosephus,* Antiq. 20,1,3); ei sacerdotium iterum abstulit idque contulit Ananiae Nebedaei filio (l. c. 20,5,2; cf. 20,6,2. Bell. iud. 2,12,6). Vir is erat avarus et ferox; missis suis servis decimas sacerdotibus vi auferendas curabat, qui dare recusabant, vapulabant (Antiq. 20,9,2). Gessit pontificatum circa 47-59 (*Schürer* II p. 170); v. 2 *princeps autem sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os eius;* praecepit ministris; percusserintne non liquet; aderat tribunus qui id arceret (*Bl.*). Neque Paulus tale mandatum dari ferre poterat silentio; alias enim contemptibilis evasisset tribuno, si se quasi servum alapa percuti tacite permisisset, uti bene notat *Chr.* : alioquin nolebat tribuno εὐκαταφρόνητος φανῆναι (sim. *Oec.*). Nam persona quam gerebat, causa quam defendebat, non patiebantur ut honorem suum negligeret et inique secum agi permitteret, quin saltem adversariis suis iniquitatem ipsorum ostenderet (*Calm.*).

Iam veteres aliqui, uti *Sanchez* (cf. *Lap.*), *Menochius, Tirinus* et recentiores, uti *Felt. Bels. Bl.*, recte concludunt ex v. 3 et 5, Paulum audisse quidem tale praeceptum dari neque tamen in illo consessu potuisse distinguere a quo datum esset ex synedristis; v. 3 *tunc Paulus dixit ad eum,* utique ad Ananiam qui scil. iusserat; at iubentem esse Ananiam ignoravit Paulus; unde *ad eum* ex mente scriptoris additur, non ex scientia Pauli *percutiet te Deus,* μέλλει, non est imprecatio, sed comminatio divinae punitionis propter iniuriam et iniustitiam, quam a Deo non relinqui impunitam Paulus sibi conscius est; unde ea vox etiam prophetica dicitur (cf. *Cai. Salm. Calm. Felt. Bels. Wendt*) et bene iam *Beda* adnotat : « non dixit *percutiat,* sed *percutiet,* indicativo utique modo hoc ipsum futurum significans, non optativo maledicens », id quod etiam magis valet de textu graeco μέλλει i. e. certo te percutiet; *paries dealbate* cf. Matth. 23,27; ita iudicem illum vocat, quod splendida specie praeditus esset utpote

legis vindex et lege iudicans, sed mens eius iniquitate esset repleta (*Theoph.*); « pulchra est species, intus vulgares lateres » (*Bl.*); aliis placet alludi ad Ez. 13,10, eiusmodi parietem scil. esse casurum. Rei indignitatem effert confirmans quae dixit : *et tu sedens iudicas me secundum legem et contra legem iubes me percuti!* καὶ σὺ *etiam tu* (inter ceteros); errat Paulus (v. 5) putans aliquem ex assessoribus illa locutum esse (*Bl.*).

Ab aliis audit Paulus pontificem dedisse mandatum; v. 4 *et qui astabant dixerunt : summum sacerdotem Dei maledicis?* id est : sic (talia loquendo) maledicis; v. 5 *dixit autem Paulus : nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum* ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς scil. is qui ita locutus est; potest ἀρχιερεύς carere articulo quia ex mente loquentis suppletione hac tacite facta praedicatum est. Apostolum loqui sincere et velle verbum durum excusare et adstantium indignationem emollire ostenditur compellatione *fratres* et eo quod statim addit : *scriptum est enim : principem populi tui non maledices;* cf. Ex. 22,28; i. e. si scissem pontificem ea locutum esse, non dixissem neque verbum illud mali ominis neque iudicium illud de malo eius agendi modo protulissem; nam Scriptura vetat κακῶς loqui de eo qui est ἄρχων τοῦ λαοῦ, qui in auctoritate constitutus est (cf. *Bels.*). Hoc autem textu allegato excluditur opinio eorum qui volunt Paulum ironice locutum esse : nesciebam virum qui ita contra legem agat esse pontificem (ita τινὲς apud *Chr. Salm. Lorinus, Weiss*); nam tum revera scivisset eum esse pontificem et dicere voluisset solum : talem ego non agnosco modum agendi dignum pontifice; sed ad hanc sententiam inepte adiungeretur textus ille. Alii plerumque censent Paulum revera nescisse Ananiam esse pontificem (cf. *Chr. Oec. Theoph. Cai. Lap. Calm.*) vel existimasse pontificatus sedem eo tempore vacare (*Beel.*). At utrumque plane est improbabile, cum Paulus iam ex aliquot diebus esset in urbe et cum ordinem consessus synedrii cognitum haberet. — Ceterum quod Paulus dixit : *percutiet te,* impletum est; nam Ananias mense septembri anno 66 « in regiae domus aquae ductu latitans captus est et a latronibus (i. e. a sicariis) cum fratre Ezechia interfectus » die septimo mensis Gorpiaei (Elul, septembris; cf. *Iosephus,* Bell. iud. 2,17,9).

Pontifex erat sadducaeus; sadducaeorum τὸ ἦθος dicit *Iosephus* esse ἀγριώτερον (Bell. iud. 2,8,14). Facile fieri poterat, ut pharisaei inter synedristas inhumanitate pontificis offenderentur, praesertim quia illa Pauli reprehensione iustissima exposita esset coram tribuno, qui merito censeri poterat despicere summum magistratum Iudaeorum adeo halociter agentem et aestu irae abreptum contra eum qui sui defensionem

inciperet. Sciebat Paulus quid pharisaei sentirent contra sadducaeos; fortasse sciebat quoque aliquos e pharisaeis synedristis sibi aliquatenus favere. « Sicut unitas bonorum semper est utilis, sic malorum unitas semper est bonis noxia; unde nunc apostolus persecutores suos dissociare satagit, ut quem uniti cinxerant divisi laxarent » (*Beda*); v. 6 *sciens autem Paulus, quia una pars esset sadducaeorum* (cf. 5,17) *et altera pharisaeorum exclamavit in concilio : viri fratres, ego pharisaeus sum, filius pharisaeorum,* non solum pater meus, sed alii quoque maiores pharisaei erant, *de spe et resurrectione mortuorum ego iudicor;* proin causam suam esse intime iunctam et sociatam cum dogmatis pharisaeorum; Phil. 3,5 secundum legem pharisaeus; quare merito notat *Bl.* : nugas agunt qui hoc εἰμί (pharisaeus sum) offenduntur. Quod dicitur *de spe et...* explicari potest καὶ quod dicunt epexegeticum seu explicativum : de spe et quidem de resurrectione, ita ut quae sit spes accuratius determinetur (cf. 24,15) vel ita ut notioni generali de spe quam pharisaei habent scil. instaurationis messianae addatur particulare alterum de resurrectione (cf. 26,6); de spe resurrectionis praebent versiones syr. et philox. Cum apostolus per apparitionem Iesu qui ex mortuis resurrexit se dixisset vocatum ad praedicandum gentibus evangelium, vere dicere potuit quod dixit. Cardo enim quaestionis quam Iudaei discutere debebant, erat : resurrexitne Iesus. Hac quaestione affirmata causa Pauli erat iustissima.

Ea itaque in rerum conditione Paulus valde prudenter, ut ipsos synedristas inter se committeret, quaestionem eo modo definivit v. 7 *et cum haec dixisset, facta est dissensio inter pharisaeos et sadducaeos et soluta est multitudo* ἐσχίσθη divisa est multitudo synedrii cf. 14,4; schisma factum est inter assessores v. 8 *sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem neque angelum neque spiritum; pharisaei autem utraque confitentur;* « atqui tria sunt; cur ergo dicit ἀμφότερα? vel quod spiritus et angelus unum sunt, vel quia dictio illa non solum de duobus, sed etiam de tribus accipitur » (*Chr. Oec.*); utraque i. e. resurrectionem et substantias spirituales confitentur. Sadducaei negant animas permanere, docent eas simul cum corpore συναφανίζειν interire (Bell. iud. 2,8,14. Antiq. 18,1,4; cf. 13,5,9; 13,6,10); ceterum vide ad Matth. 22,23. Iam describitur illa στάσις et illud καὶ ἐσχίσθη v. 9 *factus est autem clamor magnus et surgentes quidam pharisaeorum,* quidam de scribis partis pharisaeorum (gig) *pugnabant dicentes : nihil mali invenimus in homine isto; quid si spiritus locutus est ei aut angelus?* sine apodosi, quae reticentia reddit orationem multo vivaciorem (*Patr.*); interrogant scil. sadducaeos : num id impossibile est, contendentes contra eos id plane fieri posse et

esse omnino probabile factum esse. Minime mirum est fuisse in synedrio qui sive aequitate ducti sive partium societate studioque Pauli causam tuerentur (*Bl.*); aderant qui Paulum de visionibus sibi factis referentem audierant (22,6 seq. 18).

Incalescebat contentio et dissensio eo magis quia inter se odio habebant v. 10 *et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis*, ne, si pugna ingravescente sadducaei manus Paulo iniicerent et pharisaei de illorum manibus eum vi abstrahere niterentur, ipse discerperetur, *iussit milites descendere* per militem aliquem ex vicinis castris maiorem numerum arcessivit (*Bl.*) τὸ στράτευμα satellitium (*Beel.*), manus militum cf. Luc. 23,11 et infra v. 27 *et rapere eum de medio eorum ac deducere eum in castra*. Id tribunus certo cognovit nihil proferri contra Paulum criminis, verum agi solum de quaestionibus ad Iudaeorum superstitionem pertinentibus (cf. 23,29).

f) Iudaeorum coniuratio tribuno indicatur 23,11-22.

23,11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari. 12. Facta autem die, collegerunt se quidam ex Iudaeis, et devoverunt se, dicentes neque manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant. 14. Qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, et dixerunt : Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero priusquam appropiet, parati sumus interficere illum.

16. Quod quum audisset filius sororis Pauli insidias, venit et intravit in castra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait : Adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi. 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, et ait : Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perdu-

23,11. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος εἶπεν, Θάρσει, ὡς γὰρ διεμαρτύρω τὰ περὶ ἐμοῦ εἰς Ἱερουσαλήμ, οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι. 12. γενομένης τε ἡμέρας, ποιήσαντες συστροφὴν οἱ Ἰουδαῖοι ἀνεθεμάτισαν ἑαυτούς, λέγοντες μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀποκτείνωσιν τὸν Παῦλον· 13. ἦσαν δὲ πλείους τεσσεράκοντα οἱ ταύτην τὴν συνωμοσίαν ποιησάμενοι· 14. οἵτινες προσελθόντες τοῖς ἀρχιερεῦσιν καὶ τοῖς πρεσβυτέροις εἶπαν, Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτούς, μηδενὸς γεύσασθαι ἕως οὗ ἀποκτείνωμεν τὸν Παῦλον. 15. νῦν οὖν ὑμεῖς ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ σὺν τῷ συνεδρίῳ, ὅπως καταγάγῃ αὐτὸν εἰς ὑμᾶς, ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ· ἡμεῖς δὲ πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτόν.

16. ἀκούσας δὲ ὁ υἱὸς τῆς ἀδελφῆς Παύλου τὴν ἐνέδραν, παραγενόμενος καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν παρεμβολὴν ἀπήγγειλεν τῷ Παύλῳ. 17. προσκαλεσάμενος δὲ ὁ Παῦλος ἕνα τῶν ἑκατονταρχῶν, ἔφη, Τὸν νεανίαν τοῦτον ἄπαγε πρὸς τὸν χιλίαρχον· ἔχει γὰρ ἀπαγγεῖλαί τι αὐτῷ. 18. ὁ μὲν οὖν παραλαβὼν αὐτὸν ἤγαγεν πρὸς τὸν χιλίαρχον, καί φησιν, Ὁ δέσμιος Παῦλος

cere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum : Quid est quod habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit : Iudaeis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo; 21. Tu vero ne credideris illis; insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum; et nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, praecipiens ne cui loqueretur quoniam haec nota sibi fecisset.

προσκαλεσάμενός με ἠρώτησεν τοῦτον τὸν νεανίαν ἀγαγεῖν πρὸς σέ, ἔχοντά τι λαλῆσαί σοι. 19. ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ὁ χιλίαρχος, καὶ ἀναχωρήσας κατ' ἰδίαν, ἐπυνθάνετο, Τί ἐστιν ὃ ἔχεις ἀπαγγεῖλαί μοι; 20. εἶπεν δέ, ὅτι οἱ Ἰουδαῖοι συνέθεντο τοῦ ἐρωτῆσαί σε, ὅπως αὔριον τὸν Παῦλον καταγάγῃς εἰς τὸ συνέδριον ὡς μέλλων τι ἀκριβέστερον πυνθάνεσθαι περὶ αὐτοῦ. 21. σὺ οὖν μὴ πεισθῇς αὐτοῖς· ἐνεδρεύουσιν γὰρ αὐτὸν ἐξ αὐτῶν ἄνδρες πλείους τεσσεράκοντα, οἵτινες ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀνέλωσιν αὐτόν· καὶ νῦν εἰσὶν ἕτοιμοι προσδεχόμενοι τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν. 22. ὁ μὲν οὖν χιλίαρχος ἀπέλυσε τὸν νεανίαν, παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρὸς ἐμέ.

In v. 12 τινες των ιουδαιων HP al pl sah syr gig vulg; alii οι ιουδαιοι. In v. 14 gig ad principem sacerdotum, item ph. In v. 15 ph (mg) sah fl : nunc igitur rogamus vos ut hoc nobis faciatis, ut cum congregaveritis consessum indicetis tribuno ut producat eum ad nos; Lcif gig nunc ergo vos colligite concilium et notum facite tribuno ut deducat eum ad vos; add in fine 137. εαν δεη και αποθανειν item ph (mg) fl licet oporteat (et) nos mori. In v. 20 ως μελλων ℵABE aliq minusc cop aeth. In v. 22 gig quia haec nota fecisti mihi.

Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit (Ps. 33,19; *Salm.*) v. 11 *sequenti autem nocte assistens ei Dominus ait : constans esto* θάρσει bono esto animo; *sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari* τὰ περὶ ἐμοῦ res meas, causam meam tuo confirmasti testimonio; εἰς potest explicari quia testimonium quasi infertur in urbem, dirigitur ad incolas; ἐπιστάς, uti 12,7, designat apparitionem subito factam. Quod 19,21 sibi proposuerat Paulus, partim factum est; alterum quoque divinitus nunc approbatur, Paulum visurum esse Romam; at quando et qua in conditione, ipsum adhuc latet; « vide quanta consolatio et exhortatio παράκλησις; primo laudat eum; dein non sinit eum occultam sibi adhuc romanam profectionem formidare, ac si diceret : non modo illuc ibis, sed etiam tanta uteris loquendi fiducia » (*Chr.*)[1].

Ad quantum odii et iniquitatis culmen progressi sint adversarii Iesu et Pauli manifestatur v. 12 *facta autem die collegerunt se qui-*

1. Iocos et nugas dare legentibus *Hilg.* videtur, cum graviter asserat narrationem antecedentem hac ipsa visione demonstrari falsam. Cur enim, quaerit, haec visio fieret in *secunda* nocte captivitatis? « pertineat ea ad *primam* noctem; etiam nobis somnia primae noctis in nova habitatione seu conditione habita reputantur esse alicuius ominis (bedeutsam »). En, critica ars sublimior iam promit arma ex vulgari quadam superstitione.

dam ex Iudaeis ποιήσαντες συστροφήν facta coitione, conspiratione *et devoverunt se dicentes neque manducaturos neque bibituros, donec occiderent Paulum;* diras sibi imprecati sunt poenas et exitium, interposita iurisiurandi religione, si quid gustarent, antequam Paulum interficerent; ἀναθεματίζειν ἑαυτόν se interitui devovere. Proin firmissime id statuerunt facta suimet ipsorum exsecratione; v. 13 *erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant;* inter eos etiam fuisse numero haud exiguo Iudaeos asianos, ephesios, satis ex 21,27 colligi poterit. Simul statuunt modum quo rem confici posse sperant v. 14 *qui accesserunt ad principes sacerdotum* (principem, gig. ph) *et seniores et dixerunt : devotione devovimus nos,* strictissime, diris imprecationibus nos obligavimus, *nihil gustaturos donec occidamus Paulum;* v. 15 *nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo;* vos simul cum ceteris synedrii assessoribus indicate tribuno; volunt itaque, ut nomine totius synedrii postuletur a tribuno, ut iterum Paulum deducat, *nos vero priusquam appropiet parati sumus interficere illum;* apte in altera lectione : etiamsi oporteat nos quoque mori. Nam militibus qui Paulum deducerent erat resistendum; sed facile posse viros quadraginta paucis illis militibus superatis rem ad exitum perducere sperabant.

Hac quoque narratione antecedentem declarari falsam *Hilg.* contendit. Nunc enim adductionem Pauli ad synedrium describi tamquam futuram, nullatenus tamquam factam iam antea; qui conspirant, nullo modo rationem habere iudicii de Paulo mitioris quod in synedrio datum sit; tribunum, qui iam expertus sit Paulum in periculo versari, non potuisse rogari, ut iterum eum sisteret synedrio; synedristas nunc praetendere se velle certius quid de Paulo cognoscere; ne verbulo quidem indicari id non potuisse effici die praecedente; si id praecessisset quod 23,10 narratur, nimis stultam fore astutiam coniuratorum; neque vafritiem iudaicam esse adeo imprudentem (cf. 25,3).

Hisce profecto prior narratio non evertitur. Eo quod aliqui synedristae partes Pauli tuebantur, furor adversariorum eo magis accendebatur; unde coniurationem faciunt. Modum seligunt secundum id quod priore conventu re infecta dissoluto proxime adiacebat, scil. sciunt tribunum quoque velle diligentius scire, qua de causa accusaretur Paulus (22,30). Unde sane non est absurdum, ut ei proponant alterum conventum. Quod in brevi narratione Lucas non adnotet rationem illam ad persuadendum tribuno, heri scil. rem et propositum non potuisse attingi, nemo sanae mentis contra fidem prioris narrationis proferre potest. Ceterum adverti debet, homines pessimis animi perturbationibus abreptos minime semper capere consilia sapientissima; verum solere esse magis obcaecatos et id unum appetere,

ut quacumque demum ratione sibi aliquam pandant viam ad propositum assequendum. Proin, etsi postulatio eorum tribuno facienda esset stulta, nondum sequeretur propterea priorem narrationem esse falsam. E contra, a priore narratione optime explicatur, quomodo tale capiant consilium et talem excogitent modum interimendi Paulum.

Ecce, oculi Domini super metuentes eum (Ps. 32,18. Eccli. 15,20; 34,19); v. 16 *quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit et intravit in castra nuntiavitque Paulo;* quomodo is coniurationem senserit ignoratur; sed mirari iuvat providentiae ordinem quae ex imminenti discrimine Paulum eripuit. Cum eousque nihil criminis contra Paulum esset prolatum, non erat, cur liber accessus suis negaretur (cf. 24,23); v. 17 *vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus ait : adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi;* probe enim scivit tribunum nullatenus posse permittere, ut civis romanus in custodia romana positus a Iudaeis interimatur; v. 18 *et ille quidem assumens eum duxit ad tribunum et ait : vinctus Paulus,* δέσμιος i. e. in custodia militari positus, ad militem custodientem catena vinctus (*Felt. Bl.*) *rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi;* notat *Calm.* : humana auxilia quae Dei bonitas sibi in manus praebebat Paulus non negligit; eius in Deum fiducia expers erat arrogantiae, ac sapientiae et prudentiae habebat plurimum; negligere enim naturales et humanas opes, cum praesto occurrunt, perinde est ac Deum tentare.

Tribunus familiariter iuvenem suscipit; iam ei reverentiam Paulus inspiraverat, unde nuntium a Paulo missum amice tractat v. 19 *apprehendens autem tribunus manum illius* in amicitiae et clementiae significationem, ut libere et audacter loquatur, *secessit cum eo seorsum,* ut res maneret secreta. *et interrogavit illum : quid est quod habes indicare mihi?* v. 20 *ille autem dixit : Iudaeis convenit rogare te ut crastina die producas Paulum in concilium quasi aliquid certius inquisituri sint de illo,* ὡς μέλλων, volunt scil. ut tu aliquid certius de eo cognoscas seu sciscitéris. Hoc poterant protendere, immo debebant, quia in priore illo conventu nihil didicit tribunus de Pauli crimine; at magistratus romanus tamen eum non in custodia retinere poterat causa plane incognita. Quare haec lectio satis commendatur et congruit cum 22,30. Minus placet altera μέλλοντες, vel μέλλον (συνέδριον scil.); nam cum Iudaei Paulo adeo sint infensi, certe sciunt cur sint infensi, neque opus habent, ut coram tribuno fateantur se non satis accurate nosse quid tandem de Paulo sentiendum sit; v. 21 *tu vero ne credideris illis; insidiantur enim ex eis viri amplius*

quadraginta, qui se devoverunt non manducare neque bibere, donec interficiant eum; et nunc parati sunt exspectantes promissum tuum τὴν ἀπὸ σοῦ ἐπαγγελίαν scil. quod promittes facere quod illi petent; non dubitant fore ut petitioni acquiescas; quare iam sese paraverunt ad caedem committendam; v. 22 *tribunus igitur dimisit adolescentem praecipiens ne cui loqueretur, quoniam haec nota sibi fecisset;* graece et in gig habetur transitus in orationem rectam, uti 1,4.

Affert *Lightfoot* (Horae hebr. ad 23,12) ex Aboda sara fol. 40,1 : homini si vovit abstenturum se a cibo, vae si edat, vae si non edat. Si edat peccat contra votum; si non edat peccat in vitam suam. Quid ei hic faciendum? adeat sapientes et illi solvent votum suum, sicut scriptum est : lingua sapientium est sanitas (Prov. 12,18). — Cum Herodes amphitheatrum exstruxisset, coniurarunt decem cives se quodvis periculum subituros ut contemptorem moris patrii interficerent (*Iosephus*, Antiq. 15,8,3).

g) Paulus ducitur Caesaream 23,23-35.

23,23. Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis : Parate milites ducentos, ut eant usque Caesaream, et equites septuaginta, et lancearios ducentos, a tertia hora noctis; 24. Et iumenta praeparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem praesidem, 25. (Timuit enim ne forte raperent eum Iudaei, et occiderent; et ipse postea calumniam sustineret, tanquam accepturus pecuniam.) 26. Scribens epistolam continentem haec : Claudius Lysias optimo praesidi, Felici, salutem. 27. Virum hunc comprehensum a Iudaeis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu, eripui cognito quia Romanus est; 28. Volensque scire causam quam obiiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29. Quem inveni, accusari de quaestionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis. 30. Et quum mihi perlatum esset de insidiis quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

31. Milites ergo, secundum praeceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32. Et postera

23,23. Καὶ προσκαλεσάμενος τινὰς δύο τῶν ἑκατονταρχῶν εἶπεν, Ἑτοιμάσατε στρατιώτας διακοσίους, ὅπως πορευθῶσιν ἕως Καισαρείας, καὶ ἱππεῖς ἑβδομήκοντα, καὶ δεξιολάβους διακοσίους, ἀπὸ τρίτης ὥρας τῆς νυκτὸς, 24. κτήνη τε παραστῆσαι, ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον διασώσωσι πρὸς Φήλικα, τὸν ἡγεμόνα· 25. γράψας ἐπιστολὴν ἔχουσαν τὸν τύπον τοῦτον· 26. Κλαύδιος Λυσίας τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι Φήλικι, χαίρειν. 27. τὸν ἄνδρα τοῦτον συλληφθέντα ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, ἐπιστὰς σὺν τῷ στρατεύματι ἐξειλάμην, μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστιν, 28. βουλόμενός τε ἐπιγνῶναι τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἐνεκάλουν αὐτῷ, 29. κατήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν· ὃν εὗρον ἐγκαλούμενον περὶ ζητημάτων τοῦ νόμου αὐτῶν, μηδὲν δὲ ἄξιον θανάτου ἢ δεσμῶν ἔγκλημα ἔχοντα. 30. μηνυθείσης δέ μοι ἐπιβουλῆς εἰς τὸν ἄνδρα ἔσεσθαι ἐξαυτῆς ἔπεμψα πρὸς σὲ, παραγγείλας καὶ τοῖς κατηγόροις λέγειν πρὸς αὐτὸν ἐπὶ σοῦ.

31. Οἱ μὲν οὖν στρατιῶται, κατὰ τὸ διατεταγμένον αὐτοῖς, ἀναλαβόντες τὸν Παῦλον ἤγαγον διὰ νυκτὸς εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα. 32. τῇ δὲ ἐπαύριον ἐάσαντες

die, dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. 33. Qui quum venissent Caesaream, et tradidissent epistolam praesidi, statuerunt ante illum et Paulum. 34. Quum legisset autem, et interrogasset de qua provincia esset, et cognoscens quia de Cilicia : 35. Audiam te, inquit, quum accusatores tui venerint. Iussitque in praetorio Herodis custodiri eum.

τοὺς ἱππεῖς ἀπέρχεσθαι σὺν αὐτῷ, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν παρεμβολήν· 33. οἵτινες εἰσελθόντες εἰς τὴν Καισάρειαν, καὶ ἀναδόντες τὴν ἐπιστολὴν τῷ ἡγεμόνι, παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ. 14. ἀναγνοὺς δὲ καὶ ἐπερωτήσας ἐκ ποίας ἐπαρχείας ἐστὶν καὶ πυθόμενος ὅτι ἀπὸ Κιλικίας, 35. Διακούσομαί σου, ἔφη, ὅταν καὶ οἱ κατήγοροί σου παραγένωνται, κελεύσας ἐν τῷ πραιτωρίῳ τοῦ Ἡρῴδου φυλάσσεσθαι αὐτόν.

In v. 23 ιππεις εκατον 137. ph (mg) sah fl; gig XX. In v. 24 κτηνος syr, fl iumentum. Quod in vg. habetur v. 25, legitur etiam 137. ph c* gig et indicatur a Cassiod. In v. 26 gig habentem formam hanc. In v. 27 gig eripui clamantem et dicentem se esse civem romanum. In v. 29 gig quem inveni nichil amplius accusari quam de lege moysi et de ihesu quodam; sim 137. ph (mg); et post εγκλ. εχ. add εξηγαγον αυτον μολις βια 137. ph c*; gig nichil tamen dignum mortis facientem quem vix eripui de vi. In v. 30 om ερρωσο in AB 13. am fu sah cop gig; sed pler add; gig et accusator ibi venire ad tuam cognitionem. In v. 32 gig relictis militibus ad castra cum solis equitibus venerunt in caesaream, v. 33 et cum tradidissent epistolam legato assignaverunt et paulum. In v. 34 137. εκ ποιας επαρχιας ει; εφη κιλιξ; sim ph.

Nuntius ille de insidiis Iudaeorum non poterat non esse gratus tribuno. Nam eo offerebatur ipsi occasio sese liberandi a captivo, propter quem magna in urbe perturbatio et seditio timenda erat; insuper studium eius servandi civem romanum a caede poterat commendari (cf. v. 27; *Felt.*) v. 23 *et vocatis duobus centurionibus* τινὰς δύο quosdam duos, certos homines, quibus confidebat vocavit, *dixit illis : parate milites ducentos, ut eant usque Caesaream et equites septuaginta et lancearios ducentos a tertia hora noctis*; hi itaque tertia hora noctis, i. e. tertia hora post occasum solis parati esse debebunt. Noctu imminente Paulum deduci vult Iudaeis insciis; magnam addit custodiam, ut omnis Iudaeorum impetus qui in via forte fieret reprimi possit, vel etiam, ne conentur neve audeant Paulum aggredi. Numerus utique est permagnus. Minorem praebet codex floriacensis : milites : equites centum et pedites ducentos (cf. *Bl.*), qua lectione removetur difficultas quae in textu nostro esse videtur, quia milites iubentur Caesaream usque progredi, quod tamen v. 32 soli faciunt equites. « Nusquam commemorantur δεξιολάβοι praeterquam a Iohane Lydo (saec. 6, apud Constant. Porphyrog. de thematibus 1,1) et a Theophylacto Simocatte (4,1; saec. 7) apud quos sunt genus peditum levis armaturae, distincti a peltastis et a sagittariis » (*Bl.*); explicatur vox varie : τοξοβόλοι, παραφύλακες (Suidas, Etymol. apud *Wetstein*), iaculantes per dexteram (syr.); plerique adstipulantur versioni vulg.; codex flor. pedites; in aliquibus δεξιοβόλους habetur; v. 24 *et iumenta*

praeparate, numerum pluralem explica, ut praeter unum quo Paulus veheretur, alia in subsidiis ponantur (ceterum vide lect. var.), *ut imponentes Paulum salvum perducerent ad Felicem praesidem;* graece παραστῆσαι transitus fit a recta oratione in obliquam (cf. *Buttmann* p. 330).

Antonius Felix, frater Pallantis, per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio in Iudaea exercuit, ut *Tacitus* ait (hist. 5,9); erat libertus Antoniae (de qua cf. *Iosephus,* Antiq. 18,6,6), vel ut alii dicunt Claudii; at nequit ostendi eum unquam nomen Claudii gessisse (cf. *Schürer* I p. 478). Cum Pallas frater eius plurimum auctoritate valeret, ipse cuncta malefacta sibi impune ratus est tanta potentia subnixo (*Tacitus,* Ann. 12,54); exempla habes apud *Iosephum* (Bell. iud. 2,13,2. Antiq. 20,8,5). Cur autem tribunus tantam adderet custodiam, ut Paulus salvus duceretur Caesaream, ratio redditur v. 25 *timuit enim ne forte raperent eum Iudaei et occiderent et ipse postea calumniam sustineret tamquam accepturus pecuniam,* si scil. iis occasionem daret Paulum interimendi; vide lect. var. Qua de causa mitteret captivum, praesidi erat nuntiandum v. 26 *scribens* γράψας refertur quia in graeco deest v. 25 ad εἶπεν v. 23; multo planius gig : scripsit autem *epistolam continentem haec : Claudius Lysias optimo praesidi, Felici, salutem* τῷ κρατίστῳ (cf. Luc. 1,3) est titulus usitatus eorum qui dignitate et auctoritate eminent; v. 27 *virum hunc comprehensum a Iudaeis et incipientem interfici ab eis superveniens cum exercitu eripui cognito* μαθών postquam didici *quia Romanus est;* sibi id meriti adscribit quod civem romanum a morte servaverit; alia prudenter tacet, quando et quomodo didicerit eum esse civem; v. 28 *volensque scire causam quam obiiciebant illi deduxi eum in concilium eorum* ἐπιγνῶναι accurate scire; v. 29 *quem inveni accusari de quaestionibus legis ipsorum* in altera lectione : de lege Moysi et de Iesu quodam; sed vix est probabile haec singula eum indicasse; sane melior est textus communis; cf. 22,30 et 23,9; declaratur hic quid ibi praesente tribuno disceptatum sit; *nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis;* v. 30 *et cum mihi perlatum esset de insidiis quas paraverant illi, misi eum ad te denuntians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale;* ἐξαυτῆς confestim misi; παραγγείλας cf. 24,8; per se intelligitur eum id sequenti die, cum Iudaei eum adirent, voluisse iis denuntiare et tum revera denuntiasse.

Noctu iter instituitur v. 31 *milites ergo secundum praeceptum sibi assumentes Paulum duxerunt per noctem in Antipatridem;* cf. 17,10, uti illic de itineris principio, non de fine quoque dicitur *per noctem;* distabat enim Antipatris, quam Herodes magnus in honorem patris

sui loco vici Kapharsaba (quod hodie quoque manet, Kefr Saba) condiderat, ab Hierosolymis milia p. XLII, a Caesarea XXVI (milia metrorum nostrorum LXIII et XXXIX); ita *Bl.* Ceterum vide *Iosephum,* Antiq. 13,15,1; 16,5,2; Bell. iud. 1,21,9; v. 32 *et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra;* cum iam satis longe abessent a Ierusalem, impetus Iudaeorum ad Paulum occidendum minus erat timendus; unde pedites revertuntur in urbem ad sua castra, ad stationem in arce Antonia; soli equites Paulum ultra deducunt; v. 33 *qui cum venissent Caesaream et tradidissent epistolam praesidi, statuerunt ante illum et Paulum;* unum quod in epistola non erat expressum interrogat praeses; v. 34 *cum legisset autem et interrogasset de qua provincia esset et cognoscens quia de Cilicia,* v. 35 *audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint;* in altera lectione haec vivide efferuntur per modum colloquii; διακούσομαι accurate audiam, proprie διὰ τέλους ἀκούειν (*Bl.*); dicitur de iudicibus Deut. 1,16 LXX; *iussitque in praetorio Herodis custodiri eum,* in palatio quod Herodes Caesareae sibi exstruxerat; de aedificiis Caesareae ab Herode erectis cf. *Iosephus,* Antiq. 15,8,5; 15,9,6; 16,5,1; Bell. iud. 1,21,5-8. Istud palatium iam incolebatur a praeside. Praetorium proprie dicebatur locus in quo praetor vel quivis alius regionis praeses habitabat et ius dicebat; dein regum quoque aedes sic appellari coeperunt (*Patr.*); comparant etiam Cic. Verr. 2,5,30 : illa domus praetoria (Syracusis), quae regis Hieronis fuit (*Bl.*); cf. Matth. 27,27; Marc. 15,16. Ioan. 18,28. 33 etc. Non itaque Paulus in communi carcere custodiebatur, sed in ipso praetorio; erat haec custodia satis lenis, qualis conveniebat in tali crimine (*Bl.*).

2. *Captivitas Caesareensis* 24,1-26,32.

a) Paulus accusatur 24,1-9.

24,1. Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, et Tertullo quodam oratore; qui adierunt principem adversus Paulum. 2. Et, citato Paulo, coepit accusare Tertullus, dicens : Quum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam; 3. Semper et ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5. Invenimus hunc hominem pestiferum,

24,1. Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας κατέβη ὁ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας μετὰ πρεσβυτέρων τινῶν καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινός, οἵτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι κατὰ τοῦ Παύλου. 2. κληθέντος δὲ (αὐτοῦ) ἤρξατο κατηγορεῖν ὁ Τέρτυλλος, λέγων, 3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, καὶ διορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας πάντῃ τε καὶ πανταχοῦ ἀποδεχόμεθα, κράτιστε Φῆλιξ, μετὰ πάσης εὐχαριστίας. 4. ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ πλεῖόν σε ἐνκόπτω, παρακαλῶ ἀκοῦσαί σε· ἡμῶν συντόμως τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ. 5. εὑρόντες γὰρ τὸν ἄνδρα

et concitantem seditiones omnibus Iudaeis in universo orbe, et auctorem seditionis sectae Nazarenorum; 6. Qui etiam templum violare conatus est; quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. 7. Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, 8. Iubens accusatores eius ad te venire; a quo poteris ipse iudicans, de omnibus istis cognoscere de quibus nos accusamus eum. 9. Adiecerunt autem et Iudaei, dicentes haec ita se habere.

τοῦτον λοιμὸν, καὶ κινοῦντα στάσεις πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην, πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, 6. ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασεν βεβηλῶσαι· ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν (καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. 7. παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγε, 8. κελεύσας τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπὶ σέ) παρ' οὗ δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας περὶ πάντων τούτων ἐπιγνῶναι ὧν ἡμεῖς κατηγοροῦμεν αὐτοῦ. 9. συνεπέθεντο δὲ καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, φάσκοντες ταῦτα οὕτως ἔχειν.

In v. 6 post εκρατησαμεν statim sequitur v. 8 παρ ου δυνηση in ℵ A B H L P al plus 40 am fu tol (et apud Beda) sah cop. Sed quae in vulg interponuntur, leguntur etiam in E al 30 cat Chr demid gig syr (utr) codd aliq apud Bed; ea novit Cassiod. In v. 9 praemittunt 137. ph c* ειποντος δε αυτου ταυτα.

Uti Lysias synedristis denuntiavit (23,30), ita agunt v. 1 *post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam;* dies quinque numerandi erunt ab adventu Pauli in urbem Caesaream, de quo scil. Lucas narravit ultimo loco. Nullo enim modo indicatur eos dies referri, ut quandoque volunt, vel ad captivitatem Pauli in Ierusalem vel ad eius ab urbe profectionem; quare eos referre oportebit ad ultimum terminum de quo narratum est (cf. *Lap. Felt. Wendt, Weiss*). Verum ita numerari possunt, ut dies adventus sit et censeatur primus, et dies quo illi Caesaream advenerint sit quintus nondum completus. Bene adverte dici μετὰ πρεσβυτέρων τινῶν; proinde falsum esse quod *Hilg.* contra priorem narrationem (23,7.9) oggerit, deesse in subsequenti narratione omne vestigium aliquos synedristas de Pauli culpa dubitasse. Ananias autem solum *aliquos* synedristas secum adducit, neque ullo modo ad consensum totius synedrii recurritur; *et Tertullo quodam oratore,* causidico; Tertullus nomen est haud infrequens, deminutivum a Tertio, ut Catullus a Catio et Lucullus a Lucio (*Wetstein*), *qui adierunt praesidem adversus Paulum* ἐνεφάνισαν (23,15) denuntiarunt praesidi, seu indicarunt contra Paulum se velle accusationem proferre.

Causidicum adhibent iuris romani et litis agendae peritum, quo certius suam evincant causam; v. 2 *et citato Paulo coepit accusare Tertullus dicens : cum in multa pace agamus per te et multa corrigantur per tuam providentiam* διορθωμάτων γινομένων in meliorem statum redigantur huic genti, v. 3 *semper et ubique suscipimus, optime Felix cum omni gratiarum actione* πάντῃ quoquoversus, omni modo

et ubique ἀποδεχόμεθα haec cum gaudio excipimus. Impudenti adulatione causidicus benevolentiam praesidis captare studet. Laudat pacem multam et prosperitatem qua fruantur et emendationes in rebus publicis ad populi commodum factas. Sed qua ratione Felix revera gubernarit, satis ostenditur locis allatis Taciti (ad 23,24) et ipsa accusatione quam Iudaei contra eum instituerunt (*Iosephus*, Antiq. 20, 8,9). Dedit quidem Felix operam latrociniis reprimendis, sed tamen eius culpa et saeviendi ratione seditiones et turbae creverunt et bellum iudaicum et interitus populi per eum quasi inaugurabatur (Antiq. 20,8,5 seq. Bell. 2,13,2; cf. *Schürer* I p. 479 seq.). Nam intempestivis remediis delicta accendebat (*Tacitus*, Ann. 12,54).

Post hanc adulationem promittit se accusationem breviter propositurum, quam ut brevi audire dignetur, praesidis benignitatem appellat v. 4 *ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia*, gig breviter nos audiat clementia tua. Causidicus exordio usus est ad iudicis benevolentiam captandam valde apto. Pontifex et seniores interea cumulum accusationum collegerunt et totam Pauli agendi et praedicandi rationem tamquam concitationem popularem praesidi persuadere statuerunt. A Iudaeis asianis edocti erant, quomodo variis in urbibus Iudaei Paulo restitissent; quae in Macedonia contra Paulum tentata essent, certe eos non latebat. Iam haec omnia facile subministrabant amplam accusandi materiam qua praesidem qui rebelles acerrime punire solebat induci posse sperabant ad Paulum interimendum v. 5 *invenimus hunc hominem pestiferum* λοιμόν pestem, de homine iam Demosthenes (25,80; *Bl.*), *et concitantem seditiones omnibus Iudaeis in universo orbe* i. e. in toto imperio romano; eo enim nomine imperium romanum designari vide ad Luc. 2,1 (Comment. p. 103); gig invenimus hunc virum pestem et concitantem seditiones non tantum generi nostro, sed fere universo orbi terrarum; quae lectio accedit ad graecam lectionem 17,6; cf. 21, 28 et recole 13,45; 14,2. 5. 18; 16,20; 17,5. 13; 18,12; 19,23 seq. 20,19, ex quibus pro Iudaeorum malitia accusationes seditionum confingebantur; *et auctorem seditionis sectae Nazarenorum*, gig auctorem sectae Nazareorum, πρωτοστάτην, vox e re militari desumpta est et dicit eum qui in primo ordine aciei stat, ducem, antesignanum. Cum primores in Ierusalem contenderent a Galilaea non surgere prophetam (Ioan. 7,52), ipsos Christifideles per contemptum quod Iesum Nazarenum agnoscerent Messiam Nazarenos appellabant. Praesidi autem Paulus insuper denuntiatur tamquam dux et caput factionis Iudaeis inimicae.

Praeterea accusatur criminis quo commisso poena mortis iure

unicuique infligi potuit alienigenae (cf. 21,28) v. 6 *qui etiam templum violare conatus est quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare;* belle mentitur causidicus; illud prius de violatione templi Iudaei asiani spargebant; unde ex eorum mente loquitur; alterum autem purum putum mendacium causidici est et aliorum Iudaeorum qui coram praeside testantur v. 9 ita se res habere. Loquitur ac si ipse Iudaeus esset eo quod nomine Iudaeorum verba facit. Hi vero Paulum occidere tentabant bis (21,31; 23,10. 14); v. 7 *superveniens autem tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris,* v. 8 *iubens accusatores eius ad te venire;* Iudaeis manebat ius de causis violatae legis ex lege iudicare et poenas decernere excepta sententia capitis; quare causidicus rem ita proponit, ac si Lysias Iudaeos prohibuisset suis uti iuribus et contra fas impedivisset quominus Paulum secundum legem iudicarent. Et ita rem se habere audacter confirmat monens praesidem, ut ab ipso Lysia exquirat cuncta : *a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum;* haec quae a v. 6 leguntur in vulg. et apud alios testes (vide lect. var.) plane necessaria sunt; nam, ut bene advertit *Bl.* : verum non ferri potest quod sec. א etc. hoc monstrum orationis post pauca verba iudicem ex *reo* (παρ' οὗ v. 8 post ὃν ἐκρατήσαμεν 6) cetera quaerere iubet (sim. *Beel. Felt. Bels.*). Et satis mirum esset, si causidicus ad probandam accusationem contra Paulum ad ipsum Paulum tamquam testem provocaret. Accusatores autem postulasse, ut Lysias testis vocaretur et Lysiae quoque aliquid culpae imputasse, satis comprobatur 24,22 : cum tribunus Lysias descenderit audiam vos; ergo ad eum in accusatione provocatum est; proinde ex ipsa subsequente narratione textus vulg. aliorumque testium confirmatur.

Orationi causidici reliqui adstipulantur v. 9 *adiecerunt autem et Iudaei* συνεπέθεντο simul aggressi sunt, una scil. cum causidico invaserunt in Paulum accusando *dicentes haec ita se habere* φάσκοντες dictitantes, firmiter saepiusque affirmantes (cf. Rom. 1,22). Verum mendacia proferri praeses ex epistola Lysiae cognovit.

Qui verba illa a v. 6-8 omittunt, referunt (et referre debent) παρ' οὗ ἀνακρίνας etc. ad Paulum, a quo praeses rem inquirere possit; quam inquisitionem alii mere iudicialem, alii per tormenta faciendam explicant. Miratur *Beelen* quoque quod ad Lysiam ipsum tamquam testem provocare ausi fuerint; « speraverint, opinor, fore ut per audaciam hanc convictus praeses de veritate intentatae accusationis Paulum vindictae ipsorum permitteret. Sed res aliter cessit. Nempe mentiri eos praeses ex Lysiae epistola facile animadvertit ».

b) **Paulus se defendit; manet in custodia 24,10-27.**

24,10. Respondit autem Paulus (annuente sibi praeside dicere) : Ex multis annis te iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11. Potes enim cognoscere quia non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem. 12. Et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbae, neque in synagogis, 13. Neque in civitate; neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam quam dicunt haeresim, sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus quae in lege et prophetis scripta sunt; 15. Spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum. 16. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper.

17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, et oblationes et vota. 18. In quibus invenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Asia Iudaei, quos oportebat apud te praesto esse, et accusare si quid haberent adversum me; 20. Aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, quum stem in concilio; 21. Nisi de una haec solummodo voce, qua clamavi inter eos stans : Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis.

22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens : Quum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. 23. Iussitque centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

24. Post aliquot autem dies, veniens Felix cum Drusilla, uxore sua, quae erat Iudaea, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem quae est in Christum Iesum. 25. Disputante autem illo de iustitia et ca-

24,10. Ἀπεκρίθη τε ὁ Παῦλος, νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν, Ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε κριτὴν τῷ ἔθνει τούτῳ ἐπιστάμενος, εὐθύμως τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι· 11. δυναμένου σου ἐπιγνῶναι ὅτι οὐ πλείους εἰσίν μοι ἡμέραι δώδεκα, ἀφ' ἧς ἀνέβην προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ· 12. καὶ οὔτε ἐν τῷ ἱερῷ εὗρόν με πρός τινα διαλεγόμενον ἢ ἐπίστασιν ποιοῦντα ὄχλου, οὔτε ἐν ταῖς συναγωγαῖς, οὔτε κατὰ τὴν πόλιν· 13. οὐδὲ παραστῆσαι δύνανταί σοι περὶ ὧν νυνὶ κατηγοροῦσίν μου. 14. ὁμολογῶ δὲ τοῦτό σοι, ὅτι κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, οὕτως λατρεύω τῷ πατρῴῳ Θεῷ, πιστεύων (πᾶσι) τοῖς κατὰ τὸν νόμον καὶ τοῖς ἐν τοῖς προφήταις γεγραμμένοις, 15. ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν Θεὸν, ἣν καὶ αὐτοὶ οὗτοι προσδέχονται, ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι δικαίων τε καὶ ἀδίκων. 16. ἐν τούτῳ καὶ αὐτὸς ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός.

17. δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου παρεγενόμην καὶ προσφοράς· 18. ἐν αἷς εὗρόν με ἡγνισμένον ἐν τῷ ἱερῷ, οὐ μετὰ ὄχλου οὐδὲ μετὰ θορύβου, τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, 19. οὓς ἔδει ἐπὶ σοῦ παρεῖναι καὶ κατηγορεῖν εἴ τι ἔχοιεν πρὸς ἐμέ, 20. ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν, τί εὗρον ἀδίκημα, στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου· 21. ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς, ἧς ἐκέκραξα ἐν αὐτοῖς ἑστὼς, ὅτι περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ἐφ' ὑμῶν.

22. Ἀνεβάλετο δὲ αὐτοὺς ὁ Φῆλιξ, ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, εἴπας, Ὅταν Λυσίας ὁ χιλίαρχος καταβῇ, διαγνώσομαι τὰ καθ' ὑμᾶς· 23. διαταξάμενος τῷ ἑκατοντάρχῃ τηρεῖσθαι αὐτὸν ἔχειν τε ἄνεσιν, καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν αὐτῷ.

24. Μετὰ δὲ ἡμέρας τινὰς παραγενόμενος ὁ Φῆλιξ σὺν Δρουσίλλῃ τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ οὔσῃ Ἰουδαίᾳ, μετεπέμψατο τὸν Παῦλον, καὶ ἤκουσεν αὐτοῦ περὶ τῆς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν πίστεως. 25. διαλεγομένου δὲ αὐτοῦ

stitate, et de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te, 26. Simul et sperans quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum vinctum.

περὶ δικαιοσύνης καὶ ἐγκρατείας καὶ τοῦ κρίματος τοῦ μέλλοντος ἔμφοβος γενόμενος ὁ Φῆλιξ ἀπεκρίθη, τὸ νῦν ἔχον πορεύου· καιρὸν δὲ μεταλαβὼν μετακαλέσομαί σε, 26. ἅμα καὶ ἐλπίζων, ὅτι χρήματα δοθήσεται (αὐτῷ) ὑπὸ τοῦ Παύλου, διὸ καὶ πυκνότερον αὐτὸν μεταπεμπόμενος ὡμίλει αὐτῷ. 27. Διετίας δὲ πληρωθείσης ἔλαβεν διάδοχον ὁ Φῆλιξ Πόρκιον Φῆστον· θέλων τε χάριτα καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις ὁ Φῆλιξ, κατέλιπε τὸν Παῦλον δεδεμένον.

In v. 12 επισυστασιν HLP al pler cat Epiph, gig dissensiones moventem. In v. 14 am fu demid patri deo meo, tol deo patri meo, gig patri deo. In v. 21 εφ υμων ℵBC aliq minusc; pler υφ. In v. 24 ph (mg) quae rogabat videre Paulum et audire verbum; volens igitur satisfacere ei accersivit Paulum; item Cassiod. In v. 26 gig eum accersiebat secrete. In v. 27 137. τον δε παυλον ειασεν εν τηρησει δια δρουσιλλαν; ph (mg) reliquit in carcere propter Drusillam.

Singula accusationis capita Paulus breviter, sed efficaciter diluit simplici rerum enarratione; v. 10 *respondit autem Paulus annuente sibi praeside dicere: ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens bono animo pro me satisfaciam;* en aliud exordium plane diversum ab adulatione illa Tertulli et tamen etiam captatio benevolentiae, at apostolo digna et rei veritati congrua. Ait enim se εὐθύμως bono, alacri animo proferre τὰ περὶ ἐμοῦ quae de me dicenda sint, quia sciat eum bene nosse Iudaeorum mores et instituta, quippe qui iam per multos annos sit iudex in ea gente constitutus. Proin enuntiat se confidere iudici iudicemque laudat utpote gnarum rerum iudaicarum. Erat Felix praeses ab anno 52, uti plerique statuunt (cf. *Felt. Bels. Wendt, Schürer* I p. 477); quod concludunt ex eo quod *Iosephus* facta mentione de Felice per Claudium in Iudaeam misso subdit narrationem ex anno duodecimo Claudii (Antiq. 20,7,1); annum 51 assignat *Harnack;* at ex iis quae *Tacitus* refert, Felix iam ab anno 48 Samariam administrabat, et ad annum 52 dicitur ab eo Felix iam pridem Iudaeae impositus (Annal. 12,54). Ex Eusebio colligitur annus 50 vel 51, quo Felix sit in Iudaeam missus (cf. *Bels.* Quartalschrift 1898 p. 366). Ex hisce ergo explica *multos* annos modo oratorio; cum v. g. Valerius Gratus procurator fuisset ab anno 15-26, et Pilatus ab anno 26-36, Paulus haec non ignorans certe tres vel quattuor annos non potuisset dicere multos; saltem sex vel septem annos debuit intelligere. Ceterum si narrationi Taciti quidquam veri subest, nulla prorsus potest esse difficultas (cf. *Bels.* l. c. 363).

Statim accusationem seditionis diluendam aggreditur ostendens se

per paucos solum dies in urbe Ierusalem commoratum ne tempus quidem habuisse ad movendam seditionem v. 11 *potes (enim) cognoscere* ἐπιγνῶναι accurate cognoscere, *quia non plus sunt mihi dies quam duodecim ex quo ascendi adorare in Ierusalem;* dies censendi sunt pleni et integri; quare dies quo advenit in urbem (post meridiem fortasse, quia sequenti solum die adit Iacobum) et dies iste quo sese defendit non erunt computandi. Unde primus dies ille est quo adit Iacobum, secundus, quo purificatus intrat in templum (21, 18.26), die sexto (vide ad 21,27) capitur a Iudaeis; die septimo orationem habet coram synedrio (22,30-23,10), die octavo vespere ducitur Antipatridem, die nono advenit Caesaream; post quinque dies i. e. die tertio decimo adveniunt Iudaei ex urbe cum Tertullo et accusatur Paulus, qui dies utpote nondum completus non computatur (ita *Felt. Wendt;* similiter *Calm.;* alii alio modo computant, qui v. gr. dies quinque 24,1 numerant a profectione ex Ierusalem, uti *Beel. Patr.*). Offenduntur aliqui critici eo quod Paulus dicat se venisse in urbem ut adoraret, quasi res non ad veritatem sed ad circumveniendum iudicem proponeretur adeoque non satis integre institueretur defensio (cf. *Overb. Wendt*); putant enim apostolum debuisse dicere se ascendisse, ut fidelibus afferret eleemosynas ethnico-christianorum et ut unionem et concordiam efficeret inter utrosque. Iam de eleemosynis statim loquitur v. 17; verissime autem potuit dicere προσκυνήσων; nam festinabat iter faciens, ut diem pentecostes ageret Ierosolymis; proin ad festum diem ascendit, idque iudici gentili explicat utens generali voce ad cultum divinum designandum. Hoc plane verum erat, hoc aptum et sufficiens ad accusationem refellendam de violatione templi; insuper quis esset nexus inter hanc accusationem et desiderium consiliumque Pauli fideles palaestinenses benevolos reddendi fidelibus ex gentibus? Ad quid igitur hoc afferret?

Et quam longe abfuerit a violatione templi, etiam accuratius ostendit v. 12 *et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbae, neque in synagogis;* synagogae veluti totidem scholae erant, ubi publice lex docebatur coetusque habebantur publici ad sacrorum voluminum lectionem et preces communes; fas utique fuisset apostolo eo cum ceteris convenire diputationesque pro more de Scripturarum sensu agitare; sed nec eo venerat (*Calm.*); fabulantur rabbini fuisse in urbe 480 synagogas atque in singulis et beth-sepher et beth-talmud (cf. *Schürer* II p. 354); v. 13 *neque in civitate; neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant;* « accusationes sola negatione di-

luit; cum enim adversarii nullum idoneum dictorum suorum testem adducerent, ius erat apostolo sola negatione se purgare; actoris est probare; probare dicta ad accusatores pertinebat; Pauli vero erat illorum argumentis respondere » (*Calm.*).

Neque tamen solum negat accusationes, sed ea profert quibus crimina excluduntur; v. 14 *confiteor autem hoc tibi quod secundum sectam quam dicunt haeresim* κατὰ τὴν ὁδὸν 22,4 secundum viam scil. religionis et cultus (9,2) quam hi haeresim, sectam, factionem dicunt, *sic deservio Patri et Deo meo,* τῷ πατρῴῳ Θεῷ i. e. Deo patrum nostrorum; *sic,* ipsa mea vita et religione colo Deum patrium, Deum nostrum a maioribus adoratum; proin nulla ratione se esse desertorem patriae religionis asseverat cum emphasi, *credens omnibus quae in lege et prophetis scripta sunt,* v. 15 *spem habens in Deum quam et hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram iustorum et iniquorum;* duobus participiis declaratur illud *sic;* quia resurrectio in prophetis docetur (cf. Is. 26,19. Ez. 37,4 seq. Dan. 12,2) et a plerisque Iudaeis credebatur, poterat apostolus ad praesentes Iudaeos provocare, etsi inter Iudaeos fuerit pars quaedam et factio eam negantium. Demonstrat itaque apostolus modo pro praeside consantaneo et apto se nullatenus esse alienum a religione patria; proinde se non esse quod Tertullus indicaverat ducem et antisignanum factionis religioni hostilis. Et hac religione et fide se revera in vitae ratione dirigi affirmat v. 16 *in hoc* in eo scil. statu mentis constitutus, vel ut alii explicant : propterea (cf. *Beel. Patr. Felt. Wendt, Bl.*) *et ipse studeo* ἀσκῶ laboro, me exerceo *sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper,* conscientiam habere ἀπρόσκοπον quae scil. nulla culpa sibi conscia percutiatur; ita contendit vivere, ut et apud homines nunquam arguatur offensionis.

Iam transit ad illud particulare, quod captivitati eius ansam dedit et quod Tertullus speciali modo in v. 6 tetigit; quae adiungit, praeterea valde idonea sunt ad suam causam penitus cognoscendam v. 17 *post annos autem plures* (cf. 18,22) *eleemosynas facturus in gentem meam veni et oblationes* (*et vota*), neque gig habet et vota; en hic explicite statuitur etiam illa ratio itineris quam apostolus in epistolis suis saepius tangit (Rom. 15,25. 1 Cor. 16,1. 2 Cor. 9,19); quare affirmatur id quod *Weizs. Wendt* iam prius debuisse dici volunt, quasi prudenti lectori non sufficere debeat id semel indicari. Oblationes dicit sacrificia nasiraeatus completi pro quibus impendit pecuniam (21,24. 26) v. 18 *in quibus* ἐν αἷς (προσφοραῖς), dum haec scil. fierent sacrificia, *invenerunt me purificatum* (21,26), proin sanctitatem templi reveritum, nullatenus violantem, *in templo, non cum*

turba, neque cum tumultu, cf. v. 12; iterum hoc commemorat utpote rem maximi momenti pro iudice stante illa accusatione. Quare fidenter etiam provocat et ad eos qui ipsum in templo comprehenderunt et ad praesentes synedristas v. 19 *quidam autem ex Asia Iudaei quos oportebat apud te praesto esse et accusare si quid haberent adversum me;* explica τινὲς δέ, ita ut particula δὲ inferat novam rem cum aliqua oppositione et suppleatur verbum antecedens : εὗρον : invenerunt me, non illi qui nunc adsunt sed aliqui Iudaei (cf. *Klotz,* Devar. II p. 256); hi debebant adesse; sed cum ipsi non compareant primi accusatores, iam innuit apostolus falsa esse quae sibi imputarentur. Quod eo fidentius a se dici indicat cum pergat v. 20 *aut hi ipsi dicant* εἰπάτωσαν imperando et eos quasi digito demonstrando loquitur cum iusta quadam indignatione, (*si*) *quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio,* cum essem coram synedrio 23,1 seq., v. 21 *nisi de una hac solummodo voce qua clamavi inter eos stans : quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis,* ἐφ' ὑμῶν coram vobis, apud vos. Ex hac voce ortus est totus ille tumultus, ex quo Paulus ne discerperetur ereptus est a tribuno; inde coniuratio facta et abductio in Caesaream (23,6 seq.). Intellexit sane praeses affirmationem Pauli omnino congruere illis quae Lysias scripserit 23,28. 29 eum accusari solum de quaestionibus legis.

Iam quid iudex? ex epistola Lysiae et defensione Pauli potuit ac debuit Paulum absolvere. Synedristae autem postulabant eius condemnationem et insuper ius suum puniendi Paulum a tribuno esse iniuste impeditum affirmarant (v. 6.7). Cum igitur hi Lysiam quoque incusarent, ex una parte, ex altera autem ad eum utpote testem provocarent (v. 8), mediam quandam viam eligit iudex : rem amplius esse inquirendam v. 22 *distulit autem illos Felix* ἀνεβάλετο. ampliavit eos i. e. pronuntiavit *amplius* (scil. quaerendum esse) quod faciebant iudices, si neque ad condemnandum neque ad absolvendum res sibi satis liquere videretur (*Bl.*) *certissime sciens de via hac* ἀκριβέστερον accuratius cognitam habens religionem novam; cum iam ex pluribus annis esset in Iudaea et cum Caesareae etiam esset coetus Christianorum, poterat satis nosse eam religionem ita ut etiam veram causam accusationis facile perspiceret. Haec poterat ei esse ratio, ut non condemnaret Paulum. Differendi autem iudicii causam allegat hanc ex oratione Tertulli depromptam : *dicens : cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos;* noluit synedristas offendere Paulum absolvendo, iis autem aliquatenus saltem satisfacere, dum novam diceret instituendam esse inquisitionem Lysia praesente. Verum minime sollicitus fuit, ut Lysias se sisteret; quid

homo vaferrimus et avarus spectarit, satis declaratur v. 26. 27.

Id saltem aequitatis in Paulum quem insontem culpa esse perspexit observavit, ut levi custodia eum teneret v. 23 *iussitque centurioni custodire eum et habere requiem* ἄνεσιν remissionem, lenem captivitatis conditionem a vexatione et severitate alienam, *nec quemquam de suis prohibere ministrare ei,* « Lucam inquam, Trophimum, Aristarchum aliosque fortasse qui cum ipso venerant Hierosolymam, quosque credere est atque adeo ex hoc loco satis apparet, ut audierunt Paulum abductum Caesaream, statim se illuc contulisse » (*Patr.*). Comparant quod *Iosephus* de Agrippae custodia scribit : φυλακὴ μὲν γὰρ καὶ τήρησις ἦν, μετὰ μέντοι ἀνέσεως τῆς εἰς τὴν δίαιταν (Antiq. 18,6,10). At Paulus in custodia militari manebat; cf. v. 27.

Ex biennio hoc captivitatis aliqua Lucas refert; v. 24 *post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua quae erat Iudaea vocavit Paulum;* notat *Cai.* : nisi Drusilla fuisset causa huius vocationis, non nominasset Lucas Drusillam Iudaeam; et *Lap.* scribit : incitante forte Drusilla uxore, quae cum esset Iudaea ex curiositate volebat audire quaenam esset nova secta quae a Iudaeo Paulo praedicabatur, ac quid differret christianismus a iudaismo, Felix iterum vocavit Paulum. Quod isti (cf. *Felt.* quoque) merito suspicati sunt, altera lectione clare enuntiatur, quam *Cassiod.* quoque cognitam habuit, cum scribat : rogatus Felix a Drusilla coniuge sua coram ea Paulum fecit adduci. Erat Drusilla filia Agrippae I de quo vide 12,1. 19 seq., soror Agrippae II; cum pater eius moreretur, ipsa erat sexennis (*Iosephus,* Antiq. 19,9,1) et iam desponsata Epiphani Antiochi Commagenorum regis filio, qui tamen quia noluit circumcidi eius nuptias recusavit (l. c. 20,7,1); Agrippa II autem, cum anno duodecimo Claudii completo a Claudio donatus esset Philippi tetrarchia et Batanea et Trachonitide una cum Abila (Chalcide tamen ablata), Drusillam sororem Azizo Emesorum regi in matrimonium collocavit (l. c.). Non multum autem post Felix conspecta Drusilla, quae omnes pulchritudine praecellebat, eius tenebatur desiderio et per Iudaeum quendam Cyprium, nomine Simonem ei suadendum curabat, ut relicto marito sibi nuberet. Quod ipsa quoque fecit contra patria instituta; παραβῆναι τὰ πάτρια νόμιμα πείθεται (l. c. 20,7,2). Dicitur Felix a Suetonio trium reginarum maritus (Claudius 28); unam ex iis nominat *Tacitus* etiam Drusillam, Cleopatrae et Antonii neptem, ut eiusdem Antonii Felix progener esset (Hist. 5,9). Quae fuerit tertia Felicis uxor ignoratur. Drusilla Felici nupsit Claudio Imperatore; nam Azizus rex Emesorum primo anno Neronis mortuus est (l. c. 20,8,4); cum anno 44 esset sexennis, florentissima iuventute annos nata 15 vel 16 Felici iuncta est.

Apostolus autem non solum eius curiositati satisfecit disserens de fide in Christum Iesum, verum etiam ea praedicavit adulteris illis quae non exspectarant; *et audivit ab eo fidem quae est in Christum Iesum;* proin prius exposuit Iesum esse revera Messiam illum quem Iudaeos exspectare Drusilla novit; sed simul huius Iesu doctrinam proposuit eam qua conscientia utriusque percuteretur v. 25 *disputante autem illo de iustitia* — et Felix per omnem saevitiam et libidinem ius regium servili ingenio exercuit (*Tacitus,* Hist. 5,9) *et castitate et de iudicio futuro tremefactus Felix respondit : quod nunc attinet vade; tempore autem opportuno accersam te;* talis doctrina de divinis mandatis et de severo Dei in peccatores iudicio et supplicio aeterno Felici nova erat adeoque terrorem ei incussit; at conscientiae stimulos reprimens molestum praedicatorem tacere et abire iubet, simul coram eo terrorem sibi incussum dissimulare tentans, cum dicat : tempus opportunum nactus ad me accersam (μετακαλέσομαι) te. Nihil additur de Drusilla; ipsi mandata Dei non erant incognita neque iudicium futurum. Unde fortasse illi accidit quod peccatoribus et apostatis evenire solet, ut animos gerant plane obduratos neque ulla doctrina iam tangantur.

Terror ille etiam apud Felicem brevi mala cupiditate victus et exstinctus est. Audierat de eleemosynis quas Paulus pro aliis collegit; novit eum doctorem insignem religionis christianae; videbat studia amicorum in eum. Iam is qui pro aliis multum pecuniae accepit, profecto pro se ad libertatem emendam plurimam poterit accipere; unde v. 26 *simul et sperans quod pecunia ei daretur a Paulo;* neque eum puduit id Paulo insinuare, ut scil. libertatem pecunia coemeret; indicatur enim hoc : *propter quod* quia sperabat pecuniam sibi dari, διὸ καὶ ut illiceret illum ad se pecunia temptandum (*Bl.*) *et frequenter accersens eum loquebatur cum eo;* verum Paulus spem fefellit nec se pecunia redimere voluit, verum se et vitae suae rationes divinae commisit dispositioni libenter portans quoque captivitatem pro nomine Iesu. Felix autem spe pecuniae tandem accipiendae captus noluit alteram inquisitionem instituere, uti v. 22 promiserat, quamvis synedristae saepius monerent, uti colligendum est ex 25,2, quia scil. statim successorem Felicis adeunt eius postulantes opem contra Paulum; v. 27 *biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum;* quando id fuerit, vide Proleg. p. 14 seq. Videtur Felix egisse eo modo quem in Albino *Iosephus* describit : is solum qui nihil dedisset in carceribus tamquam maleficus retinebatur (Bell. iud. 2,14,1); insuper maxime erat, cur desideraret id facere quod gratum esset Iudaeis; *volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum vinc-*

tum; secundum alteram lectionem διὰ Δρούσιλλαν, potest utrumque verum esse (*Bl.*); nam mulierem Paulo fuisse maxime infensam propter sermonem de castitate quis negabit? proin ex utraque parte Festus ad iniustitiam illam vehementer inducebatur (*Bels.*). Neque tamen Iudaeorum iram et accusationem effugit. Nam primores Iudaeorum Caesaream incolentium Romam profecti contra eum accusationem instituerunt, et dedisset omnino poenas iniuriarum, nisi Nero precibus Pallantis fratris eius, qui tum maxime apud eum in honore erat, multa indulsisset (Antiq. 20,8,9).

Arbitrarie e textu tamquam interpolationem *Overb. Hilg.* expungunt v. 17-21 : ad quid iste reditus ad accusationem, cum iam omnes accusationes refutatae sint? Id falso asseri et partem hanc necessariam esse ad orationem Tertulli refellendam, supra iam ostensum est. *Hilg.* haec abesse vult, quia supra etiam 21,23. 24. 26 et 22,30-23,10. 28. eiecit. Praeterea obiicit in v. 17 Paulum velle venisse in urbem, non ut adoraret, prout modo dixerit 24,11, sed ut eleemosynas pro gente offerret et oblationes. Pariter eiicit v. 25, quo contextus interrumpatur. Haec asseri sine ratione sufficiente, eo minus probatione indiget, quia etiam interpretes protestantes *Wendt, Weiss* eos locos tuentur et contra nimiam licentiam criticam defendunt. Solum adverte, num possit illud de Iudaeis asianis v. 19 abesse? cur sperat Felix pecuniam a Paulo se accepturum? quia audivit de eleemosynis a Paulo allatis!

c) Paulus coram Festo 25,1-12.

25,1. Festus ergo quum venisset in provinciam, post triduum ascendit Ierosolymam a Caesarea. 2. Adieruntque eum principes sacerdotum et primi Iudaeorum adversus Paulum, et rogabant eum, 3. Postulantes gratiam adversus eum, ut iuberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via. 4. Festus autem respondit servari Paulum in Caesarea; se autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.

6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Caesaream, et altera die sedit pro tribunali, et iussit Paulum adduci. 7. Qui quum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Ierosolyma descende-

25,1. Φῆστος οὖν, ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχείᾳ, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ἀπὸ Καισαρείας. 2. ἐνεφάνισάν τε αὐτῷ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρῶτοι τῶν Ἰουδαίων κατὰ τοῦ Παύλου καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, 3. αἰτούμενοι χάριν κατ' αὐτοῦ, ὅπως μεταπέμψηται αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, ἐνέδραν ποιοῦντες ἀνελεῖν αὐτὸν κατὰ τὴν ὁδόν. 4. ὁ μὲν οὖν Φῆστος ἀπεκρίθη, τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον εἰς Καισαρείαν, ἑαυτὸν δὲ μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι· 5. Οἱ οὖν ἐν ὑμῖν, φησί, δυνατοὶ συνκαταβάντες, εἴ τί ἐστιν ἐν τῷ ἀνδρὶ ἄτοπον κατηγορείτωσαν αὐτοῦ.

6. Διατρίψας δὲ ἐν αὐτοῖς ἡμέρας οὐ πλείονας ὀκτὼ ἢ δέκα, καταβὰς εἰς Καισάρειαν, τῇ ἐπαύριον καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος ἐκέλευσεν τὸν Παῦλον ἀχθῆναι. 7 παραγενομένου δὲ αὐτοῦ, περιέστησαν αὐτὸν οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβεβηκότες Ἰουδαῖοι, πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιώματα καταφέροντες

rant Iudaei, multas et graves causas obiicientes, quas non poterant probare, 8. Paulo rationem reddente : Quoniam neque in legem Iudaeorum, neque in templum, neque in Caesarem quidquam peccavi. 9. Festus autem volens gratiam praestare Iudaeis, respondens Paulo dixit : Vis Ierosolymam ascendere, et ibi de his iudicari apud me? 10. Dixit autem Paulus : Ad tribunal Caesaris sto, ibi me oportet iudicari : Iudaeis non nocui, sicut tu melius nosti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori : si vero nihil est eorum quae hi accusant me, nemo potest me illis donare. Caesarem appello. 12. Tunc Festus cum concilio locutus respondit : Caesarem appellasti? ad Caesarem ibis.

ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι, 8. τοῦ Παύλου ἀπολογουμένου ὅτι οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν, οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον. 9. ὁ Φῆστος δὲ θέλων τοῖς Ἰουδαίοις χάριν καταθέσθαι, ἀποκριθεὶς τῷ Παύλῳ εἶπεν, Θέλεις, εἰς Ἱεροσόλυμα ἀναβὰς, ἐκεῖ περὶ τούτων κριθῆναι ἐπ' ἐμοῦ; 10. εἶπεν δὲ ὁ Παύλος, Ἑστὼς ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρός εἰμι, οὗ με δεῖ κρίνεσθαι. Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκηκα, ὡς καὶ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις· 11. εἰ μὲν οὖν ἀδικῶ καὶ ἄξιον θανάτου πέπραχά τι, οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν· εἰ δὲ οὐδέν ἐστιν ὧν οὗτοι κατηγοροῦσίν μου, οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι· Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. 12. τότε ὁ Φῆστος, συνλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου, ἀπεκρίθη, Καίσαρα ἐπικέκλησαι, ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ.

In v. 1 gig post biduum. In v. 2 ο αρχιερευς HP al longe pler Thphyl, οι αρχιερεις ℵABCEL al 25 cat syr cop arm aeth Chr Thphyl[b]. In v. 3 ph (mg) add in fine : illi qui votum fecerunt quomodo obtinerent ut in manibus suis esset.

Festus, melioris indolis vir, per biennium munus procuratoris gessit; pauca de eo refert *Iosephus* (Antiq. 20,8,9-11. Bell. iud. 2, 14,1); v. 1 *Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Ierosolymam a Caesarea;* studium ostendit conditionem provinciae cognoscendi. Ea occasione pro suo inveterato odio utuntur synedristae v. 2 *adieruntque* ἐνεφάνισαν (23,15; 24,1) *eum principes sacerdotum et primi Iudaeorum,* synedristae (cf. 24,1); eo tempore autem Ananias (23,2; 24,1) iam pontificatu privatus erat; nam Felice adhuc procuratore Agrippa rex pontificatum contulerat in Ismaelum Phabi filium (Antiq. 20,8,8); inter synedristas erant nobiliores ex sacerdotibus, ἀρχιερεῖς, vide 4,6 ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ, ex iis familiis ex quibus pontifices eligebantur; *adversus Paulum,* ei denuntiarunt adversus Paulum; accusationes protulerunt, *et rogabant eum,* v. 3 *postulantes gratiam adversus eum,* quam instanter rem desideratam a praeside obtinere cupiunt declaratur; id a novo praeside ut primum favorem expetunt, insinuantes quam grato auspicio procurationem sit aggressurus et nobilium Iudaeorum animos maxime sibi devincturus, *ut iuberet perduci eum in Ierusalem,* ὅπως μεταπέμψηται ut arcesseret eum; sed quo consilio id ab eo flagitent, additur : *insidias tendentes, ut interficerent eum in via* scil. per sicarios qui eo tempore ad omne genus scelerum paratissimi erant; nam « ad maximum numerum excreverant ensiculis parvis utentes;

turbae permisti quotquot voluerint nullo negotio trucidabant » (Antiq. 20,8,10). Idem ergo synedristae fieri volunt quod antea iam approbarant in quadraginta illis coniuratis (23,13), quos idem hoc loco tentare voluisse, additur in versione syriaca philoxeniana (marg.).

Ex v. 16 videntur prius postulasse, ut Festus Paulum capitis damnaret; idem colligitur ex v. 24; quod cum Festus solis accusatoribus auditis nollet praestare, tum petebant, ut eum arcesseret statim in urbem; neque hoc Festus concedit v. 4 *Festus autem respondit; servari Paulum in Caesarea* εἰς, scil. in quam urbem abductus sit in custodiam; ibi innuit esse tribunal procuratoris coram quo sit iudicandus; non vult Iudaeis quasi quandam exceptionem concedere; quare cum firma quadam auctoritate et emphasi τηρεῖσθαι primo loco ponitur; atque eo minus opus esse a consueto ordine recedere, quia ipse brevi reversurus sit Caesaream : *se autem maturius profecturum*, ἐν τάχει, celeriter, cito, mox, brevi; v. 5 *qui ergo in vobis* (*ait*) *potentes sunt* δυνατοί; quinam sunt isti potentes? explicant alii : qui idonei sunt; alii : quibus commodum est iter illud instituere; ita gig quoque : qui inter vos possunt. At erit exponendum : qui inter vos auctoritate praestant (cf. *Beel. Patr. Felt. Wendt, Weiss*), neque obstat id quod *Bl.* monet Festum cum ipsis proceribus δυνατοῖς loqui; nam cum multi ex synedristis adierint Festum, omnino ad eos dici potest, ut qui sint inter eos potentes et praecipua auctoritate emineant, *descendentes simul, si quod est in viro crimen* ἄτοπον improbum, *accusent eum;* insuper attendere oportet Festum recentissime advectum adiri a Iudaeis quos nondum cognoscat, quorum auctoritas apud populares ipsi pariter est ignota; esse illos nobiles poterat utique facile advertere. Quid itaque magis est ad rem quam ut dicat ad eos quod dixisse Lucas refert? Ceterum *Iosephus* quoque haud raro δυνατούς nominat simul cum principibus sacerdotum (cf. *Patr. Schürer* II p. 153).

Et Caesaream reversus Festus continuo praestat quod Iudaeis promiserat v. 6 *demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, descendit Caesaream;* modus loquendi de tempore commorationis videtur indicare narratorem, qui Caesareae consistens noverit quidem quamdiu a Caesarea abfuerit, verum quamdiu inter Hierosolymitanos versatus fuerit et quod tempus fortasse aliis urbibus invisendis vel itineri impenderit, non accurate assequi potuerit (cf. *Weiss*). Festus autem Caesaream revertitur; nam procuratorem novum mox in sede sua salutatum iriab aliis principibus, Romanorum amicis, exspectari debuit (cf. v. 13. 23); *et altera die sedit pro tri-*

bunali (12,21) *et iussit Paulum adduci;* monstrant omnia magistratum qui strenue munera sua capessit (*Bl.*); v. 7 *qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Ierosolyma descenderant Iudaei, multas et graves causas obiicientes quas non poterant probare;* nam bene intellexerant ad praesidem commovendum veteres illas quas antea proposuerant non sufficere; quare addunt accusationes laesae maiestatis, ut patet ex v. 8 *Paulo rationem reddente* ἀπολογουμένου causam suam defendente : *quoniam neque in legem Iudaeorum, neque in templum, neque in Caesarem quidquam peccavi;* priorem igitur accusationem de seditione 24,5 iam ita exornabant, ut crimen in Caesarem eiusque imperium commisisse eum dicerent. Duas priores accusationes Paulus eodem modo diluit, uti antea 24,11-21; a Felice de illis non erat iudicatus; Festus de quaestionibus legis parum curavit. Pro tertio crimine quod non in Ierusalem, sed in variis urbibus eum commisisse probabilissime ex variis illis Iudaeorum contra Paulum perturbationibus eruere volebant, non habebant testes atque ea accusatio statim suspecta videri debuit Festo qui optime sciebat magistratus romanos sedulo in rebelles invigilare eosque severe punire. Actores autem nullam Pauli condemnationem poterant asserere, Paulus e contra demonstrare poterat se fuisse dimissum liberum actoribus et accusatoribus reiectis (cf. 16,39; 18,15-17). Ceterum vide ad v. 19.

Tertia accusatio itaque non poterat sustineri. Duae priores, etsi probarentur, non videbantur spectare ad tribunal magistratus romani, quia in re religiosa aliqua iurisdictio competebat synedrio (cf. 9, 1 seq.). Iudaei plurimum instabant apud procuratorem, ut Paulus condemnaretur; eos ab initio sibi infensos reddere, non videbatur esse consultum; unde v. 9 *Festus autem volens gratiam praestare Iudaeis respondens Paulo dixit : vis Ierosolymam ascendere et ibi de his iudicari apud me?* ut scil. ibi de quaestione religiosa a synedrio iudicaretur; dicit ἐπ' ἐμοῦ coram me, me praesente; ne scil. quidquam iniquius statueretur et ut dignitas civis romani in tuto collocaretur, promisit se praesentem fore, quippe qui sententiam synedrii vel ratam habere vel irritam declarare vel mutare posset. Interrogat autem Paulum, quia civis romanus ius habebat fori romani, ut scil. eius causa a magistratu romano iudicaretur, neque invitus poterat hoc iure privari. Paulus quoque quid iuris sit bene noscit; optime perspectas habet insidias synedristarum eorumque iniquitates; quare libere respondet v. 10 *dixit autem Paulus : ad tribunal Caesaris sto; ibi me oportet iudicari;* procurator nomine et auctoritate Imperatoris iudicat; nam « quae acta gestaque sunt a procuratore Caesaris,

sic ab eo comprobantur atque si a Caesare ipso gesta sint » (*Ulpianus*, L. I D de offic. procuratoris; *Beel. Patr. Felt. Wendt*).

Atque insuper reiicit Paulus cum aliqua indignatione illud effugium Festi rem devolvendi tandem ad synedrium : *Iudaeis non nocui*, οὐδὲν ἠδίκηκα nihil iniuriae, nihil iniusti commisi contra Iudaeos *sicut tu melius nosti*, κάλλιον optime (24,22; *Bl.*); iudicem perstringit, quod causam melius perspexerit, quam interrogatione illa proposita prodere velit. Et aperte enuntiat ad quid tandem illud eius consilium perventurum esset, si illud acciperet; v. 11 *si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori*, εἰ μὲν οὖν i. e. cum itaque ad tuum tribunal quod est tribunal Caesaris stem, si te iudice nocens sum et crimen capitale admisi, a te capitis damnari non recuso; proin a procuratore vult iudicari; sed cum ille iudicium detrectet et rem velit ad synedrium devolvere, cernit Paulus fore ut arbitrio synedristarum tradatur, utique perimendus; *si vero nihil est eorum quae hi accusant me, nemo potest me illis donare* χαρίζεσθαι, ut scil. quasi de dono benevole dato pro lubitu disponant. Severe monet procuratorem (*nemo*) de iure violato; unde *Caesarem appello*, provoco ad Caesarem; hoc ius a tribunali procuratoris ad Caesarem provocandi competebat civi romano (cf. *Mommsen*, Röm. Staatsrecht 2. ed. II p. 258). Paulus eo libentius iure suo utitur, quia Romam venire iam diu desiderabat (19,21; 23,11. Rom. 1,10; 15,23 cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis iam praecedentibus annis).

Ex v. 11 videtur consequi Paulum provocasse ad Caesarem ea solum conditione, si Festus causam vellet devolvere ad synedrium. Provocatio ad Caesarem poterat a magistratu negligi, si magnum quoddam periculum immineret aut si facta esset sine sufficienti ratione (cf. *Wendt*); ex iure autem ante sententiam appellari potest, si quaestionem in civili negotio habendam iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra leges hoc faciat (Digest. XLIX, 5,2; *Wetstein*). Moris erat ut magistratus haberent in iure dicundo assessores vel consiliarios (*Bl.;* exempla affert *Schürer* I p. 391); unde v. 12 *tunc Festus cum concilio locutus, respondit : Caesarem appellasti, ad Caesarem ibis;* putandum sane est Festum eam occasionem libenter arripuisse, qua se a causa molesta liberaret; si enim Paulum absolvisset, maximam se incurrere sciebat Iudaeorum invidiam; eum vero condemnare qua erat aequitate non potuit (cf. v. 25). Et quam celeriter illam occasionem arripuerit, patet quia mox conqueritur, se non habere quid certum scribat ad Caesarem.

d) Festus rem cum Agrippa communicat 25,13-27.

25,13. Et quum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Caesaream ad salutandum Festum. 14. Et quum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens : Vir quidam est derelictus a Felice vinctus. 15. De quo, quum essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum et seniores Iudaeorum, postulantes adversus illum damnationem. 16. Ad quos respondi : Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Quum ergo huc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum. 18. De quo, quum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum; 19. Quaestiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Haesitans autem ego de huiusmodi quaestione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, et ibi iudicari de istis. 21. Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, iussi servari eum, donec mittam eum ad Caesarem.

22. Agrippa autem dixit ad Festum : Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die quum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis, iubente Festo adductus est Paulus. 24. Et dixit Festus : Agrippa rex, et omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc de quo omnis multitudo Iudaeorum interpellavit me Ierosolymis, petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicavi mittere. 26. De quo

25,13. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν, Ἀγρίππας ὁ βασιλεὺς καὶ Βερνίκη κατήντησαν εἰς Καισάρειαν, ἀσπασάμενοι τὸν Φῆστον. 14. ὡς δὲ πλείους ἡμέρας διέτριβον ἐκεῖ, ὁ Φῆστος τῷ βασιλεῖ ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον, λέγων, Ἀνήρ τίς ἐστιν καταλελειμμένος ὑπὸ Φήλικος δέσμιος, 15. περὶ οὗ, γενομένου μου εἰς Ἱεροσόλυμα, ἐνεφάνισαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τῶν Ἰουδαίων, αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ καταδίκην· 16. πρὸς οὓς ἀπεκρίθην, ὅτι οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον, πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους, τόπον δὲ ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος. 17. συνελθόντων οὖν ἐνθάδε ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος, τῇ ἑξῆς καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος ἐκέλευσα ἀχθῆναι τὸν ἄνδρα· 18. περὶ οὗ σταθέντες οἱ κατήγοροι οὐδεμίαν αἰτίαν ἔφερον ὧν ἐγὼ ὑπενόουν πονηρῶν· 19. ζητήματα δέ τινα περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας εἶχον πρὸς αὐτόν, καὶ περί τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῇν. 20. ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ τὴν περὶ τούτων ζήτησιν, ἔλεγον, εἰ βούλοιτο πορεύεσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα, κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. 21. τοῦ δὲ Παύλου ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, ἐκέλευσα τηρεῖσθαι αὐτὸν, ἕως οὗ ἀναπέμψω αὐτὸν πρὸς Καίσαρα.

22. Ἀγρίππας δὲ πρὸς τὸν Φῆστον Ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι. Αὔριον, φησίν, ἀκούσῃ αὐτοῦ. 23. Τῇ οὖν ἐπαύριον ἐλθόντος τοῦ Ἀγρίππα καὶ τῆς Βερνίκης μετὰ πολλῆς φαντασίας, καὶ εἰσελθόντων εἰς τὸ ἀκροατήριον, σύν τε χιλιάρχοις καὶ ἀνδράσιν τοῖς κατ' ἐξοχὴν τῆς πόλεως, καὶ κελεύσαντος τοῦ Φήστου, ἤχθη ὁ Παῦλος. 24. καί φησιν ὁ Φῆστος, Ἀγρίππα βασιλεῦ, καὶ πάντες οἱ συνπαρόντες ἡμῖν ἄνδρες, θεωρεῖτε τοῦτον, περὶ οὗ ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν Ἰουδαίων ἐνέτυχέν μοι ἔν τε Ἱεροσολύμοις καὶ ἐνθάδε, βοῶντες μὴ δεῖν αὐτὸν ζῇν μηκέτι. 25. ἐγὼ δὲ κατελαβόμην μηδὲν ἄξιον αὐτὸν θανάτου πεπραχέναι, αὐτοῦ δὲ τούτου ἐπικαλεσαμένου τὸν Σεβαστὸν, ἔκρινα πέμπειν. 26. περὶ οὗ ἀσφαλές τι

quid certum scribam domino non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas eius non significare.

γράψαι τῷ κυρίῳ οὐκ ἔχω· διὸ προήγαγον αὐτὸν ἐφ' ὑμῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ σοῦ, βασιλεῦ Ἀγρίππα, ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης σχῶ τί γράψω. 27. ἄλογον γάρ μοι δοκεῖ, πέμποντα δέσμιον, μὴ καὶ τὰς κατ' αὐτοῦ αἰτίας σημᾶναι.

In v. 13 longe pler ασπασαμενοι. In v. 15 δικην EHLP 16. al longe plu cat Chr. In v. 16 ανθρωπον εις απωλειαν HLP al pler cat syr ph c* gig Chr Thphyl. In v. 18 πονηραν AC* mu minusc cat, gig nullam afferebant causam malam. In v. 19 gig de sua religione. In v. 21 gig tunc paulus appellavit cesarem et petiit ut reservaretur ad augusti cognitionem; cumque eum non posset (? possem) iudicare, iussi eum reservari, ut remittam eum cesari. In v. 23 ph (mg) et viris qui descenderant de provincia (eparchia) praecepit Festus, ut adduceretur Paulus. In v. 24 ph (mg) et in Ierusalem et hic ut traderem eum iis ad tormentum sine defensione; non potui autem tradere eum propter mandata quae habemus ab Augusto; si autem quis eum accusaturus esset, dicebam, ut sequeretur me in Caesaream, ubi custodiebatur; qui cum venissent clamaverunt ut tolleretur e vita. Cum autem hanc et alteram partem audivissem, comperi quod in nulla re reus esset mortis. Cum autem dicerem : vis iudicari cum iis Hierosolymis, Caesarem appellavit; sim bohem : petentes ut eum in mortem traderem; sed in accusatione non potui eum tradere propter praeceptum quod habemus a Caesare. Si quis autem velit cum eo iudicio contendere (sequatur eum) Caesaream.

Dum Festus opportunitatem aliquam opperitur Paulum mittendi Romam, invisitur ab Agrippa; de eo vide quae notata sunt ad 24,24; ad regiones quas ei Claudius donaverat addidit Nero partem quandam Galilaeae, Tiberiadem et Taricheas, item Iuliadem Peraeae urbem et vicos quattuordecim eius in vicinia positos (*Iosephus*, Antiq. 20,8,4). Iam Claudius Herodi, Agrippae I fratri, principi Chalcidis, dederat potestatem templi sacraeque pecuniae et ius creandi summos pontifices et haec omnia etiam erant apud Agrippam II (Antiq. 20,1,3) et iure illo creandi summos sacerdotes sedulo usus est (l. c. 20,8,8. 11; 20,9,1); v. 13 *et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Caesaream* κατήντησαν pervenerunt, *ad salutandum Festum;* ἀσπασάμενοι est lectio valde communis; participium aoristi adiectum ad aoristum potest significare id in quo actio illa aoristo declarata consistat vel exprimatur (cf. *Krüger* 53,6,8). Quam notionem si retinueris, ipsum illud pervenire Caesaream quasi salutatio procuratoris designatur (*Wendt, Weiss*); aliis tamen videtur ἀσπασόμενοι esse legendum cum testibus paucioribus; nam prior illa acceptio subtilior videtur esse : advenerunt salutaturi (cf. *Felt. Bl.*). Bernice soror Agrippae erat natu maxima; annos nata sexdecim Herodi patruo in matrimonium erat collocata (Antiq. 19,9,1); post eius mortem diu erat vidua, sed fama percrebrescente consuetudinis incestuosae

cum fratre nupsit Polemoni, regi Ciliciae; verum hoc quoque coniugium non diu irruptum mansit; δι' ἀκολασίαν reliquit Polemonem (Antiq. 20,7,3) et rediit ad fratrem; postea « seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata » (*Tacitus,* Hist. 2,81), etiam Titus eam adamavit, imo etiam nuptias pollicitus ferebatur (*Sueton.* Titus 7).

Agrippam rerum iudaicarum haud ignarum consulit Festus; cum enim nihil criminis in Paulo invenisset et tamen videret, quanto odio letali eum primores Iudaeorum prosequerentur, pronum erat rem cum Agrippa communicare, ut ab eo audiret quid fortasse rei subesset v. 14 *et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo* ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον causam Pauli ei exposuit, *dicens : vir quidam est derelictus a Felice vinctus,* v. 15 *de quo cum essem Ierosolymis adierunt me principes sacerdotum et seniores Iudaeorum postulantes adversus illum damnationem;* si id contuleris cum 25,2. 3, dicere poteris, Iudaeos id prius postulasse et id quasi innui in illo : adierunt eum contra Paulum; quod cum Festus recusasset, dein illos postulasse gratiam ut eum iuberet perduci in Ierusalem. Posset discrimen etiam explicari ita, ut Festus coram Agrippa maluerit rem vertere in maiorem laudem romanae iustitiae, et modus quo loquitur in v. 16 hanc suspicionem non tollit v. 16 *ad quos respondi : quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem* χαρίζεσθαι unde Iudaei petebant, uti sibi traderet Paulum interimendum; vel Festus ita rem enarrat; *prius quam is qui accusatur praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina;* « apparet gravitas et iustitia romani hominis, etsi habebat ea iustitia nonnihil facticii et fucati » (*Bl.*) et simul videtur id consulto efferre, ut appareat quam longe primores Iudaeorum absint ab integritate romana. Vix poterat esse ignarus quot caedes a sicariis perpetrarentur; unde in illa laude romana reprehensio continetur acerba iudaica.

Suum strenue agendi modum etiam laudat v. 17 *cum ergo huc convenissent sine ulla dilatione* ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος, *sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum* cf. v. 6; 18 *de quo, cum stetissent accusatores* σταθέντες cum se stitissent (*Beel.*) cum praesto essent, *nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum,* nullam accusationem seu crimen αἰτίαν inferebant eorum quae suspicabar ego scelerum. Cum enim tanto studio mortem Pauli expeterent, Festus necessario putabat eum esse hominem seditiosum, fortasse ducem quendam sicariorum. At ea proferebant quae Festo minime erant curae v. 19 *quaestiones vero quasdam de sua superstitione* περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας de propria religione (gig), vox est media cf. 17,22; adhibet eam loquens ad Agrippam certe notione bona, *habebant ad-*

versus eum et de quodam Iesu defuncto quem affirmabat Paulus vivere; « non potuit melius rudis harum rerum Festi mens effingi » (*Bl.*) ἔφασκεν dictitabat, repetito et studiose asserebat; inde etiam videtur esse enata accusatio Paulum in Caesarem peccasse (v. 8). Cum enim Iesum accusassent Iudaei quod se regem faceret ideoque a Pilato esset cruci affixus, facile poterat Paulo verti crimini quod esset eius assecla eumque praedicaret regem et dominum; quare dignum esse qui a procuratore simili supplicio interimeretur. Contra quod Paulus ex Iesu resurrectione ostendit eius innocentiam et regnum spirituale. Cur procurator merito neglexerit accusationem rebellionis, vide ad v. 8.

Quare nihil allatum est quod procuratori poena dignum videretur; v. 20 *haesitans autem ego* ἀπορούμενος ignarus quid statuendum esset *de huiusmodi quaestione,* sed Paulus ei clare indicavit eum perspexisse quid oporteret facere, verum noluisse facere ut gratiam iniret apud Iudaeos v. 10. 11, *dicebam si vellet ire Ierosolymam et ibi iudicari de istis;* v. 21 *Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem* [1], explicatius in gig (vide lect. var.), *iussi servari eum, donec mittam eum ad Caesarem,* ἀναπέμψω « mittam ad eum ad quem res pertinet Luc. 23,7.15, quasi in locum superiorem, cf. Polyb. 1,7,12 de captivis Romam missis » (*Bl.*); v. 22 *Agrippa autem dixit ad Festum: volebam et ipse hominem audire,* ἐβουλόμην, ut nostrates dicunt : ich wollte (*Wendt*); comparari potest Rom. 9,3 et Gal. 4,20, quamvis hisce locis de re agatur quae fieri nequeat, nostro autem loco id modestia quadam petitur quod fieri potest, ubi graece βουλοίμην ἄν dicitur (cf. *Blass,* Gramm. p. 202). Libenter annuit Festus, qui rem eam cum Agrippa non sine certo quodam consilio communicavit, id quod etiam aperte in v. 26 edicit. Unde loquens de Paulo cum Agrippa iam exspectavit eiusmodi Agrippae responsum; *cras, inquit, audies eum.*

Sequenti autem die Festus Agrippam honorificentissime excipit v. 23 *altera autem die, cum venisset Agrippa et Bernice cum multa ambitione* φαντασίας, « quo nomine designatur multiplex apparatus et pompa regalis officii » (*Beda*), ostentatio, pompa (*Bl.*) *et introissent in auditorium cum tribunis et viris principalibus civitatis;* ex altera lectione aderant quoque qui ex provincia ad salutandum Festum con-

1. Scribit *Suetonius*, Octav. 7 : « postea C. Caesaris et deinde Augusti cognomen assumsit; alterum testamento maioris avunculi, alterum Munatii Planci sententia, cum quibusdam censentibus Romulum appellari debere quasi et ipsum conditorem urbis praevaluisset, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consecratur augusta dicantur ». — Exinde utrumque nomen ad Imperatores transiit.

venerant; erant Caesareae quinque cohortes (Bell. iud. 3,4,2); tribunos et viros nobiles accersivit Festus, ut Agrippam selecto virorum comitatu honoraret (cf. *Bels.*); uti viri nobiles erant ex Caesarea, ita pariter tribunos intellige caesareenses; utrique adsunt ad honorandum Agrippam; non opus est explicare de tribunis ipsius regis Agrippae, quos secum adduxisset Caesaream (cf. v. 13); *iubente Festo adductus est Paulus;* v. 24 *et dicit Festus : Agrippa rex et omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc de quo omnis multitudo Iudaeorum interpellavit me Ierosolymis,* καὶ ἐνθάδε et hic (gig et hi?!); in v. 2 et 7 de solis primoribus mentio fit; sed hi certe exprimebant quoque omnes Iudaeos id expetere et « nihil obstat quominus Hierosolymis certe etiam multitudinis clamores accessisse putemus » (*Bl.*), *petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius;* eundem tollebant clamorem sicut antea 22,22.

Breviter in textu nostro res perstringitur; multo uberius alibi (vide lect. var.); v. 25 *ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicavi mittere;* iam vero « post appellationem interpositam litterae dandae sunt ab eo a quo appellatum est ad eum qui de appellatione cogniturus est, sive principem, sive quem alium, quas litteras dimissorias sive apostolos appellant » (Digest. XLIX, 6; *Wetstein*) v. 26 *de quo quid certum scribam domino non habeo;* inde a Caligula mos obtinuit imperatorem vocandi dominum, quam appellationem, ut maledictum et opprobrium, Augustus ipse semper exhorruit (*Sueton.* Octav. 53); idem narratur de Tiberio : dominus appellatus a quodam denuntiavit, ne se amplius contumeliae causa nominaret (l. c. Tiber. 27; cf. *Tacitus* Annal. 2,87 : acerbe increpuit, qui ipsum dominum dixerant), etiam Alexander Severus teste Lampridio (Alex. Sev. 4) dominum se appellari vetuit (*Wetstein, Patr.*); eum titulum libenter audivit Domitianus, qui cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit : dominus et deus noster sic fieri iubet; unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter (*Sueton.* Domit. 13); *propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te, rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam;* Agrippa quippe rerum iudaicarum gnarus ea de quaestione ceteris melius suadere et iudicare poterat; v. 27 *sine ratione enim* ἄλογον absurdum *mihi videtur mittere vinctum et causas eius non significare;* quod enim ipse se fatetur intellexisse v. 19, videri ei poterat aeque ἄλογον in illis litteris apponere.

e) Oratio Pauli coram Agrippa 26,1-23.

26,1. Agrippa vero ad Paulum ait : Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu coepit rationem reddere.

2. De omnibus quibus accusor a Iudaeis, rex Agrippa, aestimo me beatum, apud te quum sim defensurus me hodie; 3. Maxime te sciente omnia, et quae apud Iudaeos sunt consuetudines et quaestiones : propter quod obsecro patienter me audias. 4. Et quidem vitam meam a iuventute, quae ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, noverunt omnes Iudaei; 5. Praescientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi pharisaeus. 6. Et nunc in spe quae ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus : 7. In quam duodecim tribus nostrae nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor a Iudaeis, rex.

8. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? 9. Et ego quidem existimaveram me adversus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere : 10. Quod et feci Ierosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a principibus sacerdotum potestate accepta; et quum occiderentur, detuli sententiam. 11. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare; et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates. 12. In quibus dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum, 13. Die media in via vidi, rex, de coelo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen et eos qui mecum simul erant. 14. Omnesque nos quum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi hebraica lingua : Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. 15. Ego autem dixi : Quis es, Domine?

26,1. Ἀγρίππας δὲ πρὸς τὸν Παῦλον ἔφη, Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν. τότε ὁ Παῦλος ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἀπελογεῖτο.

2. Περὶ πάντων ὧν ἐγκαλοῦμαι ὑπὸ Ἰουδαίων, βασιλεῦ Ἀγρίππα, ἥγημαι ἐμαυτὸν μακάριον ἐπὶ σοῦ μέλλων σήμερον ἀπολογεῖσθαι, μάλιστα γνώστην ὄντα σε πάντων τῶν κατὰ Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων· διὸ δέομαι μακροθύμως ἀκοῦσαί μου. 4. τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου ἐκ νεότητος, τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου ἔν τε Ἱεροσολύμοις, ἴσασι πάντες Ἰουδαῖοι, 5. προγινώσκοντές με ἄνωθεν, (ἐὰν θέλωσιν μαρτυρεῖν,) ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος· 6. καὶ νῦν ἐπ' ἐλπίδι τῆς εἰς τοὺς πατέρας ἡμῶν ἐπαγγελίας γενομένης ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἕστηκα κρινόμενος, 7. εἰς ἣν τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν ἐν ἐκτενείᾳ νύκτα καὶ ἡμέραν λατρεῦον ἐλπίζει καταντήσειν· περὶ ἧς ἐλπίδος ἐγκαλοῦμαι, ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, βασιλεῦ.

8. τί ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν, εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; 9. ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι· 10. ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ ἐν φυλακαῖς κατέκλεισα, τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβών. ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον. 11. καὶ κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτούς, ἠνάγκαζον βλασφημεῖν· περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις. 12. ἐν οἷς πορευόμενος εἰς τὴν Δαμασκὸν μετ' ἐξουσίας καὶ ἐπιτροπῆς τῆς τῶν ἀρχιερέων, 13. ἡμέρας μέσης κατὰ τὴν ὁδὸν εἶδον, βασιλεῦ, οὐρανόθεν ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου περιλάμψαν με φῶς καὶ τοὺς σὺν ἐμοὶ πορευομένους. 14. πάντων τε καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν, ἤκουσα φωνὴν λέγουσαν πρός με τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, Σαοὺλ, Σαούλ, τί με διώκεις; σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. 15. ἐγὼ δὲ εἶπα, Τίς εἶ, Κύριε; ὁ δὲ Κύριος εἶπεν, Ἐγώ

Dominus autem dixit : Ego sum Iesus, quem tu persequeris. 16. Sed exsurge, et sta super pedes tuos : ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quae vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, 17. Eripiens te de populo, et gentibus in quas nunc ego mitto te, 18. Aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quae est in me.

19. Unde, rex Agrippa, non fui incredulus coelesti visioni; 20. Sed his qui sunt Damasci primum, et Ierosolymis, et in omnem regionem Iudaeae, et gentibus, annuntiabam ut poenitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna poenitentiae opera facientes. 21. Hac ex causa me Iudaei, quum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. 22. Auxilio autem adiutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicens quam ea quae prophetae locuti sunt futura esse, et Moyses, 23. Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus.

εἰμι Ἰησοῦς ὃν σὺ διώκεις. 16. ἀλλὰ ἀνάστηθι, καὶ στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου· εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι, προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην καὶ μάρτυρα ὧν τε εἶδές με ὧν τε ὀφθήσομαί σοι, 17. ἐξαιρούμενός σε ἐκ τοῦ λαοῦ καὶ ἐκ τῶν ἐθνῶν, εἰς οὓς ἐγὼ ἀποστέλλω σε, 18. ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεὸν, τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πίστει τῇ εἰς ἐμέ.

19. Ὅθεν, βασιλεῦ Ἀγρίππα, οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ, 20. ἀλλὰ τοῖς ἐν Δαμασκῷ πρῶτόν τε καὶ Ἱεροσολύμοις, πᾶσάν τε τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας, καὶ τοῖς ἔθνεσιν, ἀπήγγελλον μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας. 21. ἕνεκα τούτων με Ἰουδαῖοι συλλαβόμενοι ἐν τῷ ἱερῷ ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι. 22. ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης ἕστηκα, μαρτυρόμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ, οὐδὲν ἐκτὸς λέγων ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωυσῆς, 23. εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, εἰ πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ τε λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσιν.

In v. 1 add ph (mg) tunc Paulus confidens et in spiritu sancto consolationem accipiens extendit manum. In v. 3 add post ζητηματων επισταμενος ℵ^c A C mu minusc syr; catena μαλιστα επισταμενος. In v. 16 ειδες με B pauc minusc syr ph arm Amb Aug; sed pler om. In v. 20 πασαν sine εις ℵ A B tol; al addunt. In v. 21 οντα εν τω ιερω ℵ^{*c} E mu minusc cat gig vulg; sed pler om.

Argumentum orationis ita complectitur *Cassiod.* : « Paulus primum iudicem laudans ab initio quae sibi acciderant integra veritate complexus est, referens quemadmodum christianum populum fuerit persecutus; deinde cum iret Damascum, qualia lumine Domini circumventus audierit, statimque ut necesse fuit sermonibus obedisse dominicis, unde se praedicasse perhibet populis et gentibus, ut conversi dignaque poenitentiae opera facientes aeternae vitae praemia reperirent; qua de causa commoti Iudaei eum occidere decreverunt; quorum manibus auxilio divinitatis ereptus, usque ad illud tempus ea se praedicasse testatus est quae in prophetis et reliquis Scripturis

divinis leguntur esse conscripta ». Unde tres quasi partes orationis distinguuntur; in priore vitam suam explicat pristinam prooemio praemisso (v. 2-7), in altera declarat quomodo ad fidem Messiae et ad praedicandam gentibus eam fidem adductus sit (v. 8-18); in tertia parte hanc praedicationem gentibus factam indicat causam esse cur Iudaei mortem suam moliantur (v. 19-23). Ostendit itaque Agrippae regi, ad quem tota oratio dirigitur, se non esse apostatam a religione paterna, cum credat in Messiam; praedicare gentibus se iussum esse divino mandato eamque praedicationem plane consentaneam esse legi et prophetis (cf. *Felt.*). Orationem ad defensionem Pauli et ad indolem Agrippae quam maxime esse aptam, fugere potest neminem, qui conditiones rerum expenderit.

Festus verbis suis, praesertim 25,26, urbane invitaverat Agrippam, ut in ea inquisitione primas sibi assumeret partes; v. 1 *Agrippa vero ad Paulum ait : permittitur tibi loqui pro temetipso;* adstat Paulus, prout ei praedictum erat 9,15, ut portet nomen Iesu etiam coram regibus; id hic facit, id Romae quoque eum fecisse, cum causa appellationis factae ageretur apud Caesarem, nemo facile in dubium vocaverit; *tunc Paulus extenta manu* more oratorum; rhetorum morem describit Apuleius : porrigit dexteram et ad instar oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis ceteros eminentes porrigit (Met. 2,21; *Wetstein*); est autem χείρ manus cum brachio (*Bl.*) *coepit rationem reddere;* notat *Calm.* : « catenae quibus tunc vinciebatur, sive laevam tantummodo impediebant sive utramque manum, sed laxiore nexu; nec forte graves erant adeo, ut motum et gestum impedirent; profecto captivi longioribus catenis vinciri solebant habebantque iisdem vinculis alligatum militem, comitem et custodem perpetuum ». Hisce solvitur scrupulus qui viro critico *Hilg.* adeo gravis videtur, ut eum etiam afferat inter alia ad fidem orationis impugnandam, nempe quomodo vinctus extendere possit manus — est scil. observatio viro critico digna!

Oratorio modo prooemium quoddam cum quadam captatione benevolentiae praemittit (v. 2. 3). « Paulus praesente Agrippa rege de criminibus responsurus, quod possit intelligere qui auditurus erat, securus de causae victoria statim in principio sibi gratulatur. Legerat enim illud Iesu (Eccli. 25,12) : beatus qui loquitur in aures audientis, et noverat tantum oratoris verba proficere, quantum iudicis providentia cognovisset » (*Hieronymus,* epist. 57,1; *M.* 22, 568); v. 2 *de omnibus quibus accusor a Iudaeis, rex Agrippa, aestimo me beatum apud te cum sim defensurus me hodie;* in illo *beatum...* laus Agrippae continetur et fiducia rei quam habet de regis

aequitate; cur se dicat beatum coram tali rerum arbitro causam suam defendentem, explicat v. 3 *maxime te sciente omnia et quae apud Iudaeos sunt consuetudines et quaestiones* μάλιστα imprimis autem sibi gratulatur eo quod sciat regem nosse omnes Iudaeorum mores et quae inde enascuntur vel agitantur disquisitiones et controversias; ita μάλιστα ad antecedentia referunt (*Lap. Felt. Bl. Weiss*), dum alii particulam ad sequentia trahunt : imprimis gnarum esse regem (*Beel. Wendt*), uti iam *Ch.* μάλιστα εἰδότος etc., id quod minus placet. Unde in v. 2 regi quasi per se laudem defert, in v. 3 ex eius cognitione rerum iudaicarum etiam maiorem fiduciam capit sese beatum dicens quod talem habeat iudicem.

Cum itaque rex cognitas habeat res iudaicas, petit ab eo ut cum longanimitate se audiat, etsi necesse sit longius perorare : *propter quod obsecro patienter me audias;* cf. 24,4. Constructio graeca γνώστην ὄντα est impedita; facilis redditur addito ἐπιστάμενος (vide lect. var.) quam vocem non posse abesse *Bl.* existimat; attamen *Chr. Theoph.* eam non habent (habet *Oec.*), et iam *Beel.* advertit eiusmodi abnormis participii structurae exempla occurrere quoque apud auctores bene graecos[1]. Exspectares utique post ἐπὶ σοῦ sequi γνώστου ὄντος — alii explicant per anacoluthon, voluisse scil. Paulum postea dicere αἰτῶ-ἀκοῦσαι. Defensio eius simplici expositione veritatis continetur v. 4 *et quidem vitam meam* τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου, inserviunt μὲν οὖν transitioni (*Klotz*, Devar. I p. 125), βίωσιν (cf. Eccli. prolog.) recte explicat *Lap.* vitae actus et mores, conversationem *a iuventute, quae ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis* (ab initio non habet gig) i. e. ab ineunte iuventute versatus est non solum in Iudaea, sed in ipsa urbe sancta, cf. 22,3, *noverunt omnes Iudaei* v. 5 *praescientes me ab initio* i. e. ante hoc tempus me norunt ab initio, *si velint testimonium perhibere, quoniam secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi pharisaeus* ἀκριβεστάτην secundum exactissimam, severissimam sectam; proin fuit legum omnium ac traditionum observantissimus; cf. Phil. 3,5. 6.

Neque nunc, quamvis a Iudaeis accusatus et odio letali infestatus sit, ullo pacto defecit a religione paterna v. 6 *et nunc in spe* ἐπ' ἐλπίδι

1. Eiusmodi exempla affert *Vigerius*, de praecipuis gr. dict. idiotismis cap 6 s. 1, XII, notans : aliquando, sed rarius participii casus in accusativum mutatur, licet praecedat nomen aut pronomen aut aliud participium in diverso casu. Et *Stallbaum* notat (ad Plat. Republ. 3,1) : accusativus participii additur licet praecedat τοῖς ἐπιχειροῦσιν et ad δεῖσθαι intelligendus sit genitivus αὐτῶν. Nec tamen Platoni hic usus infrequens v. sympos. p. 176 D. Gorg. p. 456 E. p. 492 B. p. 510 E. p. 513 E. al. — Verum cum habeatur mentio subiecti σε ad ὄντα, censet *Buttmann* p. 272 accusativum absolutum hic agnosci debere, qui apud Graecos solum adhibetur praecedente ὡς vel ὥσπερ cf. *Krüger* 56,9,10.

propter spem *quae ad patres nostros repromissionis facta est a Deo sto iudicio subiectus,* promissio est Messiae eiusque regni; hanc promissionem a Deo factam impletum iri speravit et eam impletam iam esse nunc novit; et hanc promissionem omnes Iudaei magno desiderio consequi cupiunt v. 7 *in quam duodecim tribus nostrae* τὸ δωδεκάφυλον vocem seligit qua simul peculiaris gentis a Deo provisa origo et electio declaratur, *nocte ac die deservientes* ἐν ἐκτενείᾳ intente, studiose λατρεῦον cultum adorationis per sacrificia quotidiana, per holocaustum perpetuum, mane ac vespere exercentes et ita promissionem Messiae efflagitantes qui tamquam verus agnus Dei peccata sit ablaturus, *sperant devenire.* Cum itaque Iudaei Messiam expetant, non sine magna admiratione clamat : *de qua spe accusor a Iudaeis, rex!* nonne res indignatione plena est accusari de ea re quam ipsi illi accusatores consequi sperant et ad quam consequendam Deum colunt? [Nam promissus hic Messias ut cito veniret, ut veniret in diebus suis Israelitae Pauli coaetanei, ut et horum proavi, assidue precabantur (*Beel.*). Num fortasse ideo merito accusor de hac spe quia Messiam mortuum esse praedico? cur illi ad alterum quod adiungo, ad resurrectionem mentem non advertunt, ac si illis videretur resurrectio impossibilis! eo sensu adnectitur v. 8 *quid incredibile iudicatur apud vos* modo oratorio et animo concitato alloquitur accusatores quasi praesentes, *si Deus mortuos suscitat?* credunt Iudaei resurrectionem; qui ergo fit aut qua ratione consequens est, ut resurrectionem Messiae, Iesu mortui, ut rem incredibilem reiiciant?

Messiam exspectari a Iudaeis sine controversia etiam Agrippae constabat. At Paulum merito spem messianam iam esse impletam praedicare nondum constabat. Ad hoc itaque probandum nunc se convertit; quam probationem enarratione quis antea fuerit et quomodo conversus sit pluribus conficit v. 9 *et ego quidem existimaveram* μὲν οὖν uti v. 4, *me adversus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere,* v. 10 *quod et feci Ierosolymis et multos sanctorum ego in carceribus inclusi,* eos vocans sanctos simul fatetur nullum iis crimen fuisse nisi solam confessionem nominis Iesu; quare nomen *sanctorum*, de cuius usu hac in oratione aliqui mirantur, merito usurpatum est, *a principibus sacerdotum potestate accepta, et cum occiderentur, detuli sententiam,* detuli calculum, tuli suffragium; sed cum Paulus non fuerit membrum seu assessor synedrii, locutio metaphorice intelligatur oportet de consensu et approbatione quasi de suo suffragio quod aliorum sententiae addiderit ex sua parte, nec aliud significat quam illud : erat consentiens συνευδοκῶν neci eius (7,59; *Beel. Calm. Patr. Felt. Wendt, Bl.*

cf. 22,20); *Weiss* tamen explicat : testimonio meo effeci ut condemnarentur. Quaerunt sitne de una caede Stephani sermo et proin pluralis categoricus agnoscendus; sed ex 9,1 (spirans minarum et caedis) videtur colligi plures esse occisos propter nomen Iesu (*Lap. Beel. Patr. Felt.*). Nec obstat quod synedrio ius gladii erat ablatum. Nam synedristis nunquam deerant quorum ope quos volebant interimere poterant (cf. 23,12 et quae alibi de sicariis dicta sunt).

Haec omnia Paulus idcirco in medium profert, ut Agrippae persuadeat non temere se ad Christianos, quibus nemo alius fuerat infestior, transisse ac denique se nonnisi vi miraculorum et evidentia veritatis pertractum esse (*Calm.*); v. 11 *et per omnes synagogas* urbis Ierusalem 22,19 et patet ex oppositione ad exteras civitates *frequenter puniens eos* verberibus, flagellatione (cf. Matth. 10,17) *compellebam blasphemare* de repetito conatu potest explicari, quo eos voluit inducere ad maledicendum Iesu; non debet necessario intelligi de effectu obtento; *et amplius insaniens in eos persequebar usque in exteras civitates*, v. 12 *in quibus* rebus, inter quae (*Bl.*) 24,18, *dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum*, v. 13 *die media in via vidi, rex, de coelo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen et eos qui mecum simul erant* cf. 22,6; lucem hic grandius describit; v. 14 *omnesque nos cum decidissemus in terram* (vide ad 9,7), *audivi vocem loquentem mihi hebraica lingua : Saule, Saule, quid me persequeris?* 9,4; 22,7; *durum est tibi contra stimulum calcitrare* 9,5; v. 15 *ego autem dixi : quis es, Domine? Dominus autem dixit : ego sum Iesus quem tu persequeris;* gig brevissime : ego enim sum Iesus Nazareus; v. 16 *sed exsurge et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quae vidisti et eorum quibus apparebo tibi*, 22,15; lectio ὧν τε εἶδες facilis est et attractio illa nota τούτων ἃ habetur; difficilius explicatur ὧν εἶδές με; cogitari potest de attractione irregulari τούτων δι' ἃ εἶδές με[1] (cf. *Wendt*), quo modo etiam alterum ὧν τε ὀφθήσομαί σοι exponunt (cf. *Winer* 39,3,1) vel dicunt sententiam ob concinnitatem esse ad prius illud ὧν εἶδες conformatam (*Buttmann* p. 247), utique paulo violentius (*Bl.*). Promittitur itaque Paulo fore ut etiam postea apparitionibus Domini doceatur ad ministerium sibi impositum bene subeundum. Videtur apostolus summatim etiam ea referri quae Dominus per Ananiam ei dici iussit (cf. 9,15 seq. 22,15).

Et simul Dominus ei promittit opem ac protectionem v. 17 *eripiens te de populo et gentibus in quas nunc ego mitto te* ἐξαιρούμενος i. e.

1. Quandoque poni ταῦτα, ubi explicandum sit διὰ ταῦτα, exemplis ostendit *Stallbaum*, Plat. Sympos. p. 174 A; ita Protagor. p. 310 E αὐτὰ ταῦτα νῦν ἥκω παρὰ σέ etc.

apparebo tibi et servabo te, non enim est cur eligendi notionem huic verbo hoc solum loco tribuamus quae ne apta quidem est ad ἐκ τῶν ἐθνῶν (*Bl.*); et saepuis iam expertus est Paulus hanc ereptionem de populo i. e. de insidiis Iudaeorum, et suo populo ereptus nunc adstat coram Festo et Agrippa; etiam inter gentes quam maxime opem Iesu sibi praesto esse experimentis didicit (14,18; 17,5. 13. 33; 18,13; 19,23. 1 Cor. 4,9-13. 2 Cor. 1,8; 11,23 seq.); quem in finem mittatur adiungitur : v. 18 *aperire oculos eorum ut convertantur a tenebris ad lucem,* quam dicendi formam familiarem fuisse apostolo apparet (2 Cor. 4,6. Eph. 4,18; 5,8. Col. 1,13. 1 Thess. 5,4.5) *et de potestate satanae ad Deum* (cf. Hebr. 2,14), *ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem quae est in me;* rem ita narrat, ut simul auditoribus aliquam evangelii annuntiationem et salutis messianae explicationem tradat, id quod ad Agrippam potissimum spectare videtur, qui iudaicae religionis non ignarus novit quid haec sibi velint.

Iam de rebus a se gestis sermonem inferens apte regem compellat v. 19 *unde, rex Agrippa, non fui incredulus* ἀπειθής inobediens *coelesti visioni,* v. 20 *sed his qui sunt Damasci primum et Ierosolymis et in omnem regionem Iudaeae et gentibus annuntiabam, ut poenitentiam agerent et converterentur ad Deum digna poenitentiae opera facientes;* cf. 9, 20.22; in Ierusalem quoque de Messia praedicasse Paulum, potest iam colligi 9,28; dein certe quando eleemosynas attulit 11,30, et cum ad concilium apostolorum veniret, in ipsa urbe etiam munere apostolico functus est; in illo autem itinere ubique narrabat conversionem gentium (15,3); in aliis quoque ad urbem itineribus poterat per Iudaeam fratres alloqui, cum Iudaeis disputare et ipse scribit Rom. 15,19 : ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim evangelium. Argumentum praedicationis assignans (20,21) simul declarat quam longe abfuerit a seditione.

Pari modo se nullatenus a religione paterna defecisse sequentibus probat. Iudaei quidem propter eam praedicationem eum occidere tentabant; at quanta iniuria! nam nihil aliud docuit nisi quod a Moyse et prophetis erat annuntiatum; v. 21 *hac ex causa me Iudaei, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere,* iis praedicatio gentibus facta imprimis erat offensioni, uti quoque patet ex 22,22 et 1 Thess. 2,16; v. 22 *auxilio autem adiutus Dei* τυχών auxilium nactus a Deo *usque in hodiernum diem sto* ἕστηκα subsisto incolumis (*Beel. Felt.*), non cecidi (*Bl.*) *testificans minori atque maiori,* iuveni, seni, cf. 8,10, omnibus; adhortans omnes et obsecrans, *nihil extra dicens quam ea quae prophetae locuti sunt futura esse et Moyses;* unde apo-

stolus insistit religionem christianam nihil aliud esse nisi impletionem eorum quae iam in vetere foedere erant annuntiata; Iudaeos proin si revera credant prophetis et Moysi debere perfectam hanc religionis formam amplecti. Quae vero a prophetis et Moyse annuntiata sint (gig scriptum est enim in Moyse), incipit exponere : v. 23 *si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus* i. e. an Messias qui venturus erat ad patiendum destinatus sit, an primus ex mortuis resuscitandus et lumen veritatis annuntiaturus sit Israeli et gentibus (*Beel.*); illud εἰ commode refertur ad λέγων i. e. in praedicatione, an Messias sit patibilis etc. nihil aliud dico et affirmo, nisi quod prophetae et Moyses annuntiarunt fore (*Felt. Wendt*).

Merito primo loco mentionem facit de quaestione, sitne Messias patibilis; cum enim Iudaei gloriosum exspectarent Messiam qui regnum davidicum suscitaret, passio Iesu iis erat scandalum, unde Christus quoque dixit : beatus est qui non fuerit scandalizatus in me (Matth. 11,6). De Messia patibili iam indicium habetur Is. 11,1; clare eius passio annuntiatur Is. 49,4. 7; 50,6; 52,13-53,12. Zach. 12,10; 13,7; typice in oblatione Isaac, in agno paschali, in serpente aeneo; immo iam insinuatur in prima Servatoris promissione; nam victoria non erit sine vulnere : et tu conteres calcaneum eius (Gen. 3,15 hebr.); serpenti quidem conteritur caput, sed conterentis calcaneum conteritur. Reportabitur victoria plena de diabolo, at non sine dolore et vulnere. Messiae post mortem ad vitam reditus significatur Is. 53,10-12 (vide meum Comment. in h. l.) et Ps. 15,10 vide ad 2,31 et 13,34. 35; Messiam praedictum esse lumen vide Is. 9,2; 42,6 dedi te in foedus populi et in lucem gentium; item 49,6; 60,3; 65,1; salutem messianam gentibus quoque destinari, iam antiquissimis vaticiniis declaratur; nam promissio illa Gen. 3,15 de victoria qua diabolus est conterendus, non ad unam stirpem restringitur; item Gen. 9,27 Iapheth habitet in tabernaculis Sem, et Gen. 12,3; 18,18; 22,18 de benedictione quae ex Israel in omnes redundatura sit, Gen. 49,10 de obedientia populorum quae Messiae erit. Apostolus itaque ea effert ex praedicatione messiana quae Iudaeis quam maxime erant offendiculo, passio Messiae et vocatio gentium ad regnum messianum, atque ostendit haec plane congruere cum vaticiniis.

f) Quem effectum habuerit oratio 26,24-32.

26,24. Haec loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit : Insanis Paule; multae te litterae ad in-

26,24. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἀπολογουμένου ὁ Φῆστος μεγάλῃ τῇ φωνῇ φησίν, Μαίνῃ, Παῦλε· τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν

saniam convertunt. 25. Et Paulus : Non insanio (inquit), optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. 26. Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor : latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est. 27. Credis, rex Agrippa, prophetis? Scio quia credis.

28. Agrippa autem ad Paulum : In modico suades me christianum fieri. 29. Et Paulus : opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales qualis et ego sum, exceptis vinculis his. 30. Et exsurrexit rex et praeses et Bernice, et qui assidebant eis. 31. Et quum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes : Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. 32. Agrippa autem Festo dixit : Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem.

περιτρέπει. 25. ὁ δὲ Παῦλος Οὐ μαίνομαι, φησίν, κράτιστε Φῆστε, ἀλλὰ ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. 26. ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς, πρὸς ὃν παρρησιαζόμενος λαλῶ· λανθάνειν γὰρ αὐτὸν τούτων οὐ πείθομαι οὐθέν· οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο. 27. πιστεύεις, βασιλεῦ Ἀγρίππα, τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις.

28. ὁ δὲ Ἀγρίππας πρὸς τὸν Παῦλον Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν ποιῆσαι. 29. ὁ δὲ Παῦλος, Εὐξαίμην ἂν τῷ Θεῷ, καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν μεγάλῳ οὐ μόνον σέ, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀκούοντάς μου σήμερον γενέσθαι τοιούτους ὁποῖος καὶ ἐγώ εἰμι, παρεκτὸς τῶν δεσμῶν τούτων. 30. ἀνέστη τε ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ ἡγεμὼν, ἥ τε Βερνίκη, καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς, 31. καὶ ἀναχωρήσαντες ἐλάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, ὅτι οὐδὲν θανάτου ἢ δεσμῶν ἄξιον πράσσει ὁ ἄνθρωπος οὗτος. 32. Ἀγρίππας δὲ τῷ Φήστῳ ἔφη, Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο ὁ ἄνθρωπος οὗτος, εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα.

In v. 26 B προς ον sine και, uti cop arm; rell και. In v. 28 πειθεις ℵBEHLP etc, A πειθη, ποιησαι ℵAB aliq minusc ph (mg) cop Cassiod; al γενεσθαι.

Quae Paulus dicebat, Festo non poterant non valde mira videri. Verum cum de resurrectione mortuorum mentio fieret, iam ultra non se continens orationem Pauli interrumpit, ut ex ipsa voce ἀπολογουμένου patet v. 24 *haec loquente eo et rationem reddente Festus magna voce,* ut ipsa voce elata declararet stuporem de deliramentis quae sibi videbatur Paulus effundere, *dixit : insanis Paule, multae te litterae ad insaniam convertunt,* mentem tuam lectio multa confundit (*Cassiod.*); multa tua studia litterarum sanam mentem tibi eripiunt (*Beel.*); haec verba Festus non ideo profert solum, quia de prophetis et Moyse Paulum loquentem audivit, sed quia compertum habet Paulum tempus captivitatis impendere litteris. Unde nobis concludere licet apostolum sedula lectione legis et prophetarum doctrinam a Christo acceptam excoluisse; nam cum iam mortem vicinam spectarit, tamen scribit Timotheo : affer tecum libros et maxime membranas (2 Tim. 4,13); v. 25 *et Paulus : non insanio (inquit) optime Feste* κράτιστε, 24,3 vide Luc. 1,3, compellatio est viri dignitate conspicui, *sed veritatis et sobrietatis verba loquor;* non sunt deliramenta, sed res sunt omnino verae, quas ego quoque sana mente proloquor, ἀποφθέγγομαι, vox grandis et sollemnioris orationis est : pronuntio. Proin affirmat

fervore dicendi et animi affectu se minime abreptum esse neque ulla figmenta protulisse, verum quae plena veritate consistant a se cum integra mentis sanitate dici.

Et huius rei testem appellat Agrippam v. 26 *scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor,* haec scil. novit et intelligit rex, ad eum παρρησιαζόμενος libere et confidenti animo sermonem dirigo; proin innuit orationem a se conformari non pro captu Festi, sed secundum ea quae Agrippa bene nota habeat; *latere enim eum nihil horum arbitror* πείθομαι mihi persuadeo; *neque enim in angulo quidquam horum gestum est;* litote minus dicit, plus intelligi vult : « hic de cruce loquitur et de resurrectione et quod dogma ubique terrarum pervaserit » (*Chr.*). Iesus enim palam per tres annos in Galilaea et Iudaea praedicavit, miracula patravit; ipsi eius adversarii infensissimi confiteri cogebantur : ecce mundus totus post eum abiit (Ioan. 12,19); pariter supplicium eius et loco et tempore quam plurimis innotuit; ex eo tempore per plus viginti annos praedicatur eius resurrectio ab iis qui cum ipso post resurrectionem manducarunt et conversati sunt et insuper salus haec messiana iam longe lateque inter gentes annuntiata et agnita et assumpta est. Quae omnia plane congruunt oraculis prophetarum; unde ex illis et rebus gestis probatur Iesum esse Messiam de quo illi vaticinati sunt. Quare audacter compellat regem v. 27 *credis, rex Agrippa, prophetis?* sed aeque prudenter ipse statim adiungit : *scio quia credis;* nam de Iudaeo id praesumi potest merito; quaestione stimulat eum, ut consideret vaticinia Iesu Nazareno plane convenire; responsione adiuncta praecavet ne de rege minus bene sentire videatur neve eum videatur velle inducere, ut sibi coram omnibus respondeat; proin regiae dignitatis rationem habet optime sentiens quid in ea rerum personarumque conditione deceat. Censet *Patr. :* Paulus forsitan ita locutus est quia leges Christi iubent nos bene sentire de omnibus; an vero Agrippa prophetis crederet, ut non est cur negemus, ita ex his Pauli verbis non id sequitur necessario.

Contra illud Festi : insanis, compellavit regem de veritate rerum gestarum. Quid ergo rex? v. 28 *Agrippa autem ad Paulum : in modico suades me christianum fieri;* lectio longe communior fert πείθεις Χριστιανὸν ποιῆσαι quam aliqui ferri posse negant (*Bl.*)[1], alii tamen explicari posse existimant : mihi persuadere niteris, ut me christianum reddas (cf. *Felt. Bels. Weiss, Wendt*); unde ποιῆσαι infinitivus est finalis, qui saepius habetur post verba dandi, mittendi, eundi, constituendi etc.; cf. Matth. 5,17 οὐκ ἦλθον καταλῦσαι (cf. *Blass,* Gram.

1. In appendice coniectant Westcott-Hort fortasse με πείθεις esse scriptum pro πέποιθας.

p. 218; *Winer*, 44,1; *Buttmann* p. 224). Alii praeferunt πείθῃ tibi persuades, existimas me reddere christianum (*Bels.*); ἐν ὀλίγῳ explicandum erit cum *Oec.* δι' ὀλίγων ῥημάτων, ἐν βραχέσι λόγοις, χωρὶς πολλοῦ πόνου, ita ut ἐν dicatur de instrumento : parvo labore, ἐν ὀλίγῃ διδασκαλίᾳ, parva seu brevi expositione mihi persuades; alii explicant : brevi tempore tibi persuades te christianum me reddidisse (*Bl.*). Quo sensu haec a rege dicantur, videtur desumi posse ex responso Pauli, ex quo certum esse videtur haec non dici a rege ironice et derisorie (*Beel. Bl.*), neque iocando (*Patr.*), sed potius cum aliqua admiratione, quod Paulus videatur inferre ex eo quod rex prophetis credat eum etiam statim agniturum esse Iesum Messiam. Tali exclamatione admirationis de opinione Pauli adeo celeriter concepta Agrippa et Romanis consulit et Iudaeis. Illis eximit opinionem ac si multum momenti rationibus Pauli attribueret; hisce declarat se quidem credere prophetis (nam illud Pauli : scio te credere, non negat), attamen oracula in Iesu esse completa non sibi a Paulo persuaderi et Paulum falli si putet sine multo labore hoc demonstrari. Censent quidem alii regem *serio* dixisse non multum deesse ut sibi persuadeatur (cf. *Felt. Wendt*); verum hanc regis mentem non fuisse censeo iam ex eo quia statim ulteriore disquisitione omissa recedit. Insuper plurimum deferre Romanis Agrippa solebat. Quare non puto eum tale quid dicturum fuisse tantumque voluisse tribuere verbis Pauli, postquam Festus dixit : insanis, Paule, etc. Sed exclamatio cum admiratione coniuncta talis est, qua Festus ab ipso rege confirmari audit Paulum limites fervore dicendi esse praetergressum.

Respondet Paulus pro suo animarum zelo, se omnium conversionem exoptare neque sua referre, utrum parvo labore an magno efficiatur v. 29 *et Paulus : opto apud Deum,* Deum precari velim (*Beel.*) *et in modico et in magno,* sive modico sive magno labore opus sit, *non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales qualis et ego sum, exceptis vinculis his* id quod sane subridendo addidit; « totum responsum et urbanissimum et christiano homine dignissimum » (*Bl.*). Verum rex ulteriori disquisitioni finem imponit fortasse veritus, ne Paulus post audaciorem illam quaestionem v. 27 pergat pluribus ipsum urgere et prosequi quod modo indicaverat a se ardenter desiderari; v. 30 *et exsurrexit rex et praeses et Bernice et qui assidebant eis* surgit primus rex, reliqui ex dignitatis ordine; v. 31 *et cum secessissent,* ad deliberationem habendam, vide 25,26, *loquebantur ad invicem dicentes, quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste,* πράσσει agit, tractat; « dicunt in praesenti, quia considerant universam vitae Pauli rationem seu institutum » (*Beel. Patr. Felt.*); gig nihil..

homines isti faciunt. Neque aliter censet Agrippa, cuius sententia cumprimis a Festo expetebatur (25,26); v. 32 *Agrippa autem Festo dixit: dimitti poterat* ἀπολελύσθαι dimissus esse, iam liberatus esse poterat *homo hic, si non appellasset Caesarem;* innuit Festum antea potuisse Paulum absolvere; Festus vero bene sibi conscius est qua re coegerit Paulum appellare Caesarem. Nunc vero appellatione facta iam non poterat res iudicari a procuratore neque Paulus absolvi aut dimitti. Nihil restat, nisi ut ad Caesarem mittatur.

Totum hoc de Agrippa 25,13-26,32 spurium esse additamentum auctoris ad Theophilum *Hilg.* contendit; praeparari eam partem solum 9,15, ubi pariter illud *coram regibus* delendum esse; additam esse hanc partem, quia voluerit auctor ille innocentiam Pauli confirmatam habere a rege Iudaeorum, scil. a filio persecutoris Agrippae I (12,1) et quia adhuc semel vocationem Pauli a Iesu resuscitato factam, quam iudaeo-christiani impugnarint, ab ipso Paulo declaratam voluerit proponere.

Rationes eius sunt hae : 25,12 appellatio ad Caesarem est acceptata; Festus locutus est cum consilio; proin iam non indigebat sententia regis iudaici; qua re poterat impediri quominus Paulum continuo Romam mitteret? novit accusationes Iudaeorum; nihil addit Agrippa 26,32, neque 27,1 ita narratur, ut Pauli iter romanum ex iudicio regis dicatur institui. Insuper iudicio regis audito Festus non operam dat, ut Paulus desistat a provocatione ad Caesarem, verum eum mittit Romam; proin id facit quod iam 25,12 erat statutum; praeterea deest 27,1 certa temporis designatio; in altera lectione assignatur τῇ ἐπαύριον Paulum esse traditum centurioni, quod multo melius refertur ad 25,6, quam ad 25,23.

Supponit *Hilg.* statim ab initio navim *immediate* paratam fuisse ad iter romanum. Unde hoc vir criticus scit? Proin ex 25,12 nullo modo sequitur debuisse Paulum statim mitti; opportunitas erat exspectanda. Agrippa autem qui Romanis quam maxime deditus erat certe censeri debet mox venisse ad salutandum novum procuratorem. Iam quid magis probabile quam Festum regem iudaeum de disceptationibus Iudaeorum consuluisse? Appellatione autem semel facta et a procuratore eiusque consilio acceptata iam non erat penes procuratorem illam impedire. — Si auctor voluisset aliquid fingere ad 9,15 illustrandum, scenam sane magnificentiorem efformasset.

3. *Iter romanum* 27,1-28,31.

a) Iter a Caesarea ad Cretam usque 27.1-13.

27,1. Ut autem iudicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustae, 2. Ascendentes navem Adrumentinam, incipientes	27,1. Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν Ἰταλίαν, παρεδίδουν τόν τε Παῦλον καί τινας ἑτέρους δεσμώτας ἑκατοντάρχῃ, ὀνόματι Ἰουλίῳ, σπείρης Σεβαστῆς. 2. ἐπιβάντες δὲ πλοίῳ Ἀδραμυντηνῷ, μέλλοντι

navigare circa Asiae loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho, Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere. 4. Et inde quum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. 5. Et pelagus Ciliciae et Pamphiliae navigantes, venimus Lystram quae est Lyciae; 6. Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

7. Et quum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretae iuxta Salmonem; 8. Et vix iuxta navigantes, venimus in locum quemdam qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat civitas Thalassa. 9. Multo autem tempore peracto, et quum iam non esset tuta navigatio, eo quod et ieiunium iam praeteriisset, consolabatur eos Paulus, 10. Dicens eis : Viri, video quoniam cum iniuria et multo damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his quae a Paulo dicebantur. 12. Et quum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phoenicen, hiemare, portum Cretae respicientem ad Africum et ad Corum. 13. Aspirante autem austro, aestimantes propositum se tenere, quum sustulissent de Asson, legebant Cretam.

πλεῖν εἰς τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, ἀνήχθημεν, ὄντος σὺν ἡμῖν Ἀριστάρχου Μακεδόνος Θεσσαλονικέως. 3. τῇ τε ἑτέρᾳ κατήχθημεν εἰς Σιδῶνα· φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, ἐπέτρεψεν πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντι ἐπιμελείας τυχεῖν. 4. κἀκεῖθεν ἀναχθέντες ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, διὰ τὸ τοὺς ἀνέμους εἶναι ἐναντίους. 5. τό τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, κατήλθαμεν εἰς Μύρρα τῆς Λυκίας. 6. Κἀκεῖ εὑρὼν ὁ ἑκατοντάρχης πλοῖον Ἀλεξανδρινὸν πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν, ἐνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτό.

7. ἐν ἱκαναῖς δὲ ἡμέραις βραδυπλοοῦντες, καὶ μόλις γενόμενοι κατὰ τὴν Κνίδον, μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην κατὰ Σαλμώνην· 8. μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν, ἤλθομεν εἰς τόπον τινὰ καλούμενον Καλοὺς Λιμένας, ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασέα. 9. Ἱκανοῦ δὲ χρόνου διαγενομένου, καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, παρῄνει ὁ Παῦλος, 10. λέγων αὐτοῖς, Ἄνδρες, θεωρῶ ὅτι μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας οὐ μόνον τοῦ φορτίου καὶ τοῦ πλοίου, ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, μέλλειν ἔσεσθαι τὸν πλοῦν. 11. ὁ δὲ ἑκατοντάρχης τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ μᾶλλον ἐπείθετο ἢ τοῖς ὑπὸ Παύλου λεγομένοις. 12. ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, οἱ πλείονες ἔθεντο βουλὴν ἀναχθῆναι ἐκεῖθεν, εἴ πως δύναιντο καταντήσαντες εἰς Φοίνικα παραχειμάσαι, λιμένα τῆς Κρήτης βλέποντα κατὰ λίβα καὶ κατὰ χῶρον. 13. ὑποπνεύσαντος δὲ νότου, δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι, ἄραντες ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην.

In v. 1 ph (mg) sic igitur iudicavit praeses mittere eum ad Caesarem; cum die postero vocasset; diei crastini mentio fit etiam in fl; gig centurionem cohortis italiae. In v. 2 μελλοντι ℵ A B mu minusc cat syr cop arm gig; ph ex Thessalonicensibus autem Aristarchus et Secundus, item 137. In v. 5 B μυρρα ph Hier; al μυρα; sed ℵ A λυστραν vulg Bed Cassiod gig codd apud Hier; etiam σμυρναν fertur testibus Hier et Bed; διαπλευσαντες δι' ημερων δεκαπεντε 137. ph c* fl. In v. 8 pler λασαια, B λασεα, A αλασσα; Hier Lasaea,... pro qua quidam corrupte Thalassa legunt. In v. 13 gig levantes iuxta colligebant creten, ph sustulerunt prope litus et navigabant circa Creten.

Comites itineris romani sese adiunxerunt Paulo Lucas et Aristarchus

(etiamne Secundus? ita ex philox., sed nomen videtur desumptum ex 20,4); v. 1 *ut autem iudicatum est navigare eum,* ἡμᾶς nos, gig mitti nos, *in Italiam,* ἐκρίθη nequit dictum esse de illo decreto 25,12. 21. 25-27, sed tantumdem valet quod : constitutum, visum est; ex quo apparet tempus navigationi opportunum esse exspectatum, finem etesiarum, nam mare, inquit Tacitus (Hist. 2,98), etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum erat; etesiae autem, sicut scripsit Columella mediam hac de re sententiam secutus, incipiunt flare cal. augusti, desinunt III cal. septembris (*Patr.*) *et tradi Paulum cum reliquis custodiis,* cum aliis quibusdam captivis, ea enim notione custodia, custodiae leguntur quoque apud Senecam, Suetonium (cf. Sen. ep. 5; Suet. Cal.27, Dom. 14; Plin. ep. 10,30; *Patr.*) *centurioni nomine Iulio cohortis Augustae,* e cohortibus auxiliariis complures fuerunt hoc nomine nuncupatae, quarum aliquot in titulis commemoratae leguntur; aliqua exempla affert *Patr.;* talem honoris titulum frequenter cohortibus auxiliariis tributum esse *Schürer* I p. 385 seq. ostendit, quem titulum Ptolemaeus graece reddit Σεβαστήν (Ptol. 2,3,30; 2,9,18; 4,3,30 λεγεὼν τρίτη σεβαστή). Censent itaque unam ex quinque cohortibus caesariensibus (*Iosephus,* Antiq. 19,9,2) hoc titulo fuisse insignitam (*Schürer, Wendt, Bl.*). Sed alia quoque explicatio non caret probabilitate. Exsistebat enim circa annum 59 cohors augusta equitum romanorum; vocantur Augustiani (Suet. Nero 25), Augustani (Tacit. Annal. 14,15), Αὐγουστεῖοι (Dio Cass. 61,20; 63,8)[1], in qua cohorte Iulius erat centurio, qui fortasse ad certam quandam rem gerendam in orientem erat missus (cf. *Plinius,* nat. hist. 6,35). Huic acceptioni calculum adiiciunt *Wieseler* (Chronologie des apost. Zeitalters p. 391; Beiträge p. 325), *Bels.* neque *Felt.* abnuit. De Iulio nihil certi scitur; aliquas coniecturas affert Wieseler p. 392.

Descripto itineris[2] iudicata est ab homine harum rerum perito monumentum omnium pretiosissimum, quae rei navalis ex tota antiquitate nobis relicta sit; cf. *Breusing,* die Nautik der Alten, Bremen 1886 (*Bl.*); v. 2 *ascendentes navem adrumetinam,* secundum graecum non est navis ex Adrumeto, urbe maritima Africae et capite provinciae Byzacenae, sed ex Adramyttio, urbe Mysiae posita iuxta fluvium Caicum (cf. *Strabo* 13,1,51. 61; al. 606. 612; *Ptolem.* 5,2,5). Vocatur hodie Adramiti, Edramit; *incipientes navigare circa Asiae loca,* μέλλοντι quae navigatura erat ad loca Asiae minoris littoralia,

1. Adhuc *Claudianus* habet : Dictaque ab Augusto legio, nomenque probantes Invicti (de bello gildon. v. 422).

2. Hoc iter praecipue illustratur in opere : The voyage and shipwreck of St Paul by James Smith, London 1848, 2. ed. 1852, 4. ed. 1880.

in quibus navis illa sane mercatoria merces vel deponeret vel acciperet, *sustulimus* ἀνήχθημεν solvimus a Caesarea, *perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi,* de quo Col. 4,10 : salutat vos Aristarchus concaptivus meus; quem itaque apostolus eo nomine vocat quia socium ac comitem se praebuit suae captivitatis; nam in epistola ad Philem. v. 24 Aristarchus cum Marco, Dema, Luca inter adiutores Pauli recensetur; v. 3 *sequenti autem die devenimus Sidonem* certe secundo vento navigantes, cum distantia sit sat magna; κατήχθημεν appulimus; ἀνάγεσθαι, κατάγεσθαι verba sunt nautica; ἀν. dicuntur nautae, ubi oram solvunt, κατ. quando appellunt et portum subeunt (*Patr.*). Laudat Strabo praeclarum portum quem Sidon habet (13,2,22; al. 756).

Centurio omnino bene affectus erat erga Paulum; audierat sane a Festo esse virum nullius criminis reum, studio litterarum deditum (26,24. 31. 32); *humane* φιλανθρώπως benigne *autem tractans Iulius Paulum permisit ad amicos ire et curam sui agere*[1]; probabiliter licuit ei egredi cum milite qui eum custodiebat (cf. 28,16); aliquantulum aliter res exhibetur in codice floriacensi : permisit amicis qui veniebant (ad eum), ut curam eius agerent — sed, ut *Bl.* adnotat : potest utrumque verum esse : advenerunt Christiani (cf. de Tyriis 21,4. 5) audita re deditque centurio etiam egrediendi licentiam. Sidon urbs erat clara et illustris (*Strabo* l. c.), quare navis mercatoria ad merces imponendas vel eximendas fortasse aliquot dierum moram ibi fecit; v. 4 *et inde cum sustulissemus subnavigavimus Cyprum,* non commisimus nos alto mari, sed littora insulae Cypri ad laevam praeterlegimus (*Beel.*), *propterea quod venti essent contrarii;* recto enim cursu a Syria ita in Lyciam (v. 5) transmittere solebant, ut Cyprum a dextra relictam non attingerent; id autem quominus facerent, ventis (occidentalibus) prohibebantur; unde erat ad Cypri promontorium orientale accedendum (cf. *Bl.*). Cum veniret Paulus ab Asia in Syriam, praeternavigavit meridionalem partem Cypri (21,3); nunc vero septemtrionalem. Vocem ὑποπλεῖν explicat *Wetst.* : ubi navis vento contrario cogitur a recto cursu recedere, ita ut tunc insula sit interposita inter ventum et navem, dicitur ferri infra insulam. Cyprum ad laevam eos habuisse patet quoque ex v. 5 *et pelagus Ciliciae et Pamphiliae navigantes* διαπλεύσαντες pernavigantes, gig et cum pernavigassemus mare quod secundum Ciliciam est et Pamphiliam τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν; ex altera lectione navigabant

1. Hoc ἐπιμελείας τυχεῖν iam sufficit pro viro critico *Weiss.* ut inde quoque concludat Paulum non venire nunc ex tranquilla captivitate duorum annorum, verum ex laboribus et molestiis quibus vires eius exhaustae sint (erschöpfende Erlebnisse p. 446).

quindecim diebus, *venimus Lystram quae est Lyciae,* Lystram erit mendum; nam Lystra urbs Lyciae apud alios scriptores et in vetustis monumentis nusquam comparet; comparet autem Lystra urbs Lycaoniae, regionis non maritimae, sed in media Asia positae (14,6; *Patr.*). Venerunt *Myra,* in urbem Lyciae nobilissimam; sita erat viginti stadiis supra mare in excelso colle (*Strabo* 14,3,3. 7); cf. *Ptolem.* 5,3,6; 8,17,23.

Ibi navem adramyttenam relinquunt v. 6 *et ibi inveniens centurio navem alexandrinam navigantem in Italiam transposuit nos in eam;* ἐμβιβάζειν vox est propria, si agitur de aliquo navi committendo (cf. *Pape,* Lex.); v. 7 *et cum multis diebus tarde navigaremus et vix devenissemus contra Gnidum* κατὰ τὴν Κνίδον, secundum, circa Cnidum, urbem Cariae maritimam in peninsula, quam ab occasu alluit mare icarium, ab ortu rhodium, Cretam versus porrecta (*Patr.*); urbem describit *Strabo* 14,2,15; al. 655; *prohibente nos vento* scil. quominus occidentem versus navigaremus ad Italiam tendentes, *adnavigavimus Cretae* ὑπεπλεύσαμεν (v. 4) *iuxta Salmonem* promontorium Cretae (inter latera australe et boreale insulae) spectans ad orientem septemtrionemque. Vento igitur flante inter septemtriones et occasum deferebantur ad illud Cretae promontorium a Cnido (*Smith*) quem ventum appellant caurum (corum). Vocatur apud Strabonem Salmonium orientale Cretae promontorium et etiam Samonium (2,4,3; 10,3,20; 10,4,3 ἐξὺ ἀκρωτήριον Σαμώνιον).

Inde ad oram meridionalem Cretae navis dirigitur v. 8 *et vix iuxta navigantes* μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτήν et difficulter legentes eam i. e. oram meridionalem insulae legentes, secundum eam oram navigantes, *venimus in locum quendam qui vocatur Boniportus* Καλοὶ λιμένες, quod nomen hodie quoque retinetur Kalos limen (*Patr.*) vel stus (εἰς τοὺς) Kalus limiones; est is portus unicus per illas regiones, apertus ad orientem, sed ex parte duabus tribusve insulis protectus; distat a promontorio quod vocatur Matala (Lithinos) fere tria millia nautica ad orientem versus (*Bl.*). In narratione de itinere quod in Palaestinam fecit Rauwolf (Augsburg 1582) portus vocatur Calismene (cf. *Smith*); eum portum quoque commemorat Pococke (Morgenland, Erlangen 1771, II p. 361); portus iste apud veteres scriptores non reperitur, sicut neque urbs ei vicina : *cui iuxta erat civitas Thalassa,* vide lect. var.; rudera quaedam oppiduli invenit ea in regione *Spratt* (Travels and Researches in Crete II, 1 seq. *Bl.*) et eiusmodi urbem ibi fuisse prope portum nemo in dubium vocabit qui meminerit Cretam iam apud Homerum (Il. 2,649) ἑκατόμπολις appellari. Ceterum accipe quae *C. Mullerus* adnotat ad Anonymi Stadiasmum

maris magni n. 322 : prope promontorium, quod inter Καλοὺς λιμένας et Matalum versus libonotum longe procurrit, erat urbs Lisia, Lissa...; quo pacto in Actis ap. e Lissa factum sit Lisaea vel Alassa dicere non habeo. Dubitari vero nequit quin Ἀλαὶ Stadiasmi ad Λάσαιαν vel Ἄλασσαν Actorum referendum sit. In Stadiasmo legitur : ἀπὸ Λεβήνας εἰς Ἀλὰς στάδιοι κ' (cf. Geographi graeci minores, Parisiis 1854 I p. 506). In tabula Peuting. idem locus vocatur Lisia (l. Lissa) et 16 mill. a Gortyna distare dicitur.

Paulus qui iam ter naufragium passus (2 Cor. 11,25) itineris maritimi haud erat ignarus praevidet propter anni tempus navigationem fore periculis obseptam v. 9 *multo autem tempore peracto* scil. ab incepto itinere, quia ventis contrariis navigatio retardabatur v. 4. 7.8, *et cum iam non esset tuta navigatio,* ἐπισφαλής periculosa, *eo quod et ieiunium iam praeteriisset,* τὴν νηστείαν intellige ieiunium diei magni expiationis, qui erat dies decimus mensis septimi (Lev. 16,29), mensis tischri (sept.-oct.). Diem hunc *Iosephus* quoque τὴν νηστείαν vocat (Antiq. 3,10,3; 14,4,3; 18,4,3. Bell. iud. 5,5,7). Uti *Vegetius* dicit : post diem octavum decimum Kalendarum octobrium usque in tertium Idus novembris incerta navigatio est et discrimini propior, propterea quia post Idus septembris oritur Arcturus, vehementissimum sidus, et octavo Kalendas octobris aequinoctialis evenit acerba tempestas; circa Nonas vero octobris Hoedi pluviales, quinto Idus eiusdem Taurus (de re militari 5,9). Hoc itaque periculum advertens *consolabatur* παρῄνει admonebat *eos Paulus* v. 10 *dicens : viri, video quoniam cum iniuria* ὕβρεως vexatione, molestia magna *et multo damno non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse navigatio;* cf. 2 Cor. 12,10 ἐν ὕβρεσιν, vulg. in contumeliis, et *Iosephus* dicit τὴν ἀπὸ τῶν ὄμβρων ὕβριν (Antiq. 3,6,4 et Anthol. 7,91,3 δείσασα θαλάττης ὕβριν; cf. *Grimm,* Lex. *Wendt*). Vir criticus morosus, *Overbeck,* censet hunc Pauli timorem repugnare et adversari promissioni 23,11 acceptae. Sed Paulus pro se accepit promissionem se Romam visurum; proin etsi pro se certus erat se salvum evasurum e maris periculis, tamen eo modo de periculo omnibus imminente monere potuit; de communi autem omnium periculo monens cur non loqueretur, ut locutus est, adhibens formam dicendi communicativam?

Sed centurio satius duxit sequi consilium eorum quos rei nauticae peritiores Paulo esse iudicavit, v. 11 *centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat quam his quae a Paulo dicebantur;* κυβερνήτης qui ad clavum sedens navem dirigit; erat princeps nautarum; de eo dicitur ναυτῶν ἄρχειν, ναύτας ἐκλέγεσθαι, ἄρχειν πρωρέως, ipse

autem eligitur a nauclero, domino navis, et eius imperio subest (locos veterum affert *Wetst.*); v. 12 *et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent devenientes Phoenicen hiemare, portum Cretae respicientem ad africum et corum;* portus itaque ad hiemationem non erat idoneus. Cur non fuerit idoneus, colligendum erit ex situ alterius portus ad quem devenire optabant, qui itaque situ suo tutam praebebat navi stationem contra ventos et tempestates hiemales. Hic portus erat Phoenice, Φοίνιξ; *Strabo* commemorat κατοικίαν πρὸς τῇ νοτίῳ θαλάττῃ Φοίνικα τὸν Λαμπέων (10,4,3; al. 475), *Ptolemaeus* : Φοινικοῦς λιμήν, Φοίνιξ πόλις (3,17,3) et *Strabo* in isthmo centum fere stadiorum ad eius latus austrinum urbem collocat, ad cuius latus septemtrionale ponitur Amphimalla; quem situm portus congruere dicunt cum hodierno Lutro (cf. *Smith, Felt.*), quamvis alii contradicant (cf. *Wendt*). Ad verum eius situm determinandum cardo rei vertitur in explicatione βλέποντα κατὰ λίβα καὶ κατὰ χῶρον. Est λίψ ventus ἀπὸ δύσεως ὧν χειμερινῆς (*Strabo* 1,2,21; al. 29); africus, ventus spirans inter meridiem et occasum; χῶρος autem flat inter occasum et septemtrionem. Portus itaque respicit κατὰ *secundum* hos ventos; proin portus situs est versus illam regionem, in quam venti illi spirantes feruntur; proin apertus erat versus partes aquilonares et partes inter meridiem et ortum solis spectantes; atque eum situm ad orientem versus habet Lutro.

Discrimen in situ determinando inde ortum est quod alii κατὰ λίβα non de vento, sed de regione ex qua ventus fertur explicantes portum volebant spectare ad occidentem, scil. ad plagam esse apertum quae inter meridiem et occasum sit et inter occasum et septemtrionem. Occurrit quidem λίψ apud LXX in notione regionis meridionalis (Gen. 13,14; 20,1. Num. 2,10. Deut. 33,23); verum apud profanos scriptores λίψ et caurus (si lexicis fides est adhibenda) non occurrunt nisi de ventis; unde explicatio supra data : *secundum* ventos, i. e. secundum eam viam et regionem in quam venti feruntur, unice verbis congruere videtur, ita ut portus sit apertus versus illam regionem in quam venti feruntur, non vero versus illam e qua spirant (cf. *Smith, Felt.*). Quo situ portus tutam praebebat navibus stationem contra ventos spirantes ab occasu aquilonari et ab austro-occidentali parte, i. e. contra caurum et africum. In anonymi Stadiasmo n. 328 habetur : ab Apollonia ad Phoenicem εἰς Φοίνικα stadia 100; urbs est cum portu et insula. A Claudia ad Phoenicem stadia 300 (Georg. gr. min. I p. 507; ubi in nota loci quoque veterum et recentiorum quorundam de Phoenice et Claudia afferuntur).

Et primo quidem favente vento portum illum eos consequi posse

spes affulgebat non modica v. 13 *aspirante autem austro* ὑποπνεύσαντος leniter spirante *aestimantes propositum se tenere* κεκρατηκέναι se voto suo Phoenicen perveniendi iam veluti potitos esse (*Beel.*); cum enim navis dirigenda esset versus occidentem cum aliqua ad septemtrionem inclinatione (cursus enim erat W. N. W. *Smith*), auster lenis navigationi favebat, cuius flatum obliquis velis excipere poterant (*Patr.*); eo vento navis tenebatur secundum oram insulae neque in altum mare deferebatur; *cum sustulissent de Asson legebant Cretam* ἄραντες scil. τὰς ἀγκύρας, vel ἄραντες ἀπὸ τῆς γῆς scil. navem, profecti; ἆσσον comparativus est ad ἄγχι, propius legebant Cretam; proin quam proxime ad oram cursum navis tenebant; gig levantes iuxta colligebant Creten; utraque versio syriaca : navigabant (ph) circa Cretam. Quod vulg. habet de Asson, uti patet de insula Asson (20,13) cogitari nequit; fuit quidem in Creta oppidum nomine Asus seu Asum, satis celebre a templo Iovis, ex quo hic Iupiter Asius vocatus est; at urbs illa non erat maritima, sed mediterranea (*Plinius* n. h. 4,20; *Patr.*); insuper graecorum verborum constructio vetat ἆσσον habere pro nomine urbis. Quare hoc loco versio vulg. est relinquenda.

b) Iter tempestate molestum 27,14-26.

27,14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. 15. Quumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In insulam autem quamdam decurrentes, quae vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. 17. Qua sublata, adiutoriis utebantur accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent; submisso vase sic ferebantur. 18. Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt. 19. Et tertia die suis manibus armamenta navis proiecerunt. 20. Neque autem sole neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostrae.

21. Et quum multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit : Oportebat quidem, o viri, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc et iacturam. 22. Et nunc

27,14. Μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ ἔβαλεν κατ᾽ αὐτῆς ἄνεμος τυφωνικὸς, ὁ καλούμενος Εὐρακύλων. 15. συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου, καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, ἐπιδόντες ἐφερόμεθα. 16. νησίον δέ τι ὑποδραμόντες καλούμενον Καῦδα, ἰσχύσαμεν μόλις περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης· 17. ἣν ἄραντες, βοηθείαις ἐχρῶντο, ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον· φοβούμενοί τε μὴ εἰς τὴν σύρτιν ἐκπέσωσιν, χαλάσαντες τὸ σκεῦος, οὕτως ἐφέροντο. 18. Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν, τῇ ἑξῆς ἐκβολὴν ἐποιοῦντο· 19. καὶ τῇ τρίτῃ αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἔριψαν· 20. μήτε δὲ ἡλίου μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας, χειμῶνός τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου, λοιπὸν περιῃρεῖτο ἐλπὶς πᾶσα τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς.

21. πολλῆς τε ἀσιτίας ὑπαρχούσης, τότε σταθεὶς ὁ Παῦλος ἐν μέσῳ αὐτῶν εἶπεν, Ἔδει μὲν, ὦ ἄνδρες, πειθαρχήσαντάς μοι μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης, κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν.

suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animae erit ex vobis, praeterquam navis. 23. Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cuius sum ego et cui deservio, 24. Dicens : Ne timeas, Paule, Caesari te oportet assistere; et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. 25. Propter quod bono animo estote, viri : credo enim Deo quia sic erit quemadmodum dictum est mihi. 26. In insulam autem quamdam oportet nos devenire.

22. καὶ τὰ νῦν παραινῶ ὑμᾶς εὐθυμεῖν· ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμία ἔσται ἐξ ὑμῶν, πλὴν τοῦ πλοίου. 23. παρέστη γάρ μοι ταύτῃ τῇ νυκτὶ τοῦ Θεοῦ, οὗ εἰμι, ᾧ καὶ λατρεύω, ἄγγελος λέγων, 24. Μὴ φοβοῦ, Παῦλε· Καίσαρί σε δεῖ παραστῆναι· καὶ ἰδού, κεχάρισταί σοι ὁ Θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετὰ σοῦ. 25. διὸ εὐθυμεῖτε, ἄνδρες· πιστεύω γὰρ τῷ Θεῷ ὅτι οὕτως ἔσται καθ' ὃν τρόπον λελάληταί μοι. 26. εἰς νῆσον δέ τινα δεῖ ἡμᾶς ἐκπεσεῖν.

In v. 14 ευρακυλων ℵ A B*; ευροκλυδων HLP al pler syr cat. In v. 16 Καυδα ℵ^c B; κλαυδα ℵ* A (κλα, abscissis reliquis litteris) aliq minusc. syr arm; κλαυδην H L P al pler Chr Bed. In v. 17 pro σκευος praebent Chr aliq minusc τα ιστια. In v. 23 αγγελος post λατρεύω ℵ A B C aliq minusc cat; gig angelus dei cui deservio.

Verum haud diu durabat navigatio illa prospera quam sperabant v. 14 *non post multum autem misit se* ἔβαλεν ruit, vi scil. et impetu *contra ipsam* κατ' αὐτῆς scil. Κρήτης i. e. de Creta ruit, quasi de montibus insulae praeceps ruit; κατὰ proin eadem notione qua legitur Matth. 8,32 κατὰ τοῦ κρημνοῦ (Marc. 5,13. Luc. 8,33); *contra* insulam ventum spirasse intelligi non potest; nam navigium ex propinquitate insulae propulsabatur; *ventus typhonicus qui vocatur euroaquilo,* ventus procellosus, turbo; « typhon i. e. vibratus ecnephias, defert hic secum aliquid abruptum e nube gelida, convolvens versansque et ruinam suam illo pondere aggravans et locum ex loco mutans rapida vertigine; praecipua navigantium pestis » (*Plinius,* n. h. 2,49), εὐρακύλων quae vox alibi non occurrit, composita est ex εὖρος et aquilo et designat ventum qui flat inter eurum et aquilonem; « nomen licet credere usitatum fuisse nautis, id quod maxime obvium est huiusmodi ventos exleges qui a qua plaga flarent certo dici nequibat, designare nomine composito e nominibus illarum plagarum, quas inter horum ventorum origo vacillare atque hac illac ferri videbatur, ita ut euroaquilo vocaretur qui ab orientali coeli plaga quam eurus et aquilo terminant, ita flabat, ut flare videretur modo ab euro modo ab aquilone » (*Patr.*); explica : Nordostwind, ventus aquilo, spirans inter orientem et septemtrionem.

Hoc itaque vento vehementi et procelloso navis a littore cretensi propulsatur et spes attingendi Phoenicen portum iam perit, v. 15 *cumque arrepta esset navis et non posset conari in ventum* ἀντοφθαλμεῖν (cf. Sap. 12,14), proprie ex adverso intueri; dein obniti, obluctari, resistere, *data nave flatibus ferebamur,* ἐπιδόντες, additur in

altera lectione τῷ πνέοντι ergo navis vento qui flaret commissa est, καὶ συστείλαντες τὰ ἱστία, similiter *Cassiod.* : tum collectis velis navis per undas coepit efferri, et *Beda* notat : « haec alia translatio manifestius edidit : et arrepta navi cum non possent occurrere vento, commodata navi flatibus colligere vela coeperunt » et philox. versio addit : et sicut contingebat ferebamur; v. 16 *in insulam autem quandam decurrentes quae vocatur Cauda,* Gaudos (*Plinius* 4,20), Κλαῦδος νῆσος, ἐν ᾗ πόλις (*Ptolem.* 3,17,11); in Stadiasmo anonymi legitur : a Claudia ad Phoenicem stadia 300 (Geogr. min. I p. 508, ubi in nota : Mela quoque 2,7 insulas ad Cretam memorat Chrysen et Gaudum); hodie vocatur Gozzo; ὑποδραμόντες i. e. devecti infra parvam insulam νησίον et cum praetervcherentur oram insulae, aliquantulum insula interiacente ab impetu venti protegebantur; unde ea opportunitate usi sunt ad scapham navi alligatam e mari in navim attollendam, id quod tamen difficulter propter vehementem tempestatem effecerunt : *potuimus vix obtinere scapham* μόλις aegre compotes fieri valuimus (graece) linteris, qui scil. navi alligatus trahebatur post navem, v. 17 *qua sublata* ἣν ἄραντες, in navem sustulerunt; dein ad alia quibus navis contra tempestatis vim muniretur se convertunt : *adiutoriis utebantur accingentes navem,* βοηθείαις scil. adiumenta sunt quibus ad firmandam navem utebantur; in scriptoribus mechanicis βοήθειαι vocantur, quae ad structuram collapsam sustentandam supponuntur. Adhibebant igitur adminicula ad navim succingendam, i. e. circumligarunt navim funibus in exteriore ambitu, ut licet concussa non frangeretur eiusque asseres adstricti rudentibus, seu validis catenis non ita facile hiscerent (cf. *Calm. Beel. Patr. Felt. Bl. Wendt*). Eodem modo legitur apud Hesychium s. v. ζωμεύματα, ὑποζώματα, σχοινία κατὰ μέσον, τὴν ναῦν δεσμεύοντα. Eius rei exempla aliqua *Wetst.* affert; cf. quoque *Felt. Wendt.*

Cum itaque illo vento ad meridiem versus aliquo modo propellerentur, periculum erat, ne in syrtim tandem deveherentur; erant autem prope littus africanum duo loca arenosa, syrtis maior prope Cyrenaicam et syrtis minor prope Byzacenen; prior a Creta venientibus erat propior. Unde etiam contra hoc periculum adhibebant adminiculum : *timentes ne in syrtim inciderent summisso vase sic ferebantur;* de syrte maiore agit *Strabo* (17,3.20; al. 835), χαλάσαντες τὸ σκεῦος, saepe explicant σκεῦος instrumentum navis i. e. armamenta, vela, antennas, ita ut velis et antennis remotis cursus navis retardatus sit. Sed cum de velis collectis iam in v. 15 secundum aliquos testes mentio facta sit et insuper vela esse collecta statim ab initio tempestatis certum sit re ipsa, hic alia erit explicatio quaerenda.

Cursus navis erat retardandus; ad hoc attendere oportet quod habet *Beda :* trahebant autem et anchoras timentes ne occurrerent in syrtes. Quomodo hoc intelligendum sit, colligi potest ex versione quam habet gig : ne in syrtem incideremus, vas quoddam dimiserunt quod traheret. Quam explicationem etiam *Breusing* proposuit, quamquam non noverat quod Beda et gig habent; eam approbat *Bl. :* « opus erat ut retardaretur is cursus, quod efficere solebant funibus a puppi in mare demissis ad quos destinatae erant vel ancorae vel glomera magna quae cum traherentur aquae paullum resistebant; est igitur τὸ σκεῦος aut σπεῖρα, glomus, aut ancora » et affert *Plut.* Moral. 507 A : νεὼς μὲν γὰρ ἁρπαγείσης ὑπὸ πνεύματος ἐπιλαμβάνονται σπείραις καὶ ἀγκύραις τὸ τάχος ἀμβλύνοντες, et *Lucian.* Toxar. 19; unde usus ille veterum nautarum indubius redditur.

Ut syrtim vitarent, certe etiam ope gubernaculi navem quantum poterant a directione meridionali avertere conabantur. Inde quoque ex parte explicatur quod tandem in insulam Melitam sunt delati. Praeter periculum syrtis imminebat alterum fluctibus vento procelloso intumescentibus, scil. ne navis nimium immersa fluctibus obrueretur; huic mox esse occurrendum intellexerunt v. 18 *valida autem nobis tempestate iactatis sequenti die iactum fecerunt* i. e. ad navem levandam merces et onera proiecerunt in mare; immo tempestate perseverante et fortasse aucta v. 19 *et tertia die suis manibus* αὐτόχειρες quasi sedulitatem et magnum studium denotat navem exonerandi *armamenta navis proiecerunt* τὴν σκευήν, i. e. utensilia navis eiusque apparatum, supellectilem, puta mensas, scamna, antennas, vasa. Haec ideo quoque proiecisse censeri possunt, ne si per fluctus abriperentur insuper stragem darent (*Bl.*). In eiusmodi discriminibus primo quidem proiiciuntur merces, deinde sarcinae, et nauticus apparatus, denique annona, ut hic factum legimus (*Calm.*).

Veteres cum usum acus magneticae nautarum non haberent, cursum ad astra dirigebant; quare illis coelum diutius nubibus obtectum accidebat permolestum; v. 20 *neque autem sole neque sideribus apparentibus per plures dies et tempestate non exigua imminente iam ablata erat spes omnis salutis nostrae;* ita scil. mente praesagiebant animisque affecti erant de felici navigationis exitu desperantes et certum quasi exitium prospicientes; nam contra quos scopulos navis propelleretur vel num posset navis impetui fluctuum diutius resistere ne concussa dilaberetur plane ignorabant. Paulus utique certus erat se quocumque demum modo evasurum (23,11). Ceteros autem magna tenebat animorum depressio; unde prae moerore et consternatione vix cibum sumere volebant; v. 21 *et cum multa ieiunatio*

fuisset ἀσιτία abstinentia a cibo, cum se iam per aliquot dies parum cibo recreassent, Paulus illam animorum deiectionem, quae protracta inedia non poterat non augeri, tentabat removere bona spe ex certo indicio proposita, *tunc stans Paulus in medio eorum* σταθεὶς cum constitisset, *dixit : oportebat quidem, o viri, audito me non tollere a Creta, lucrique facere iniuriam hanc et iacturam* κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν i. e. evitare (lucrum illud acquirere quod evitata molestia exoritur) vexationem hanc et iacturam mercium aliarumque rerum; « mansuete loquitur; non increpat, non exasperatur; considera Pauli prudentiam; sciebat enim in calamitate increpantem non esse acceptum « (*Chr.*); ὕβριν cf. v. 10.

Sed cum iis in memoriam revocet quantopere illis profuisset consilium sapiens a se datum sequi, etiam animos praeparat, ut nunc talis viri sententiam suspiciant magnique faciant, v. 22 *et nunc suadeo vobis bono animo esse; amissio enim nullius animae erit ex vobis, praeterquam navis;* nemo ex vobis hac tempestate peribit; navis solum iactura erit. Et unde hoc sciat certo, addit v. 23 *astitit enim mihi hac nocte angelus Dei,* Dei scil. *cuius sum ego et cui deservio,* cuius ego servus sum et quem colo religiose λατρεύω (cf. 7,7; 24,14. Hebr. 9,14 etc.), v. 24 *dicens : ne timeas, Paule, Caesari te oportet assistere;* proin confirmatur promissio iam ei antea data (23,11); id quod in summo discrimine etiam solatio vertitur, etsi de illa promissione certa semper habita est fides; praeterea ei eximit timorem quem sane conceperat de aliorum vita : *et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum,* pro eorum vita igitur Paulus deprecatus erat et Deus precibus eius benigne annuit; « digni quidem morte sunt quia non obedierunt; verum in tui gratiam hoc fit » (*Chr.*) et inde inter alia concludit *Chr.* : retineamus nobiscum sanctos et non erit tempestas; imo etsi sit tempestas, erit serenitas et tranquillitas magna, liberatio a periculis, et *Hieronymus* : « Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, et postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausurus est et pro his qui in toto orbe ad suum evangelium crediderunt mutire non poterit »? et aliis exemplis contra Vigilantium ostendit sanctos hisce in terris cum effectu pro aliis orasse : « et postquam cum Christo esse coeperint, minus valebunt »? c. Vigil. n. 6; *M.* 23,344 (sim. *Lap. Calm. Patr.*).

Hac revelatione sibi facta et sua ipsius confidentia animos deiectos erigere studet v. 25 *propter quod bono animo estote viri; credo enim Deo quia sic erit quemadmodum dictum est mihi;* in cuius rei confirmationem addit declarans modum quo incolumes evadent v. 26 *in insulam autem quandam oportet nos devenire;* id quod eadem reve-

latione didicisse censendus est; ἐκπεσεῖν cf. v. 17 incidere; dicitur de navibus et de naufragis ex undis in rupes, vada arenosa, insulas eiectis vel impingentibus in saxa etc.

Viri quidam critici v. 21-26 tamquam vaticinium post eventum e narratione eiiciunt (*Zeller, Overb.*), etiam *Hilg.* interpolationem auctoris ad Theophilum ibi deprehendit, insuper iis versibus interrumpi contextum contendit, imo postea v. 29 seq. 42 rem hic narratam plane negari. Contra hos hoc loco adduci potest ipse *Weizs.;* hic quidem pleraque quae cap. 22-26 narrantur in dubium vocat et ex narratione illa adeo pellucida ac determinata solum pauca quaedam eaque valde vaga ad fidem historicam pertinere posse existimat, scil. praesentia Pauli tumultum in Ierusalem esse exortum; magistratum romanum iniecisse manus in Paulum tamquam tumultus et seditionis auctorem; eum quidem violentiae Iudaeorum esse ereptum a magistratu, at retentum captivum; ab ipso procuratore Paulum habitum esse seditionis auctorem et perturbatorem; sed sententiam iudicialem ab eo non esse datam, quia tandem Paulus Caesarem appellaverit. En, haec sola vult relinqui ex illa narratione! Hac autem truncatione et negatione rerum sese profecto non paucis commendat et probat tamquam virum eximie criticum! Iam idem plena persuasione eos arguit magni erroris qui in hac de itinere narratione aliquam interpolationem deprehendere sibi videantur; narrationem nullo modo posse discerpi; fieri nullatenus posse ut quae mira sint inde avellantur; nihil contineri in tota narratione quod non ita evenire potuisse censendum sit in re gesta et secundum opinionem hominum illorum; omnia quam optime congruere ad Pauli imaginem et ad ea quae Paulus ipse narret de vi et efficacia prophetiae et charismatum seu doni miraculorum in coetibus fidelium (p. 447).

Unde criticis opponimus criticum. Ceterum *Wendt* quoque agit contra illos criticos. Neque v. 30 seq. 42 negatur illud Pauli effatum. Quid, si nautae prae reliquis *faciliore modo* se servare volebant timentes, ne postea fracta navi diutius iactarentur fluctibus et solum maxima molestia perfuncti ad aridam eiicerentur? Quid, si nautae non omnino verbis Pauli plenam fidem adhibentes tutiorem viam eligere malebant? num id cogitari nequit? nonne omnes natura duce impelluntur, ut praesenti periculo sese subducant praesertim si maius periculum evasurum sit? Et plane frivolum est obiicere ex v. 42; volunt milites occidere captivos ne effugiant; ergo quia sciebant vel putabant illos fore superstites, volebant eos interimere. Nonne id potius confirmat rem a Paulo praedictam?

c) Naufragium faciunt 27.27-44.

27,27. Sed posteaquam quarta decima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur nautae apparere sibi aliquam re-

27,27. Ὡς δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτη νὺξ ἐγένετο, διαφερομένων ἡμῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, κατὰ μέσον τῆς νυκτὸς ὑπενόουν οἱ ναῦται προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν· 28. καὶ βο-

gionem. 28. Qui et submittentes bolidem, invenerunt passus viginti; et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. 29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. 30. Nautis vero quaerentibus fugere de navi quum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere, 31. Dixit Paulus centurioni et militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. 32. Tunc absciderunt milites funes scaphae, et passi sunt eam excidere.

33. Et quum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum dicens: Quarta decima die hodie exspectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. 35. Et quum haec dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, et quum fregisset, coepit manducare. 36. Animaequiores autem facti omnes, et ipsi sumpserunt cibum. 37. Eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, iactantes triticum in mare.

39. Quum autem dies factus esset terram non agnoscebant: sinum vero quemdam considerabant habentem littus in quem cogitabant, si possent, eiicere navem. 40. Et quum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum; et levato artemone secundum aurae flatum tendebant ad littus. 41. Et quum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem; et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. 42. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis quum enatasset, effugeret. 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri; iussitque eos qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire; 44. Et caeteros alios in

λίσαντες εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσι· βραχὺ δὲ διαστήσαντες, καὶ πάλιν βολίσαντες, εὗρον ὀργυιὰς δεκαπέντε· 29. φοβούμενοί τε μήπου κατὰ τραχεῖς τόπους ἐκπέσωμεν, ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας, ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι· 30. τῶν δὲ ναυτῶν ζητούντων φυγεῖν ἐκ τοῦ πλοίου, καὶ χαλασάντων τὴν σκάφην εἰς τὴν θάλασσαν, προφάσει ὡς ἐκ πρῴρας ἀγκύρας μελλόντων ἐκτείνειν, 31. εἶπεν ὁ Παῦλος τῷ ἑκατοντάρχῃ καὶ τοῖς στρατιώταις, Ἐὰν μὴ οὗτοι μείνωσιν ἐν τῷ πλοίῳ, ὑμεῖς σωθῆναι οὐ δύνασθε. 32. τότε ἀπέκοψαν οἱ στρατιῶται τὰ σχοινία τῆς σκάφης, καὶ εἴασαν αὐτὴν ἐκπεσεῖν.

33. ἄχρι δὲ οὗ ἡμέρα ἤμελλεν γίνεσθαι, παρεκάλει ὁ Παῦλος ἅπαντας μεταλαβεῖν τροφῆς λέγων, Τεσσαρεσκαιδεκάτην σήμερον ἡμέραν προσδοκῶντες, ἄσιτοι διατελεῖτε, μηδὲν προσλαβόμενοι. 34. διὸ καὶ παρακαλῶ ὑμᾶς μεταλαβεῖν τροφῆς· τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει· οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀπολεῖται. 35. εἴπας δὲ ταῦτα καὶ λαβὼν ἄρτον, εὐχαρίστησεν τῷ Θεῷ ἐνώπιον πάντων, καὶ κλάσας ἤρξατο ἐσθίειν. 36. εὔθυμοι δὲ γενόμενοι πάντες, καὶ αὐτοὶ προσελάβοντο τροφῆς· 37. ἤμεθα δὲ αἱ πᾶσαι ψυχαὶ ἐν τῷ πλοίῳ (διακόσιαι) ὡς ἑβδομήκοντα ἕξ. 38. κορεσθέντες δὲ τροφῆς, ἐκούφιζον τὸ πλοῖον, ἐκβαλλόμενοι τὸν σῖτον εἰς τὴν θάλασσαν.

39. Ὅτε δὲ ἡμέρα ἐγένετο, τὴν γῆν οὐκ ἐπεγίνωσκον· κόλπον δέ τινα κατενόουν ἔχοντα αἰγιαλὸν, εἰς ὃν ἐβουλεύοντο, εἰ δύναιντο, ἐκσῶσαι τὸ πλοῖον. 40. καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες εἴων εἰς τὴν θάλασσαν, ἅμα ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων· καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμωνα τῇ πνεούσῃ κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. 41. περιπεσόντες δὲ εἰς τόπον διθάλασσον, ἐπέκειλαν τὴν ναῦν· καὶ ἡ μὲν πρῷρα ἐρείσασα ἔμεινεν ἀσάλευτος, ἡ δὲ πρύμνα ἐλύετο ὑπὸ τῆς βίας (τῶν κυμάτων). 42. τῶν δὲ στρατιωτῶν βουλὴ ἐγένετο ἵνα τοὺς δεσμώτας ἀποκτείνωσιν, μή τις ἐκκολυμβήσας διαφύγῃ. 43. ὁ δὲ ἑκατοντάρχης, βουλόμενος διασῶσαι τὸν Παῦλον, ἐκώλυσεν αὐτοὺς τοῦ βουλήματος, ἐκέλευσέν τε τοὺς δυναμένους κολυμβᾷν, ἀπορρίψαντας πρώτους ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι,

tabulis ferebant, quosdam super ea quae de navi erant. Et sic factum est ut omnes animae evaderent ad terram.

44. καὶ τοὺς λοιποὺς, οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. καὶ οὕτως ἐγένετο πάντας διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν.

In v. 29 add in fine gig ut sciremus an salvi esse possimus; et in fine v. 30 ut tutius navis staret; et in v. 34 hoc enim pro vestra salute est; spero enim in Deo meo quoniam nullius vestrum capillus de capite cadet, απολειται ℵ A B C aliq minusc cat cop arm syr (sch); al πεσειται. In v. 35 add in fine 137. sah ph c* επιδιδους και ημιν. In v. 37 B sah ως εβδομ. εξ; rell διακοσιαι quae lectio retinenda est; nam in numero exacto non adhibetur ως et ως explicatur ex πλοιως, cum numerus sit expressus littera. In v. 39 pler εξωσαι, B*C εκσωσαι, salvare cop arm. In v. 41 επεκειλαν ℵ A B* C aliq minusc, al επωκειλαν, υπο της βιας sine add ℵ* A B. In v. 43 gig centurio autem prohibuit hoc fieri praecipue propter Paulum ut salvum illum faceret.

Ad insulam illam, de qua Paulus loquitur v. 26, delati sunt demum die decimo quinto postquam solverunt a Bonis portubus (v. 8); « emensi erant iis diebus iter 474 milium nauticorum vel etiam paullo longius; nam initio meridiem versus deflexerant, cum esset euroaquilo; is ventus postea in eurum, tum euronotum erat mutatus. Hinc in singulas horas tantum fere spatii emensi computatur, quantum hodie quoque navis vento acta emetiri creditur » (*Bl.*); v. 27 *sed posteaquam quarta decima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria,* διαφερομένων ἡμῶν dum huc illuc iactaremur. Mare adriaticum latiore sensu usurpatur quoque de mari ionio et siculo; id *Strabo* indicat : « primae seu exteriori parti maris nomen ionii tribuitur, Adriae autem interiori usque ad intimum sinus recessum; quamquam hodie etiam totum mare hoc nomen gerit » (7,5,9; al. 487). Idem testatur *Ovidius* dum ait a Sicilia Corinthum navigationem esse per Hadraticum (Fast. 4, 501; *Patr.*) et *Ptolemaeus* docet Siciliam ad orientem versus allui mari adriatico (3,4,1); *circa mediam noctem suspicabantur nautae apparere sibi aliquam regionem* προσάγειν αὐτοῖς appropinquare sibi aliquam terram; locutio nautis familiaris; accedere enim vel recedere terra dicitur, ut navis accedit vel recedit a littore, uti illud : provehimur portu, terraeque urbesque recedunt (*Calm.*). Unde id suspicati sint, vix dici potest certo; potuisse nautas discernere sonitum fluctuum in litus distans illisorum et acerrima oculorum acie spumam undarum advertere (cf. *Felt.*) vel potuisse id concludi, quia ancora (vel quidquid erat) quam post navem trahebant (v. 17) videretur solum attingere (*Bl.*), vel ut *Calm.* existimat, ex odore terrae, ex frigidiore aere, vel denique ex ventis.

Rem statim explorant v. 28 *qui et summittentes bolidem* βολίσαντες perpendiculum nauticum demittentes ad explorandam profunditatem maris *invenerunt passus viginti* ὀργυιάς; est ὀργυιά pedum sex, stadii

pars centesima; describitur ut mensura utrumque extensum brachium aequans; *et pusillum inde separati*, βραχὺ δὲ διαστήσαντες cum paululum discessissent (se, aut navim removissent; cf. *Buttmann* p. 41) et iterum bolidem demisissent, *invenerunt passus quindecim;* adeo brevi intervallo tantum imminui profunditatem maris certum erat indicium prope esse terram; unde ne in scopulos impingerent, consultum erat etiam ob noctis tenebras, cum essent ignari quo tandem propellerentur, iactis anchoris navem sistere v. 29 *timentes autem ne in aspera loca incideremus* in loca scopulosa, *de puppi mittentes anchoras quattuor optabant diem fieri,* ut tandem post tam longam et procellis agitatam navigationem incertam perspicerent in quam regionem essent delati. Die itaque illucescente nautae tutiorem partem sibi eligere tentabant; coniecerunt ex imminuta maris profunditate fieri non posse, ut navis ad terram appelleretur; quare ope scaphae se ad terram proripere volebant v. 30 *nautis vero quaerentibus fugere de navi cum misissent scapham in mare sub obtentu quasi inciperent a prora anchoras extendere,* quasi vellent a prora procedere quantum possent et extensis funibus anchorarum anchoras dimittere; verum Paulus perspexit falso id praetendi, cum ad nihil utile esset illorum consilium quod fingebant v. 31 *dixit Paulus centurioni et militibus : nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis;* dicit *vos;* de se certus erat et hic id agebatur, ut illi sibi ipsis prospicientes et de suo periculo edocti nautas impedirent, quominus reliquos certo interitui traderent.

Milites et captivi artis navigandi erant ignari; unde si nautae cum scapha aufugerint, reliquis iam non relinquitur spes perveniendi ad terram. Neque iis verbis Paulus negat quae antea v. 24 dixerat; nam « Deus Paulo aperuerat neminem ex iis qui una ferebantur periturum; non tamen propterea miracula promisit, ita ut salutem polliceretur, tametsi humanae opes penitus deessent. Manere omnes in navi volebat, ut alter alteri opem praestaret, omnem simul industriam et artem pro viribus adhiberent; Dei promissio eam tacitam conditionem ferebat, si nautae muneri suo non deessent » (*Calm.*). Milites Paulo credunt v. 32 *tunc absciderunt milites funes scaphae,* quibus scil. demissa ex navi scapha adhuc retinebatur, antequam nautae descendentes propositum exsequi poterant, *et passi sunt eam excidere,* eam elabi undisque abripi; v. 33 *et cum lux inciperet fieri, rogabat* παρεκάλει hortabatur (gig) *Paulus omnes sumere cibum dicens : quarta decima die hodie exspectantes* prae exspectatione metuque quid tandem saeviente continuo procella eventurum esset, *ieiuni permanetis* ἄσιτοι sine cibo, *nihil accipientes;* hyperbolen facile agno-

veris, vide ad v. 21; notat *Patr.* Christum quoque ea usum esse, cum diceret de Ioanne baptista : venit Ioannes neque manducans neque bibens (Matth. 11,18), quem tamen constet locustis et melle silvestri vesci solitum fuisse.

In tanto periculo reliquis fractis et demissis animosque despondentibus Paulus prudentia, fortitudine eminet; praevidet instare multum laborem et fatigationem, ut tandem salvi evadant ad terram; unde ut vires reficiant omnes et pares sint labori subeundo iterum monet; v. 34 *propter quod rogo vos* παρακαλῶ ideoque hortor vos (gig) *accipere cibum pro salute vestra,* hoc enim pro vestra salute est (gig), ad vestram salutem conducit; viribus opus est in hoc discrimine; neque enim desperandum est, sed id exspectandum quod Deus promisit; quare ad confortandos eos addit cum summa quadam fiducia, qua eorum animos erigat : *quia nullius vestrum capillus de capite peribit,* locutione proverbiali et hyperbolice declarat omnes sine ullo damno fore incolumes; ex revelatione angeli scivit solum amissionem nullius animae fore v. 22 i. e. omnes vivos esse evasuros naufragio facto. Spe in Deum fretus plus promittit; id quod in altera lectione indicatur : spero enim in Deo meo, quoniam nullius vestrum capillus de capite cadet (gig); v. 35 *et cum haec dixisset, sumens panem,* exemplo praeit, *gratias egit Deo in conspectu omnium,* uti fecit Christus antequam panes daret distribuendos (Matth. 15,36. Marc. 8,6. Ioan. 6,11) et uti apostolus alias dicit fieri ante manducationem (Rom. 14,6. 1 Cor. 10,30. 31), *et cum fregisset coepit manducare,* additur in altera lectione : ἐπιδιδοὺς καὶ ἡμῖν i. e. Lucae et Aristarcho. Ex modo loquendi et ex hoc additamento concludunt *Bels. Bl.* apostolum sibi et hisce suis sociis panem consecratum, eucharistiam dedisse (cf. 2,42. 46; 20,7. 11; Luc. 22,19).

Uti *Ammonius* in cat. notat, docet Paulus gratias agens gentiles τὴν θεοσέβειαν et panem non aliter esse frangendum quam actis soli Deo gratiis. Exemplo verbisque Pauli ceteri quoque cibum capiunt; v. 36 *animaequiores autem facti* εὔθυμοι bono animo (cf. v. 25) *omnes et ipsi sumpserunt cibum;* v. 37 *eramus vero universae animae in navi ducentae septuaginta sex* αἱ πᾶσαι ψυχαὶ animae ad unam omnes (*Bcel. Patr.*); probabile est tum ipsum initum esse numerum, ut postea scire possent, num omnes salvi essent (*Bl.*); alii putant ea occasione Lucam numerum computasse (cf. *Felt.*). Numerus hic nullatenus suspicionem movere potest; nam veteres etiam sat magnas habebant naves. Narrat *Iosephus* (vita n. 3) de suo itinere romano : nostra navi in medio sinus adriatici submersa, cum essemus numero circiter sexcenti, per totam noctem natavimus. *Lucianus* quoque

narrat de navi habente longitudinem 120 cubitorum, latitudinem supra quartam huius partem et habente de constrato navis in fundum usque ad sentinam 39 cubitos (Πλοῖον ἢ εὐχή n. 5.) et Athenaeus refert quod Callixenos de navi Philopatoris narrat, fuisse scil. longitudinis 280 cubitorum (πηχῶν), altitudinis ἕως ἀκροστολίου 48 cubitorum (5,37) et, uti Plutarchus scribit, ea navi contineri poterant virorum septem millia quadringenti (Demetrius n. 43).

Quo magis ad terram appropinquare possent, navem quam maxime levem reddere studebant v. 38 *et satiati cibo alleviabant navem iactantes triticum in mare* τὸν σῖτον frumentum, triticum, dein voce illa etiam ea significantur quae ex frumento parantur : farina, panis, cibaria. De eiecto onere navis hoc loco nequit cogitari; nam id iam in v. 18 eiectum esse narratur; v. 39 *cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant,* non cognoverunt in quam regionem essent delati; *sinum vero quendam considerabant* animadvertebant, *habentum littus,* « sunt enim sinus quos praerupti scopuli obsidentes reddunt inaccessos » (*Calm.*), littus igitur apertum, ad quod navem appellere possent; *in quem* (sinum, κόλπον) *cogitabant si possent eiicere navem* ἐβουλεύοντο consilium capiebant, ἐκσῶσαι navem servare, e periculo eripere; sed εἰς ὃν refer ad αἰγιαλόν, ad littus, ad quod navem propellere (ἐξῶσαι, ut plerique legunt) volebant. Quomodo se ad id praepararint, iam describitur : et primo quidem amputatis funibus anchoras in mari relinquunt, neque enim pondere earum navem onerare cupiebant v. 40 *et cum anchoras sustulissent* περιελόντες penitus solvissent, abstulissent, *committebant* (*se*) *mari,* proiiciebant in mare (gig), εἴων relinquebant eas in mari; dein ad navigandum gubernacula et artemonem praeparant : *simul laxantes iuncturas gubernaculorum;* in maioribus navibus bina erant gubernacula (*Beel. Patr. Felt.*) τὰς ζευκτηρίας vincula solverunt illa, quibus gubernacula adstricta et navi annexa erant; laxatis vinculis gubernacula in mare descendunt et apta fiunt ad navem dirigendam *et levato artemone* et sublato in altum velo (explicant : supparum, Bramsegel) τῇ πνεούσῃ et ad ventum expanso, ad ventum recipiendum, *secundum aurae flatum, tendebant ad littus,* κατεῖχον, ita scil. navem *detinere* conabantur, ut appellerent ad littus (de voce cf. *Wetst. Beel. Passow,* Lex.).

Mox autem impingunt in linguam in mare excurrentem v. 41 *et cum incidissemus in locum dithalassum,* bimarem, qui ex utraque parte mare habet et qui vel ex mari eminet vel sub mari protenditur, *impegerunt navem et prora quidem fixa manebat immobilis* ἐρείσασα illisa, infixa scil. vado, *puppis vero solvebatur a vi maris* ἐλύετο dissolvi coepta est. Brevi itaque navis erat frangenda penitus; quare

nihil restabat (scapha iam amissa v. 32), nisi ut natatione terram attingere conarentur v. 42 *militum autem consilium fuit, ut custodias,* captivos, *occiderent, ne quis cum enatasset effugeret;* cf. 12,18; 16,28; nam de custodia reorum statutum erat : ipsum volumus huiusmodi poena consumi, cui obnoxius docebitur fuisse qui fugerit (Codex Iustin. 9,4,4 C; *Wetst.*); v. 43 *centurio autem volens servare Paulum* (vide lect. var. gig) *prohibuit fieri,* graece : eos ab hoc consilio prohibuit, *iussitque eos qui possent natare emittere se primos et evadere et ad terram exire,* v. 44 *et ceteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quae de navi erant,* reliquos qui natare non possent iussit partim (οὓς μὲν) in tabulis, ἐπὶ σανίσιν in asseribus, trabibus, partim (οὓς δὲ) in aliis quae de navi accipere possent, evadere ad terram; *et sic factum est, ut omnes animae evaderent ad terram.* Erat hoc quartum naufragium quod Paulus fecit (cf. 2 Cor. 11,25); et id quidem ad Melitam insulam (Malta), in eo sinu cui nomen est a S. Paulo; vadum cui navis illisa haerebat putant esse inter Melitam et parvam insulam cui nomen Salmonetta (cf. *Felt.*). Ceterum vide *Vigouroux* l. c. p. 321.

d) De commoratione melitensi 28,1-10.

28,1. **Et quum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis.** 2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat, et frigus. 3. Quum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera a calore quum processisset, invasit manum eius. 4. Ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant : Utique homicida est homo hic, qui quum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. 5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. 6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum.

7. In locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publii, qui nos

28,1. Καὶ διασωθέντες, τότε ἐπέγνωμεν ὅτι Μελιτήνη ἡ νῆσος καλεῖται. 2. Οἵ τε βάρβαροι παρεῖχαν οὐ τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν ἡμῖν. ἅψαντες γὰρ πυρὰν, προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς, διὰ τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεστῶτα, καὶ διὰ τὸ ψῦχος. 3. Συστρέψαντος δὲ τοῦ Παύλου φρυγάνων τι πλῆθος, καὶ ἐπιθέντος ἐπὶ τὴν πυρὰν, ἔχιδνα ἀπὸ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ. 4. ὡς δὲ εἶδον οἱ βάρβαροι κρεμάμενον τὸ θηρίον ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, πρὸς ἀλλήλους ἔλεγον, Πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος οὗτος, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. 5. ὁ μὲν οὖν ἀποτινάξας τὸ θηρίον εἰς τὸ πῦρ, ἔπαθεν οὐδὲν κακόν. 6. οἱ δὲ προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν· ἐπὶ πολὺ δὲ αὐτῶν προσδοκώντων, καὶ θεωρούντων μηδὲν ἄτοπον εἰς αὐτὸν γινόμενον, μεταβαλόμενοι ἔλεγον αὐτὸν εἶναι θεόν.

7. Ἐν δὲ τοῖς περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον ὑπῆρχεν χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ, ὃς ἀναδεξάμενος ἡμᾶς ἡμέρας

suscipiens triduo benigne exhibuit. 8. Contigit autem patrem Publii febribus et dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intravit, et quum orasset et imposuisset ei manus, salvavit eum. 9. Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant, et curabantur; 10. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quae necessaria erant.

τρεῖς φιλοφρόνως ἐξένισεν. 8. ἐγένετο δὲ τὸν πατέρα τοῦ Ποπλίου πυρετοῖς καὶ δυσεντερίῳ συνεχόμενον κατακεῖσθαι· πρὸς ὃν ὁ Παῦλος εἰσελθὼν καὶ προσευξάμενος, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἰάσατο αὐτόν. 9 τούτου δὲ γενομένου οἱ λοιποὶ οἱ ἐν τῇ νήσῳ ἔχοντες ἀσθενίας προσήρχοντο καὶ ἐθεραπεύοντο· 10. οἳ καὶ πολλαῖς τιμαῖς ἐτίμησαν ἡμᾶς, καὶ ἀναγομένοις ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὰς χρείας.

In v. 1 B' ph arm am fu demid gig Μελιτηνη, Militene. In v. 3 gig momordit manum eius; v. 4 vivere equitas non permisit. In v. 7 syr ph c' add in domo suo; gig qui nos hospicio humane recepit per triduum.

Navem esse delatam non in insulam Melitam prope Dalmatiam (hodie Meleda), sed in Melitam (Malta) insulam inter Siciliam et Africam elucet tum ex nomine venti quo navis propellebatur, tum ex loci descriptione ad quem appellebant 27,39-41, quae descriptio neutiquam in insulam priorem congruit, tum ex itinere quod narratur 28,12 seq. : navigant ex insula Syracusam, Rhegium. Insulam a Syracusa abesse fere 800 stadia *Diodorus* siculus ait, esse coloniam Phoenicum, incolas esse opulentos (Bibl. 5,12); v. 1 *et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur; barbari vero praestabant non modicam humanitatem nobis,* βάρβαροι vocantur ignotae linguae homines; loquebantur incolae punice. « Carthaginiensium cum esset, capta est insula a Romanis a. 218 (Liv. 21,51) attributaque est Siciliae provinciae. Ceterum sunt et nummi Μελιταιων inscripti et graecae inscriptiones Melitensium, in quarum una (Inscr. gr. Italiae et Sicil. 953) προξενίας εὐεργεσίας que honores in Syracusanum quendam conferuntur, comparentque Melitensium ἱεροθύτης et ἄρχοντες; sed interest aliquid inter oppidum ipsum et rus quo tum venerant » (v. 7; *Bl.*). Urbs in media insula sita etiam Melite vocabatur (cf. Ptolem. 4,3,47). Qua in re ostenderint φιλανθρωπίαν, narratur v. 2 *accensa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat* ἐφεστῶτα qui obtinebat, qui ingruerat (cf. *Beel. Patr. Felt. Bl. Wendt*) *et frigus;* προσελάβοντο, iam *Beda* notat : « in graeco scriptum est : *recipiebant* nos, quod et nos arbitramur primo sic interpretatum esse in latinum, sed librariorum negligentia mutatum ». Fertur quoque lectio προσανελάμβανον (ℵ* 137.) quam *Bl.* adoptavit et *reficere* explicat, Polyb. 9,8,7 προσαναλαβὼν τὴν δύναμιν ἐκ τῆς κακοπαθείας.

Paulus uti antea bono omnium providit, ita nunc quoque videmus

illum operantem (cf. *Chr.*) v. 3 *cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem et imposuisset super ignem, vipera a calore cum processisset,* quae scil. inter illa sarmenta frigore torpens delitescebat, at nunc prae calore excitata a sarmentis prodibat (*Beel.*) *invasit manum eius* καθῆψε apprehendit, quam vocem explicant *Theodoretus* in cat. *Oec. Theoph.* : τῇ χειρὶ τοὺς ὀδόντας ἐμβαλοῦσα, manui mordens adhaesit (*Beel.*), momordit (*Patr. Felt. Bl. Weiss*) et eo modo certe etiam Melitenses id quod viderant concipiebant, quamvis vox de se solum dicat : apprehendit. Atque ex narratione Lucae quoque colligitur morsum manui esse infixum; nam v. 5 explicite dicit : postquam bestiam excussisset in ignem, nihil mali passus est, id quod sane esset valde supervacaneum, si vipera solum se circa manum eius circumvolvisset, quam sententiam aliqui tenent, qui viperam a Deo cohibitam esse ne morderet existimant. Pariter a narratione abest quod alii proponunt, viperam aut non fuisse venenatam etsi Melitenses eam pro venenata habuerint, vel si fuerit, sese solum insinuasse manui Pauli non autem morsum infixisse (contra quas sententias bene disputant *Calm. Patr. Wendt*) Dicunt hodie iam non esse eiusmodi bestias in insula; id quod nil refert; nam olim insula arbustis arboribusque erat consita, hodie vix arbores conspiciuntur (cf. *Breusing* l. c. p. 191; *Vigouroux* l. c. p. 323; *Felt.*). Incolae quidem id dicuntur Paulo eiusque beneficio acceptum referre quod tuti sint a bestiis venenatis (*Calm. Patr.*); quod utique sine miraculo explicari potest; nam silvis arbustisque deficientibus et soli conditione mutata etiam genera quaedam animalia in aliqua regione exstingui, saepe iam notatum est et ipsa necessitate naturae consequi debet.

Vide naturale iudicium clare expressum (διηρθρωμένην κρίσιν) etiam apud barbaros (*Chr. Theoph.*) v. 4 *ut vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad invicem dicebant : utique* πάντως profecto, omnino (cf. 21,22), *homicida est homo hic qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere* οὐκ εἴασεν non permisit; adeo certi sunt de morte mox secutura; poterant ad tale iudicium induci quia Paulum inter captivos esse videbant, unde ex invasione viperae concludunt eum esse hominem insigniter facinorosum. Quod dicitur ἡ δίκη i. e. dea Iustitia apud Graecos, vel simpliciter iustitia, explica de ultrice iustitia; exprimitur enim barbarorum opinio, crimen a numine divino haud impunitum relinqui, verum mox hisce in terris exigi ultionem. Qua in opinione verum falso admixtum cernitur. Verum quod ibi latet effert *Chr.* : « ergo providentiae rationem habebant et magis philosophi erant quam ipsi philosophi; hi enim

ea quae sub luna fiunt providentia frui non sinunt; illi vero ubique putabant Deum esse praesentem et quod multa quis effugerit, non usque in finem tamen effugiet ». Notat *Bl.* : « quaeri potest quomodo intellexerit Lucas quae dicerent; vix enim erat inter naufragos aliquis qui punice sciret. An cum illi ad Publium de Paulo referrent (7 seq.), ipsi narraverunt id primo se opinatos esse »? Elucet ex v. 9. 10 inter Paulum et incolas multam intercessisse consuetudinem; proinde eos etiam atque etiam narrasse quid primo de eo inter se opinati sint, quid magis hominum naturae consentaneum censeri potest? et cum insula etiam a Graecis incoleretur et iam diu in potestate esset Romanorum provinciae Siciliae addicta, certe minime deerant qui graece loquerentur.

Ex incolarum verbis pariter elucet eos novisse viperam esse venenatam; v. 5 *et ille quidem excutiens bestiam in ignem* ἀποτινάξας (Luc. 9,5) excussit et *nihil mali passus est;* animadversum est Lucam ex arte medica θηρίον appellare viperam; quo nomine quoque utuntur Hippocrates, Dioscorides, Aelianus, Aristoteles, Plutarchus, Nicander in Theriacis, unde et illi qui a viperis admordentur θηριόδηκτοι, θηριώδεις audiunt et remedium adversus viperinos morsus θηριακόν seu θηριακὴ ἀντίδοτος nomen est sortitum (cf. *Wolfius* in h. l. apud *Patr.*); v. 6 *at illi existimabant eum in tumorem convertendum* προσεδόκων exspectabant, πίμπρασθαι τουτέστι διαρρήγνυσθαι (*Chr. Theoph.*), intumescere (*Beel. Patr. Felt. Bl.*); propria notio est inflammari, incendi; gig suscendi, *et subito casurum; diu autem illis exspectantibus et videntibus nihil mali* ἄτοπον nihil incommodi *in eo fieri* εἰς αὐτόν, contra eum, *convertentes se* μεταβαλόμενοι i. e. mutata sententia *dicebant eum esse deum,* quod indoli rudium plane congruit; vide 14,11 ubi Lystrenses pariter iudicabant deos forma humana se spectandos praebere.

Etiam magistratus romanus naufragos aliquos bene excepit v. 7 *in locis autem illis erant praedia principis insulae, nomine Publii, qui nos suscipiens triduo benigne exhibuit* φιλοφρόνως ἐξένισεν hospitio humane recepit (gig). Quot exceperit, dici nequit; invitatos esse centurionem et milites utpote romanos probabile est; centurio secum adduxit Paulum quem magni aestimabat eiusque socios. Num vero omnes naufragi excepti sint, donec aliter sibi providere possent, vicina illa villa, cum tamen diutius imbre et frigore obtinente manere non possent sub dio, quaeri potest; alii affirmant (*Weiss*), negant alii (*Beel. Felt. Wendt*). Notandum hic quoque quam accurate Lucas magistratui romano titulum eum adscribit qui in ea insula in usu erat: legitur enim τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, iam reperta est inscriptio graeca, in

qua eques romanus Prudens πρῶτος Μελιταίων καὶ Γαύδων (insulae vicinae, cui nomen Gaudos, hodie Gozzo) nominatur; fertur quoque antiqua inscriptio latina, in qua Primus Melitensium legitur (cf. *Patr. Felt. Vigouroux* l. c. p. 323, *Wendt, Smith*). Publius itaque supremo magistratu municipum Melitensium fungebatur. De nomine advertit *Bl.*: erat ei id praenomen, si erat civis romanus; verum mirum est illa aetate praenomen solum indicari; itaque potius ut in homine provinciali pro nomine unico putandum, cf. Marcus, Lucius al.

Amplissimam recepit Publius hospitalitatis mercedem v. 8 *contigit autem patrem Publii febribus* πυρετοῖς (Luc. 4,39) *et dysenteria vexatum iacere,* intestinorum torminibus correptum, *ad quem Paulus intravit, et cum orasset et imposuisset ei manus, salvavit eum,* ἰάσατο sanavit; v. 9 *quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant et curabantur;* post triduum illud v. 7 Paulus cum sociis in aliud hospitium, in urbem ipsam (*Bl.*) concessit et fama sanationis percrebrescente reliqui quoque οἱ λοιποί Paulum adibant et sanabantur; iique gratum quoque animum exhibebant v. 10 *qui etiam multis honoribus nos honoraverunt et navigantibus imposuerunt quae necessaria erant;* suam igitur in eos observantiam multis modis testati sunt, et cum post tres menses in eo essent, ut iter continuarent eos rebus necessariis ad iter peragendum liberaliter instruxerunt. Barbari igitur minime barbare egerunt. Praeterea fert traditio Paulum ibidem praedicasse evangelium, et *Baronio* teste vetera quaeque martyrologia dicunt Publium quoque a Paulo esse conversum et episcopum fidelium Melitensium consecratum (ad an. 58 n. 173).

e) Iter a Melita Romam 28,11-16.

28,11. Post menses autem tres navigavimus in navi Alexandrina quae in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. 12. Et quum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. 13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium; et post unum diem flante austro, secunda die venimus Puteolos; 14. Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem; et sic venimus Romam. 15. Et inde quum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum ac tres Tabernas. Quos quum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. 16. Quum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.

28,11. Μετὰ δὲ τρεῖς μῆνας ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ Ἀλεξανδρινῷ, παρασήμῳ Διοσκούροις· 12. καὶ καταχθέντες εἰς Συρακούσας, ἐπεμείναμεν ἡμέρας τρεῖς· 13. ὅθεν περιελόντες κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον, καὶ μετὰ μίαν ἡμέραν ἐπιγενομένου νότου δευτεραῖοι ἤλθομεν εἰς Ποτιόλους. 14. οὗ εὑρόντες ἀδελφούς, παρεκλήθημεν παρ᾽ αὐτοῖς ἐπιμεῖναι ἡμέρας ἑπτά· καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθαμεν. 15. κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἦλθαν εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρι Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν· οὓς ἰδὼν ὁ Παῦλος, εὐχαριστήσας τῷ Θεῷ, ἔλαβε θάρσος. 16. Ὅτε δὲ εἰσήλθομεν εἰς Ῥώμην, ἐπετράπη τῷ Παύλῳ μένειν καθ᾽ αὑτόν, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ.

In v. 13 ℵ* B περιλοντες; al περιελθοντες, gig et inde tulimus. In v. 16 add post Ρωμην, ο εκατονταρχος παρεδωκε τους δεσμιους τω στρατοπεδαρχη H L P al pler cat Theoph Oec ph c* gig; et gig add permissum Paulo foras manere extra castra, item ph c* 137. demid; quae additamenta genuina haberi possunt.

Ex die tertio Iduum novembris usque in diem sextum Iduum martiarum maria clauduntur. Ita *Vegetius* (de re milit. 5,9). Quando ad insulam Melitam appulsi sint, omnino accurate nequit definiri, quia quod 27,9 dicitur non satis determinatum est. Sed cum ab eo loco usque ad naufragium non plus quam dies quindecim praeterissent, tamen satis certum est naufragium factum esse exeunte octobri vel ineunte novembri (vide 27,27). Unde non usque ad martium mensem in insula commorati sunt; v. 11 *post menses autem tres navigantes in navi alexandrina quae in insula hiemaverant,* insulam habere portus multos Diodorus sic. 5,12 commemorat; mense februario iter denuo aggressi sunt tribus mensibus a naufragio exactis. Poterat id fieri, cum ab insula ad continentem intervallum non adeo magnum erat; stadia usque ad Syracusam computat 800 Diodorus l. c.; exinde navigatio erat prope oram maritimam, non in mari aperto. Navis illa hiemaverat in insula; proin interrupto cursu coacta est ibi manere, antequam posset pervenire eo quo destinabatur. Unde nautae primam opportunitatem coeli sereni avide arripuisse censendi sunt et maturius navigasse. Ita fere *Calm. Patr. Felt.;* aliter *Bl. :* « profecto non ante martium mensem (profecti sunt); unde sequitur circa principium decembris eos Melitam venisse, circa medium novembrem a Καλοὺς λιμένας esse profectos, commoratos esse eo loco fere mensem unum et dimidium ». Sed eos in hoc portu per tantum tempus mansisse nullo indicio declaratur 27,9 et medio novembri certe non congruit designatio illa : ieiunium iam praeterierat, quo tamen innuitur tempus non adeo a ieiunio remotum.

De itineris opportunitate sane multum gavisi sunt; recordatur Lucas quale insigne navis illa votis omnium exoptata gesserit : *cui erat insigne Castorum,* in prora navis imago erat Dioscuridarum, Castoris et Pollucis, qui erant dei patroni navium. Ex tali insigni naves quoque nomen habebant (cf. *Wetst. Calm. Patr.*); v. 12 *et cum venissemus Syracusam,* habet urbs ab utraque parte Ortygiae insulae portum magnum, quorum maior octoginta stadia amplus est (*Strabo* 6,2,4; al. 272), *mansimus ibi triduo;* v. 13 *inde circumlegentes* scil. oram Siciliae orientalem, proin exprimitur lectio περιελθόντες quam versiones syriacae pariter sequuntur; περιελόντες vix ex 27, 40 explicari potest : ancoras tollere; gig et inde tulimus et *devenimus Rhegium,* Ῥήγιον. cuius nominis explicationem duplicem *Strabo*

ponit, vel a ῥηγνύναι, eo quod terrae motibus ibi a continente Sicilia sit abrupta (ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται, ut ait Aeschylus), vel ab eius splendore, cuius gratia Samnites urbem latine quasi Regiam vocassent (6,1,6; al. 258); est urbs e regione Messanae, distans a Messana traiectu stadiorum sexaginta (*Strabo* 6,2,3; al. 268), extrema Italiae urbs ad fretum siculum; *et post unum diem flante austro* ἐπιγενομένου νότου, orto austro, vento omnium secundissimo navigiis Rhegio Puteolos petentibus (*Patr.*), *secunda die venimus Puteolos,* emensis circiter CCL M. P. quibus Puteoli distant Rhegio (*Patr.*); est urbs Campaniae ad mare tyrrhenum sita, hodie Puzzuoli. Ibi navigatio pro Paulo aliisque Romam tendentibus finem accepit. Iam fideles erant Puteolis v. 14 *ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem et sic venimus Romam* i. e. et ita tandem profecti sumus Romam.

Dum Paulus per dies septem ibi versaretur, nuntius de eius adventu fidelibus romanis est allatus, quibus Paulus perquam carus erat et laboribus apostolicis et epistola Romam scripta; sat multi ex fidelibus Romae degentibus ei noti et familiariter iuncti erant (cf. Rom. 16,3-15) v. 15 *et inde cum audissent fratres* τὰ περὶ ἡμῶν, *occurrerunt nobis usque ad Apii forum,* oppidum in via Appia distans ab urbe XLIII M. P. (*Patr.*), alii autem usque ad *tres Tabernas,* i. e. usque ad villam in via Appia XXXIII M. P. ab urbe; *quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo accepit fiduciam,* θάρσος animum fortem, fiduciam cum aliqua audacia dicit. Gaudet apostolus videns fidem et caritatem fidelium et inde haurit firmam et fortem confidentiam evangelii propagandi excusso omni timore, ne vincula sua cedant in detrimentum evangelii; e contra ex salutatione fratrum ea fore in incrementum et gloriam evangelii cum magna in Deum gratiarum actione persentiscit.

Bona existimatio quam de Paulo habet Iulius centurio, ipsum quoque Festi iudicium (26,31) quod epistola data Romam cum captivo mittere debebat, satis explicant, cur Paulus in captivitate romana magna libertate uti potuerit et aliqua indulgentia habitus sit; v. 16 *cum autem venissemus Romam,* Puteolis usque Romam emetienda erant CXXXVIII M. P. quae militibus sunt iter septem dierum (*Patr.*). *permissum est Paulo manere sibimet* καθ' αὑτὸν seorsim a ceteris captivis in conducta a se domo quadam (v. 30) *cum custodiente se milite* more scil. romano, ut una catena constringeret militem et captivum, captivi brachio dextro, sinistro militis alligata (*Beel.*); cf. 12,6. Erat itaque in custodia militari. Cum in ea custodia frequenter alii milites aliis succederent, potuit Paulus ex hac sua captivitate scribere : quae

circa me sunt, ad profectum venerunt evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio (Phil. 1,12.13), et apostolo erat occasio evangelii propagandi inter milites praetorianos.

Additur apud sat multos testes (vide lect. var.) : centurio tradidit vinctos praefecto castrorum scil. praetorianorum, neque enim alia castra eo tempore Romae erant. Quod nuperrime *Mommsen* et *Harnack.* statuerunt, intelligi principem (castrorum) peregrinorum, (ut gig habet) constare non posse *Bels.* demonstravit p. 147 seq.; nam de principe castrorum peregrinorum prima mentio fit in inscriptione ex tempore Severi, ad quem haec institutio rationibus sat gravibus merito refertur. Castra autem praetoriana a Tiberio sunt instituta; « Romae castra constituit quibus praetorianae cohortes, vagae ante id tempus et per hospitia dispersae, continerentur »; ita *Suetonius* Tiber. 37. Vinctos autem mitti solere ad praefectum praetorii, etiam videmus ex epistola Traiani ad Plinium : « qui a Iulio Basso in perpetuum relegatus est... vinctus mitti ad praefectos praetorii mei debet » (Epist. lib. 10, ep. 65, al. 58). Quando Romam venerit, vide Proleg. p. 16.

f) Paulus alloquitur Iudaeos 28,17-31.

28,17. Post tertium autem diem convocavit primos Iudaeorum. Quumque convenissent, dicebat eis : Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum; 18. Qui quum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. 19. Contradicentibus autem Iudaeis, coactus sum appellare Caesarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. 20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre et alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.

21. At illi dixerunt ad eum : Nos neque litteras accepimus de te a Iudaea, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit aut locutus est quid de te malum. 22. Rogamus autem a te audire quae sentis : nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.

23. Quum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium

28,17. Ἐγένετο δὲ μετὰ ἡμέρας τρεῖς συνκαλέσασθαι αὐτὸν τοὺς ὄντας τῶν Ἰουδαίων πρώτους· συνελθόντων δὲ αὐτῶν, ἔλεγεν πρὸς αὐτούς, Ἐγὼ ἄνδρες ἀδελφοί, οὐδὲν ἐναντίον ποιήσας τῷ λαῷ ἢ τοῖς ἔθεσι τοῖς πατρῴοις, δέσμιος ἐξ Ἱεροσολύμων παρεδόθην εἰς τὰς χεῖρας τῶν Ῥωμαίων. 18. οἵτινες ἀνακρίναντές με ἐβούλοντο ἀπολῦσαι, διὰ τὸ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου ὑπάρχειν ἐν ἐμοί. 19. ἀντιλεγόντων δὲ τῶν Ἰουδαίων, ἠναγκάσθην ἐπικαλέσασθαι Καίσαρα, οὐχ ὡς τοῦ ἔθνους μου ἔχων τι κατηγορεῖν. 20. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν παρεκάλεσα ὑμᾶς ἰδεῖν καὶ προσλαλῆσαι· ἕνεκεν γὰρ τῆς ἐλπίδος τοῦ Ἰσραὴλ τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι.

21. οἱ δὲ πρὸς αὐτὸν εἶπαν, Ἡμεῖς οὔτε γράμματα περὶ σοῦ ἐδεξάμεθα ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, οὔτε παραγενόμενός τις τῶν ἀδελφῶν ἀπήγγειλεν ἢ ἐλάλησέν τι περὶ σοῦ πονηρόν. 22. ἀξιοῦμεν δὲ παρὰ σοῦ ἀκοῦσαι ἃ φρονεῖς. περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστὸν ἡμῖν ἐστὶν ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται.

23. Ταξάμενοι δὲ αὐτῷ ἡμέραν, ἦλθον πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ξενίαν πλείονες· οἷς ἐξε-

plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi et prophetis, a mane usque ad vesperam. 24. Et quidam credebant his quae dicebantur : quidam vero non credebant. 25. Quumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum : quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros,

26. Dicens : Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis. 27. Incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos. 28. Notum ergo sit vobis quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. 29. Et quum haec dixisset, exierunt ab eo Iudaei, multam habentes inter se quaestionem.

30. Mansit autem biennio toto in suo conducto; et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, 31. Praedicans regnum Dei, et docens quae sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.

τίθετο διαμαρτυρόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, πείθων τε αὐτοὺς περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπό τε τοῦ νόμου Μωυσέως καὶ τῶν προφητῶν, ἀπὸ πρωῒ ἕως ἑσπέρας. 24. καὶ οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν. 25. ἀσύμφωνοι δὲ ὄντες πρὸς ἀλλήλους ἀπελύοντο, εἰπόντος τοῦ Παύλου ῥῆμα ἕν, ὅτι καλῶς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ἐλάλησεν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν,

26. λέγων, Πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον καὶ εἰπόν, Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. 27. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν· μήποτε ἴδωσιν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσιν καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσιν καὶ ἐπιστρέψωσιν καὶ ἰάσομαι αὐτούς. 28. γνωστὸν οὖν ὑμῖν ἔστω ὅτι τοῖς ἔθνεσιν ἀπεστάλη τοῦτο τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. (29. καὶ ταῦτα αὐτοῦ εἰπόντος, ἀπῆλθον οἱ Ἰουδαῖοι, πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς συζήτησιν).

30. Ἐνέμεινεν δὲ διετίαν ὅλην ἐν ἰδίῳ μισθώματι, καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτόν, 31. κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, μετὰ πάσης παρρησίας ἀκωλύτως.

In v. 17 gig conferebat cum eis dicens. In v. 19 add 137. ph c* και επικραζοντων· αιρε τον εχθρον ημων, et in fine αλλ ινα λυτρωσωμαι την ψυχην μου εκ θανατου, gig sed ut animam meam a morte liberarem. In v. 22 add gig in fine in toto orbe. In v. 26 λεγων ℵBLP mu minusc, al λεγον. In v. 27 gig grava autem cor... obscura. Omittunt v. 29 ℵABE aliq minusc am fu demid cop Ti WH. In v. 30 add in fine tol ph c* Iudaeos atque Graecos, gig et disputabat cum Iudaeis et Graecis. In v. 31 add in fine ph dicens quod hic sit Christus Iesus Filius Dei per quem totus mundus iudicabitur. Amen; sim demid tol.

Quanto desiderio apostolus salvos facere exoptet Iudaeos, in epistola ad Romanos declarat (9,1 seq. 11,14). Quare postquam fideles salutavit et paululum ab itineris fatigatione sese recreavit, nihil antiquius habuit quam ut primos Iudaeorum ad se invitaret et si forte iam calumniae a Iudaeis hierosolymitanis essent Romam perlatae, iis obviam iret et tentaret, possetne illis veritatem evangelii persuadere; v. 17 *post tertium autem diem convocavit primos Iudaeorum*; novem synagogae Romae inscriptionibus innotuerunt (cf. *Felt.*); unde inter pri-

mos praefecti synagogarum praeprimis erunt numerandi; *cumque convenissent, dicebat eis : ego, viri fratres, nihil adversus plebem,* populum nostrum, *aut morem paternum faciens,* contra mores patrum (gig, cf. graece), *vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum;* quam maxime parcit Iudaeis hierosolymitanis; nihil dicit de tumultu in se excitato, de periculo mortis, cui ereptus sit a tribuno; id unum effert se vinctum, captivum ex Ierusalem abductum et magistratui romano esse traditum. Proin omnia quae in urbe Iudaei machinati sint, insidias quas struxerint ad ipsum occidendum, silentio premit. Statim ad rem Caesareae gestam transit. Id unum explicare vult, cur coactus sit Caesarem appellare. Proin id solum contra Iudaeos dicit quod plane necessarium erat, ut merito factam esse appellationem appareret. Atque prudenter ita agit. Si enim omnia exposuisset quae sibi a Iudaeis illata essent, nonne visus esset animum pandere exulceratum in Iudaeos? quo Iudaeos romanos offenderet quasi male affectus in contribules suos.

Quae Caesareae gesta sunt, eadem brevitate proponuntur; v. 18 *qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere eo quod nulla esset causa mortis in me* (25,25; 26,31); v. 19 *contradicentibus autem Iudaeis coactus sum appellare Caesarem;* etiam hic valde moderate loquitur; cf. 25,3; Iudaei omnino postulabant eius mortem et adeo apud Festum instabant, ut is contra suam sententiam (25,25) id effugii arripere vellet quod 25,9 proponit; vult enim Paulum inducere, ut a tribunali romano recedens se sistat synedrio. Iam Paulus coactus erat uti iure appellationis, ne tandem Festus postulationibus Iudaeorum cedens contra ius ipsum donaret Iudaeis (25,9-11). Unde verissime coactus est Paulus contradicentibus Iudaeis et Festum ad suam condemnationem urgentibus, quibus Festus iam cedere paratus erat; additur quidem in altera lectione; et clamantibus : tolle inimicum nostrum; verum haec verba non congruunt ad illam moderationem, imo reticentiam, qua apostolus utitur loquens de Iudaeis; praeterea de eiusmodi clamoribus solum mentio fit 22,22, ex quo loco glossema hoc originem ducit; *non quasi gentem meam habens aliquid accusare;* non igitur ad accusationem gentis nostrae appellatio est facta, verum uti alias habetur : sed ut animam meam (id est meipsum) a morte liberarem. Quae lectio commendatur; nam tale aliquid fere necessario addi debet, ut ratio reddatur, cur tandem *coactus* sit appellare Caesarem. Iudaei enim legis studiosi aemulatores, uti dominationem romanam aegerrime ferebant, ita facile crimini vertebant adire tribunal romanum, appellare Caesarem, eius auctoritatem et iurisdictionem agnoscere. Quare opportunum erat, ut ad-

deretur ratio illa ex summo vitae discrimine quod aliter averti non potuit. Et tale requiri, iam ostendunt *Chr. Oec. Theoph.* qui illud in explicatione supplent : non quasi habeam de quo gentem meam accusem, sed ut periculum effugerem (sim. *Patr. Felt.*).

Uti igitur Iudaeis omnem suspicionem eximeret eosque de vera rerum conditione edoceret, si forte iam aliunde contra ipsum essent praeoccupati, eos ad se vocavit v. 20 *propter hanc igitur causam rogavi vos videre et alloqui;* neque enim ut homo facinorosus aut rebellis vinctus sum, sed quod vestra omnium maxime interesse debet : *propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum,* vere hac de causa detentum me in carcerem detruserunt, quod praedico Messiam, spem Israel, venisse (*Lap. Calm. Beel. Patr. Felt. Bl.*). Cavillatur *Hilg.* de « catena hac », qua tamen ex 22,30 iam diu solutus sit et quam solus auctor ad Theophilum ei alliget; vir acutus tamen agnoscit v. 16; ergo Paulus revera gerit catenam et in eam conditionem solum devenit quia praedicavit Iesum esse Christum, v. 21 *at illi dixerunt ad eum : nos neque litteras accepimus de te a Iudaea, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit aut locutus est quid de te malum;* quod hi dicunt, responsio est ad ea quae Paulus ad rem declarandam exposuerat. Proin responsio ad sola ea refertur i. e. affirmant de causa vel accusatione Pauli litteras a synedrio ad se non esse delatas neque aliquem Iudaeum ab Hierosolymis (uti versio syriaca et gig recte supplent) advenisse qui ea de accusatione aut nuntium attulisset aut de Paulo quidquam mali dixisset. Id sane affirmant veritati consonum. Nam cur synedristae ante Pauli appellationem causam perscriberent seu nuntiarent Romam, non erat; neque erat, cur mitterent, antequam scirent num revera appellatione admissa eo proficisceretur. Postquam autem Paulus missus est, ob navigandi difficultatem vix rei adhuc tempus fuerat; nihil autem obstat, quominus postea vel epistola vel nuntius venerit (*Bl.*). Non negant se quidquam de illo audivisse, quod fortasse vere negare non poterant, ut *Bl.* adnotat. Quare immerito ab aliquibus fides narrationis in dubium est vocata.

Magna quadam cautione, imo animo frigido loquuntur de re christiana v. 22 *rogamus autem* ἀξιοῦμεν consentaneum iudicamus (cf. 15,38) *a te audire quae sentis,* scil. de spe Israel ob quam catenam gerat v. 20; *nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur;* primi Iudaeorum, praefecti synagogarum loquuntur; longe maior pars fidelium romanorum ex gentibus erat (cf. Rom. 1,5 seq. 13; 6,17; 11,12; 15,14 seq.; vide *Cornely,* Comment. ep. ad Rom. p. 8); quare eos a synagoga et publica Iudaeorum auctoritate quasi ignorari

facile perspicitur. Is loquendi modus primorum tum solum aliquid miri haberet, si fideles aperte et publice tum temporis cum synagoga Iudaeorum conflictassent; id quod nequit ostendi. Quare immerito contendunt aliqui (*Wendt*) verba illa primorum Iudaeorum longe recedere a fide historica neque assumi posse eos ita esse locutos. Apostolus qui salutem suae gentis adeo desiderat, cum gaudio eorum postulationi accedit v. 23 *cum constituissent illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi* πλείονες, *quibus exponebat testificans regnum Dei* διαμαρτυρόμενος 20,21 adductis testimoniis affirmans regnum Dei i. e. regnum Dei a prophetis praedictum iam adesse, eosque adhortans et obtestans, *suadensque eis* (19,8) *de Iesu* eum esse Messiam *ex lege Moysi et prophetis* (cf. 17,2 seq. 26,22 seq.) *a mane usque ad vesperam;* prolixa itaque oratione declarat, quantopere sibi cordi sit, annuntiare Messiam et omni modo firmissimis argumentis probare Iesum esse illum quem lex et prophetae annuntiarunt.

Et apostoli zelus non carebat omni fructu v. 24 *et quidam credebant* ἐπείθοντο revera inducebantur ut fidem adhiberent *his quae dicebantur, quidam vero non credebant* ἠπίστουν. Unde hi qui non credebant, contradicebant aliis (cf. 13,45; 18,6; 19,9) et ita rixa inter Iudaeos exorta est v. 25 *cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum,* cum scil. contumaciam eorum, qui contradicebant et alios quoque a fide avertere contendebant, magna animi indignatione videret: *quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros* ὑμῶν vestros; quod scil. illis exprobratum est, vos quoque eximie prae vobis fertis: sicut patres vestri, ita et vos (7,51); v. 26 *dicens: vade ad populum istum et dic ad eos: aure audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non perspicietis;* v. 27 *incrassatum est enim cor populi huius et auribus graviter audierunt* gig grava autem cor plebis huius et oculos eorum obscura *et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis et auribus audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos;* cf. Is. 6,9. 10 quae verba ex versione LXX referuntur; de iis vide quae dixi in Comment. Is. Comment. I p. 138-142, in Comment. Matth. I p. 518, Comment. Marc. p. 117; Comment. Luc. p. 275 et ad Ioan. 12,40, Comment. p. 393.

Ex hisce verbis, quae apostolus ad eos transfert, iam elucet Romae quoque maiorem Iudaeorum partem nuntium messianum repudiasse. Idem quoque patet ex v. 28 *notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei et ipsi audient;* cf. 13,46; 18,6; 22,21; v. 29 *et cum haec dixisset, exierunt ab eo Iudaei multam habentes inter se quaestionem,* συζήτησιν disceptationem de his quae Paulus

dixerat, iis qui crediderunt ea probantibus et defendentibus, aliis qui contumaces se praebebant acriter contradicentibus, quibus scil. crux Iesu et mors scandalo erat et qui gentes quoque aequo modo cum Iudaeis haberi non poterant ferre.

Concludit Lucas narrationem referens summatim quomodo Paulus toto illo biennio evangelii propagationi operam dare potuerit. Uti de biennio priore caesariensi paucissimis retulit 24,26, ita de hoc altero romano v. 30 *mansit autem biennio toto in suo conducto* ἐν ἰδίῳ μισθώματι in proprio hospitio quod sibi conduxerat, in domo quam conduxerat; fortasse hic quoque labore suo sibi necessaria partim comparabat; ceterum subsidia a Philippensibus accepit (Phil. 4,10-17) *et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum* et ut in altera lectione additur : et disputabat cum Iudaeis et Graecis, v. 31 *praedicans regnum Dei et docens quae sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia,* cum omni libertate, *sine prohibitione,* uti ipse quoque apostolus testatur Phil. 1,12 seq. 4,22. Mutatam autem postea esse Pauli conditionem sequitur ex aor. ἐνέμεινεν, cf. 18,11 ἐκάθισεν (*Bl.*); apostolum enim esse liberatum, iam concludi debet ex narratione de Festo eiusque de Paulo elogio (25,25; 26,31), ex magna illa aestimatione quam de eo Iulius centurio habebat, ex singulari indulgentia, qua ei permittebatur in domo a se conducta manere et libere cum omnibus conversari (28,16. 30. 31). Spem liberationis ipse quoque enuntiat Phil. 1,25-27; 2,24 confido autem in Domino quoniam et ipse veniam ad vos cito; item Philem. 22 : para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis. Idem certissime sequitur ex epistolis pastoralibus, quibus ea de Paulo eiusque laboribus et itineribus narrantur, quae ante priorem captivitatem romanam locum habere nullatenus possunt (cf. *Bels.* p. 163 seq. *Cornely,* Introd. III 2 ed. p. 373 seq. 564. 570. 576.

Quaeri potest, cur causa Pauli tamdiu dilata fuerit. Varia excogitari possunt. Fortasse accusatores Pauli accersendi erant; vel qui eum accusarant, postulabant dilationem causae quo plenius undequaque conquirerent, quibus crimina Pauli probarent. Talem dilationem potuisse concedi ad criminum testes et testimonia, discimus ex Tacito qui de inquisitione annua impetrata refert (Annal. 13,43). Cum Paulus in dissitis quoque regionibus diu versatus esset, non deerant quibus eiusmodi postulatio aequa videri poterat. Quem modum Nero sequi solitus sit, ita narrat Suetonius : cognoscendi morem eum tenuit, ut continuis actionibus omissis, sigillatim quaeque per vices

ageret (Nero 15). Unde si accusatores Pauli multa et varia proferebant, disquisitio ad multum tempus protrahi poterat, donec continua actione omissa singula quaeque per longiora intervalla pertractarentur. Ceterum fieri quoque poterat, ut plures aliae appellationes ad Caesarem ante illam Pauli factae prius expedirentur. Insuper etsi nulli accusatores contra Paulum agebant et tota causa ex Festi elogio tractabatur, tamen de dilatione non est cur quis miretur. Nam ex Iosepho quoque discimus sacerdotes quosdam a Felice procuratore Iudaeae Romam esse missos causam suam apud Caesarem dicturos; his tandem Iosephus opem tulit, cum ipse annos natus 26 (proin c. 63-64 p. Ch.) iter romanum instituisset et se in amicitiam Alituri mimi insinuasset; illi ergo sacerdotes etiam diutius ob culpam levem in custodia tenebantur et remansissent etiam diutius, nisi Iosephus apud Neronem ope illius mimi et Poppaeae uxoris Neronis ut solverentur suis precibus impetrasset (Vita 3).

A. M. D. G.

INDEX

PROLEGOMENA.
